This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

BR
.828
.A6
D56
1773

ANTVERPIA
CHRISTO
NASCENS ET CRESCENS

SEU

ACTA

Eccleſiam Antverpienſem ejuſque Apoſtolos
ac Viros pietate conſpicuos concernentia
uſque ad ſeculum XVIII.

SECUNDIS CURIS

Collecta & diſpoſita ac in VII. Tomos
diviſa

À

JOANNE CAROLO DIERCXSENS

S. T. L. Paſtore ad S. Elizabetham ibidem.

TOMUS V.

1567. —— 1579.

ANTVERPIÆ,
Apud *Joannem Henricum van Soeſt*, in plateâ
dictâ de Cammer-ſtraet 1773.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

AD LECTOREM.

PErcurrit hic tomus V. ſpatium duodecim tantùm annorum quorum initia fauſta quæque nuntiabant. Repreſſis enim brevì & fugatis poſt Iconomachiam tumultuoſis calviniſtis, Gubernatrix belgii Antverpiam venit & honorificè excepta eſt; Cultus divinus reſtitutus, templa reconciliata, altaria erecta aut reſtituta & fana heterodoxorum everſa ſunt & funditus deſtructa; ita ut religio catholica iterum foret in ſumma libertate. Epiſcopatus jam à decem annis erectus hoc tempore ad effectum ductus & primus Epiſcopus Sonnius honorificè exceptus eſt. Hic ſtrenuè laboravit ad devios reducendos ac fideles confirmandos: & ad diſciplinam reſtituendam duas celebravit Synodos. Ejus tempore eccleſia Antverpienſis ſic reſtituta erat, ut etiam notabile incrementum ceperit; in caſtro enim extructa eſt nova eccleſia, quæ in Parochialem erecta eſt; Jeſuitæ admiſſi ſunt & in domo aquenſi novum erexerunt templum; in S. Georgii inſtituta eſt confraternitas ſub invocatione SS. Petri & Pauli. Sed dum eccleſia Antverpienſis ſic proſperè agit, naſcitur malum, unde tandem omnia tum divina tum humana ſus deque verſa ſunt. Tumultuantes hiſpani milites proſcribuntur & declarantur hoſtes patriæ; Ordines provinciarum ſpreto Rege revocant Orangium, qui jam decem annis exulaverat & inſenſiſſimus erat hoſtis religionis catholicæ ac religionarios impenſè foverat. Cum eo Ordines bellum egerunt contrà hiſpanos milites. Hi autem erumpentes ex Arce Antverpiam invaſerunt; Abbatiam S. Michaëlis ſpoliarunt; incenderunt Curiam, quæ conflagravit cum centenis circumvicinis domibus. Deinde hæretici cœperunt dominari; Ornamenta & vaſa argentea extrahuntur ex eccleſiis; novi erecti epiſcopatus declarantur aboliti; Jeſuitæ omnes & quindecim minoritæ turpiter educuntur & tandem omnes eccleſiaſtici cum Archiduce, quem Ordines advocaverant ſub titulo Gubernatoris belgii, congregati in cathedrali ad Proceſſionem generalem, illic per horas captivi detenti

ſunt

ſunt. Et tandem in libertatem reſtituto Archiduce omnes eccleſiaſtici educti ſunt ad naves ; in quibus ſedecim diebus captivi detenti ſunt & pauci dein in civitatem admiſſi. Lutheranis autem & calviniſtis conceſſa eſt plena poteſtas publicè prædicandi & exercendi ſuam religionem ; ità ut non eſſet niſi videre miſeriam.

ADDENDUM

Pag. 43. *lin.* 17. litterarum -- *Adde* -- Juſtificatio illa habetur in Bibliotheca D. Michiels Capitanei Admiralitatis ; qui eam benignè communicavit. Edita eſt ſub titulo, *La Defenſe de Jaques Weſenbeke jadis Conſeillier & Penſionaire de la ville d'Anvers contre les indues & iniques citations contre lui decretees. Imprimé en Janvier* 1569. : adeoque ſeptimo menſe ante editum libellum ſuum de *Statu religionis*, quem vulgavit menſe auguſto 1569. Juſtificatio autem illa edita eſt ſine nota loci, in 8o paginis 37. & ſequuntur extracta epiſtolarum, quas deſuper ſcripſerat Weſenbeke ad Procuratorem generalem & ad Senatum Antverpienſem paginis undecim.

ANTVERPIA CHRISTO NASCENS ET CRESCENS

SECUNDIS CURIS

TOMUS V.

Libellus ſupplex, quem deputati calviniſtarum in fine octobris obtulerant Regi ad obtinendam libertatem religionis, plurimùm diſplicuerat, non tantùm propter petitam libertatem, ſed & propter oblatam ingentem ſummam trium millionum florenorum: non enim credebatur oblatio iſta ſeria, ſed vel facta fuiſſe ad oſtentandam potentiam ſectæ, & ſic incutiendum timorem Regi; vel ad colligendam ſub eo titulo ingentem pecuniarum ſummam, quâ milites conſcriberent & Regi ſeſe opponerent.

Anno 1567. Januarii.

Diſplicet ſectariorum petitio quoad libertatem Religionis.

Anno 1567. Januarii.

Non obſervant fœdus initum cum fœderatis nobilibus.

Inſuper Sectarii abutebantur indulgentiâ, quâ Gubernatrix menſe auguſti fœderatis nobilibus ad famoſum eorum Libellum conceſſerat, ut prædicationes fierent in locis, in quibus anteà habitæ fuerant: prout ipſi-met fœderati Nobiles dein ſectariis exprobrârunt, ut refert Petrus Bor Auctor hæterodoxus in famoſo ſuo opere vernaculè conſcripto *de Bello Belgico Tom.* I. *fol.* 102. Prædicationes, ubi ante habitæ non fuerant, in pluribus locis introduxerant & inſuper exercitia religionum, de quibus nihil indultum fuerat. Imò alicubi Templa invaſerant, imagines confregerant & Templa ipſa occupaverant. Hinc patebat, quò tenderent conatus eorum.

Agitur ad impediendas Prædicationes &c.

Gubernatrix itaque ſeriò cœpit agere ad impedienda ubique non tantùm exercitia religionum, ſed & omnes prædicationes: & deſuper ſcripſerat ad ſenatum Antverpienſem 4. decembris, & 14. ejuſdem ad Comitem Hoogſtratanum, qui in abſentia Orangii Antverpiam gubernabat, quatenùs omni opportuno medio, monitionibus, inductionibus & perſuaſionibus in civitate Antverpienſi procurarent ceſſationem prædicationum & exercitiorum religionum, quò prævenirent indignationem Regis, ejuſque deſideriis obſequerentur. Ita refertur in *Juſtificatione Antverpienſium* relata per P. Bor. *Tom.* I. *pag.* 152. Convocaverat etiam Gubernatrix Status Brabantiæ ad 20. ejuſdem menſis, & ab eis requiſivit conſilium & medium, quo indiceretur ceſſatio prædicationum &c. Concilium Brabantiæ, cenſens ceſſationem neceſſariam, ſententiam ſuam deſuper in ſcriptis poſtridiè exhibuit Gubernatrici: unde firmiùs rem hanc cœpit proſequi.

Senatus Antv. rejicit Libellum ſectariorum.

Et interim ſectarii Antverpienſes obtulerant Libellum ſupplicem Senatui, deferendum ad Congre-

Congregationem Statuum, quatenùs contractus cum eis initus 2. ſeptembris effectum obtineret: ſed ſenatus, nolens eum deferre ad Statuum congregationem, originale eis reddidit *P. Bor. ibid. fol.* 88. *verſo & ſeqq.* Anno 1567. Januarii.

Omnia hæc non latebant: inde conſternatio ſumma inter ſectarios eorumque fautores; inde Conventus Teneramundanus & deputatio ad Principes Germaniæ; agitatio maxima inter fœderatos Nobiles; alii providentes ſibi parabant deceſſum; alii ad ſe defendendos conſcribebant milites, invadebant & occupabant civitates; unde aperta rebellio. P. Bor. *fol.* 94. Antverpiæ etiam milites conſcribebantur, ſed hactenùs occultè. Inde turbati ſectarii.

Prædicantii Antverpienſes nihil omittebant, quo ſolito more populum concitarent; clamabant in cathedris: vigilate auditores & eſtote parati, quia venditi ſumus, ſed nondum traditi. Hinc perverſi inter illos calumniam excogitârunt, quâ præcipuos civitatis odibiles redderent. Die 18. januarii divulgabant, quindecim aut ſedecim conſpiraſſe & Libellum obtuliſſe Gubernatrici, quo indicaſſent, ſe paratos ad recipiendum præſidium peregrinorum militum & ad conſtruendum Caſtrum. Affingebatur hoc Primoribus civitatis, Senatoribus, Eleëmoſinariis & aliis; inter quos *D. Henricus van Berchem* primarius Burgimagiſter, *Wilelmus van Immerſeel* Ædituus *B. M.*, *Vincentius de Smit* ſenior, *Paulus van Gemert*, *Joannes de Lantmeter*, *Willelmus Boel* & alii ſimiles. A Calumniâ autem hâc omnes pariter ſe juſtificârunt, & probatum eſt, eſſe merum figmentum: unde & in calumniæ auctores inquiſitum eſt, ſtatuto præmio centum florenorum vel unum ex his ſeditioſis detegenti. 18. Janu. Calviniſtæ conantur odibiles reddere præcipuos civitatis.

Anno 1567. 23. Janu. Turbata civitas.

Interim turbata erat tota civitas; tota nocte maxima calviniſtarum pars vigilabant armati in domibus ſuis. Poſtridiè de nocte commotio magna juxta S. Andreæ & ſequenti nocte ad *Tapiſſiers-pant*, ubi, ut ferebatur, congregabantur malevoli ad interimendos ipſâ nocte Papiſtas.

Quatenùs autem his turbis & aliis violentiis obviaretur, publicatum eſt hìc 23. & inhibitum, nè qualiacumque arma venderentur aut foras mitterentur, niſi ad uſum aulæ Regis Hiſpaniarum *Antw. Chron. pag.* 104.

Gubernatrix urget ceſſationem prædicationum.

Eâdem 23. januarii Gubernatrix ſcribit ad Senatum Antverpienſem, ſe recepiſſe litteras à Rege, quibus indicat, ſe omnia parare, quo citiſſimè veniat in Belgium, omnia de conſilio Statuum diſpoſiturus, eumque deſiderare hìc omnia ſic diſpoſita, ut neceſſe non foret venire cum majori quàm ordinario comitatu &c. P. Bor. *fol.* 108. Reſpiciebat hæc Gubernatricis epiſtola ad procurandam ceſſationem prædicationum, ad quam procurandam etiam Senatus eâ deinceps uſus eſt.

Prohibetur communicatio cum Valencenenſibus.

Valencenenſes, apud quos aperta rebellio primò cœperat, proſcripti erant & declarati inimici Regis 14. decembris anni præcedentis. Hoc autem menſe Antverpiæ publicatum eſt, nè quis communicationem haberet cum illis ſub pœnâ bonorum & vitæ *Antw. Chron. pag.* 105. Sicut autem proſcriptio illa ſectariis per omnes Provincias incuſſerat anxietatem & timorem, ut aſſerit P. Bor. *fol.* 98., ſic non minorem conſternationem induxit hæc communicationis inhibitio.

1. Febru. Conſiſtorium deſuper Antverpiæ.

Hinc ad 1. Febr. indixerunt Conſiſtorium, ad quod convocârunt ex ſingulis ſectæ ſuæ communitatibus Prædicutium unum & quoſdam præcipuos adhærentes. In eo, poſt multas querimo-

querimonias contrà Gubernatricem, tandem concluſum eſt, conficere & offerre Libellum ſupplicem ſub nomine eorum, qui profitebantur religionem reformatam. Sed cum Libellus eorum deferendus ad Congregationem Statuum à Senatu Antverpienſi rejectus fuiſſet, ſtatutum eſt, eum offerre fœderatis Nobilibus. Brederodius autem cum aliis quibuſdam fœderatis ſub idem tempus Antverpiam venerat, deliberaturus quid in hâc tempeſtate agendum foret. Libellum ſuum itaque tradiderunt in manus Brederodii, qui eum benignè acceptavit. Gentſche Chron. *Tom* I *pag.* 67. P. Bor. *fol.* 104. *verſo.*

Anno 1567. 1. Febr.

Interim 2. febr. in feſto Purificationis B. M. in Eccleſia matrice ordinario modo celebratum eſt ſolemniter Officium. Comparuerunt in eo Comes Hoogſtratanus cum nobilibus ſuis ac univerſus Magiſtratus, & more ſolito geſtantes cereos oblationes tulerunt.

2. Febr. Officium more ordinario celebratum.

Eodem die Comiti Hoogſtratano natus eſt filius in domo Gaſparis Doets, in quâ tamquam in aulâ ſuâ morabatur Comitiſſa. Filius hic 8. febr. ſolemniter baptizatus eſt apud Carmelitas, vel per Abbatem S. Michaëlis vel per Plebanum; uterque enim præſens fuiſſe refertur; ſed non determinatur, quis baptizaverit. Aderant multi nobiles tùm Comites, tùm Comitiſſæ, vel ad levandam prolem vel ad ſolemnitatem augendam præſentiâ ſuâ. Reductio infantis ſolemnis fuit: præibant viri Gildæ veteris arcûs chalibei geſtantes faces; nobiles geſtabant candelas hiſpanicas, ſequebantur reliqui, qui Baptiſmo interfuerant. Hinc per plateas milleni accurrerunt ad hoc ſpectaculum. *Antw: Chron. pag.* 106.

Comitis Hoogſtratani filius baptizatur.

Interim quartâ menſis redierat Orangius. Poſtridiè adivit eum Senatus invenitque eum apud

5. Febr.

Anno 1567. 5. Febru.

Senatus Orangium rogat, ut juvet ad procurandam ceſſationem.

apud Comitem Hoogſtratanum. Exhibuit autem illi litteras, quas receperat à Gubernatrice, concernentes ceſſationem prædicationum, & rogavit, quatenùs auxilio foret ad oportunis mediis ſatisfaciendum Gubernatricis deſiderio. Reſpondit Orangius ſe ſimiles litteras ab eâ recepiſſe, ſeque paratum eſſe operam ſuam impendere, ſi Comes Hoogſtratanus, qui in abſentiâ ſuâ quatuor circiter menſibus gubernaverat, & conſequenter diſpoſitionem ſectariorum plenè noverat, collaborare vellet. Excuſavit ſe Hoogſtratanus, præferens commiſſionem ſuam reverſo Orangio ceſſaſſe; ſe tamen paratum operam ſuam impendere, ſi deſuper à Gubernatrice mandatum obtineret. Obtinuit autem poſteà. Hinc Princeps, Comes & Senatus allaborare cœperunt ad procurandam ceſſationem prædictam. Cum autem poſt plures communicationes comperiſſent notorium eſſe, ſectariis dari debere ſufficientem ſecuritatem & ſatisfactionem, ſecundùm quam ſe gererent & contenti forent, deputatos ſuos miſerunt ad Gubernatricem, quatenùs ſuggereret aliqua oportuna media, quæ ſectariis proponerent. P. Bor. *fol.* 108.

Brederodius offert Libellum Gubernatrici.

Brederodius, qui Libellum ſectariorum acceptaverat, cum aliis fœderatis Nobilibus Antverpiæ convenerat, ad deliberandum, quid in hac temporis conſtitutione agendum eſſet: concluſum eſt, iteratum Gubernatrici offerre Libellum, quo ſe juſtificarent; commiſſioque data eſt Brederodio. Brederodius autem ſciens ſe gratum non eſſe Gubernatrici, miſit ad eam Nobilem cum litteris, quibus illi indicat, ſe habere Libellum offerendum nomine fœderatorum Nobilium, quo ſe juſtificent, rogans quatenùs ſibi liceat perſonaliter accedere, eumque offerre. Reſpondit Gubernatrix, pro pace civitatis

Anno 1567. 8. Febru.

tatis conſultum non eſſe, ut eo fine veniat; cum patuiſſet, per oblationem Libelli menſe aprilis anni præcedentis, tantas ſecutas fuiſſe turbas: verùm ſi quid exhibendum haberet aut ſupplicandum, id facere poſſet per Nobilem latorem litterarum aut per alium, ſine magno tamen comitatu. Brederodius ægrè ferens, Gubernatricem ſe nolle audire conſultavit ſuos; qui induxerunt prædictum Nobilem, ut Libellum fœderatorum Bruxellas deferret & Gubernatrici offeret: annexerunt autem huic Libellum ſibi oblatum per ſectarios initio menſis Antverpiæ in Conſiſtorio congregatos.

Contenta in illo.

Libellus fœderatorum, cujus ſubſtantiam refert P. Bor. *fol.* 105., poſt multas querimonias de non obſervatâ conventione cum illis initâ menſe auguſto, de prohibitis religionum exercitiis, de meditata prohibitione prædicationum, de conſcriptione militum &c., continebat ſupplicationem, ut prædicta conventio obſervaretur; ut cum prædicatione permitterentur religionis exercitia, quæ inſeparabiliter ſunt connexa; ut Gubernatrix ſecuritatem ipſis datam obſervaret; ut ceſſaret conſcriptio militium & conſcripti dimitterentur; denique ut Edicta confecta à tempore conventionis annullarentur. Hunc Libellum oblatum fuiſſe 8. febr. notat Haræus *Annal. duc. Brab. Tom. III. pag.* 66.

12. Febr.

Antverpienſes proponunt Gubernatrici media ad ceſſationē prædicationū

Deputatis Antverpienſium, qui miſſi fuerant ad Gubernatricem, quatenùs ipſa aſſignaret media proponenda ſectariis ad obtinendam ceſſationem prædicationum, reſponſum eſt, & petitum, an non ipſis injunctum eſſet indicare quædam media? Deputati cum hoc reſponſo ad ſuos redierunt, qui convenientes duos articulos conceperunt & ad Gubernatricem tranſmiſerunt, nempe.

 1. Ut

Anno 1567. 12. Febr. 1. Ut ſectariis proponeretur & de conſenſu Gubernatricis promitteretur, quod ceſſantibus prædicationibus & exercitiis religionis, nullus propter hactenùs peracta moleſtaretur, requireretur aut pateretur, nec in perſona nec in bonis; ſed poſſent ibidem liberè manere aut diſcedere, commercia peragere & poſſidere ſua, donec & uſque per Regem de conſilio Statuum generalium in cauſa religionum diſpoſitum foret.

2. Ut omnes, qui prædictæ determinationi ſe conformare non poſſent, haberent dein tres menſes, intrà quos liberè poſſent diſcedere cum uxoribus, prolibus, familiaribus & bonis; ſimiliter quod bona ſua poſſent vendere, alienare aut retinere & frui redditibus, relinquentes aliis adminiſtrationem eorumdem.

Articulos hos refert P. Bor. *fol.* 108., & in *Juſtif. Antv.* apud eundem *fol.* 152. indicantur oblati Gubernatrici poſt 12. febr.

16. Febr. Incendium apud minoritas. Decimâ ſextâ februarii, quæ erat dominica prima quadrageſimæ, accidit conflagratio monaſterii Minoritarum, quam referunt Antw. Chron. *pag.* 107. P. Bor. *fol.* 109. *verſo* & Surius *in comment. pag.* 913. Cæpit autem circà decimam veſpertinam in turri, unde prorupit ad alias monaſterii partes. Dubitabatur, num fortuitò accidiſſet, num per malevolos eſſet cauſata. Sectarii, quibus exoſi erant monachi, eos calumniabantur divulgantes, eos cum ſcortis in quadrageſima manducaſſe carnes, & inebriatos non curaſſe ignem. Inde confuſio & turbatio maxima in civitate: nullus manum admovebat ad extinguendum incendium, donec Hoogſtratanus & Senatus cum quibuſdam civibus catholicis accurrentes eum extinxerint, cum jam magna monaſterii pars conſumpta eſſet.

Tur-

Turbatio autem ex hoc accidenti tanta erat, ut putaretur civitas prodita.

Anno 1567.

16. Febr.

Gubernatricem eâdem hâc die reſpondiſſe ad Libellum ſupplicem Fœderatorum, indicant *Strada*, *Haræus* & *Surius*; verùm *P. Bor.* differt ad 26. hujus menſis.

Gubernatrix reſpondet ad fœderatorum Libellum.

Reſpondit autem non per apoſtillam, ſed per epiſtolam miſſam ad Brederodium & ſimul typis vulgatam, cujus ſubſtantiam referunt Strada *in fine Lib. V.* & Bor. *fol.* 105. *verſo.* In ea *non aſſequi ſe*, ajebat Gubernatrix, *qui Nobiles ſint ii quique populus Belgarum, quorum nomine hæ litteræ mitterentur; cum plerique eorum Nobilium, qui Aprili menſe ſupplicârunt, non modò ſatisfactum jam ſibi conteſtentur, ſed etiam quotidie operam ſuam Regi oblatum veniant. Conciones à ſe tantummodo eſſe permiſſas, idque adeo repugnanter, ut conſtare poſſit, quam fuerit aliena, poteſtatem ut fecerit conſiſtoria inſtituendi, creandi Magiſtratus, tributa imperandi, corrogandique ſuper vicies centena florenûm millia, catholicorum hæreticorumque matrimonia, atque adeò ſucceſſiones honoreſque confundendi; præter calvinianas cœnas & quotidianos cœtus: in quorum plerisque cùm Principis & Magiſtratuum auctoritati palam derogetur, ac nova paulatim Reſpublica inducatur; videant quàm veriſimile ſit, hæc (quæ tamen ipſi cæremonias religionis interpretentur) tantâ cum divinæ Majeſtatis & Regis injuria Gubernatricem permiſiſſe.*

Securitati eorum cautum à ſe eſſe: cautionemque ſervatam ac ſervandam etiam fuiſſe; non tamen in iis, quæ adverſus Religionem ac Regem exercerentur. Nam cur ii, qui violatam fidem queruntur, ſilentio tranſmittant, poſt pacta conventaque Auguſti menſis, tam multa perfidè ac ſacrilegè patrata, templa direpta, ejectiſque

Anno 1567. 16. Febr. *ejectiſque inde religioſis familiis occupata : conciones, advocatis aliunde hæreſum buccinatoribus, eò, ubi audita ante non fuerant, vi atque armis inductas : urbes atque provincias ad ſeditionem defectionemque litteris aut per emiſſarios ſolicitatas : aliaque, quorum auctores fuerint ipſi, qui ſupplicent ? Horum nimirùm patrocinio populum auſum eſſe, in tormenta bellica munitioneſque Regis invadere ; Principis adminiſtros expellere ; ad tympanorum ſignum in aciem prodire ; cœnobia ædeſque Nobilium ferro flammâque vaſtare, urbes obtinere ; catholicos omnes, nè ſe quidem Gubernatrice exceptâ, ad cædem deſignare, ingentemque Belgio cladem occultè moliri, niſi, interceptis nefariorum litteris ad Valencenates, execrandis adeo conſiliis divina bonitas interceſſiſſet.*

Ex his eos intelligere, quàm importunè poſtulent ut abrogentur Edicta ac milites exauctorentur, id eſt, ut exarmata in hunc modum juſtitia improborum injuriis exponatur. Neutrum ſe, nè ignorent eſſe facturam : quin novis, ſi opus fuerit legibus atque militibus firmaturam inde Rempublicam ; gladiumque, quem portare Principes voluit Deus, hoc maximè tempore non depoſituram. Suadere itaque illis, ut à publicis certè negotiis abſtineant, ac res quiſque ſuas impoſterùm curent ; neve Regem brevi affuturum ingenitæ bonitatis oblivisci cogant. Se quidem omni ope curaturam, nè, quam ipſi ruinam comminentur, per hæc vulgi turbamenta Belgium patiatur. Ita Strada, loco citato.

17. Febr. Reſponſum hoc nullatenùs placebat fœderatis Nobilibus nec cæteris ſectariis : reflectebant enim Gubernatricem jam armatam, cui res rectè cedere videbantur, ultrà non velle ſimulare. Hinc conſternatio, præcipuè cum viderent, quoſdam

Fœderati timentes conſcribunt milites.

quoſdam præcipuos, in quibus confiſi fuerant, incipere deflectere & redire ad regiam clementiam; inter quos Comes Bergenſis & alii indies plures ſeriò à fœdere diſcedentes. Alii, qui conſtantes manebant, rebus ſuis providebant, & contribuebant ad conſcribendos milites, & munitiones quærebant, ubi licebat, Brederodius, Battenburgii, Thoulouſius aliique fœderati ubique conſcribebant milites, jam non tantùm occultè ſed & publicè, oculoſque tendebant in plures civitates notanter Antverpiam, Amſtelodamum, Uultrajectum, Sylvam-ducis & in alias præcipuas regionis civitates. P. Bor. *loco citato*. Anno 1567. 17. Febr.

Hinc ad Antverpiam cœperunt plures turmatim congregari in *Dam-brugge* extrà portam rubram. Geſtabant illi pro ſigno militari in pileis caudas vulpinas; & quia vulgò neſciebatur, quis eorum ductor eſſet, dicti ſunt caterva vagabunda *verloren hoop*. Multi congregati in *Dambrugge*.

Inſuper ferebatur Nobilem quemdam, dictum *Van der Aa*, occultè hìc conſcribere tot quot poterat milites. Orangius vel ideo dictum Nobilem coram ſe citavit, & Marckgravio mandatum eſt, ut eum apprehenderet; verùm non comparuit coràm Orangio & ſe ſubducens evaſit manus Markgravii. Et conſcripti in civitate.

Civitati itaque undique timendum erat, tum propter commotionem occaſione incendii apud Minoritas; tum propter conſternationem Nobilium fœderatorum, quorum plures agebant in hac civitate, & ſectariorum occaſione reſponſi Gubernatricis, quod jam typis vulgatum erat; tùm propter congregatos in *Dambrugge* & peregrinos, qui vagabantur per civitatem & per Burſam etiam tempore, quo mercatores ibidem ſua peragebant, quique credebantur conſcripti per prædictum Nobilem aut alios. Hinc civitati timendũ erat.

Senatus

Anno 1567. 18. Febr. Mandat diſcedere vagabundos.

Senatus itaque timenda prævenire volens & civitati opportunè providere, Edictum publicavit 18. Febr., quo mandabatur prædictis peregrinis, otioſis & militibus, qui non erant in ſervitio civitatis, diſcedere ex civitate ejuſque districtu ante ſolis occaſum ſub pœna corporali. P. Bor. *fol.* 109. *verſo*. Surius *pag.* 914. Antw. Chron. *pag.* 107.

Diſcedunt in *Dambrugge*.

Ad hoc mandatum, inquit *Bor*, exiit in *Dambrugge* turba occultè conſcriptorum, ibidemque hæſerunt: verùm *Antw. Chron.* dicit exiiſſe multos Walones, qui diſcedentes in *Dambrugge*, nomina ſua inſcribenda dederunt inter catervam vagabundam ibidem conſidentem, & pro ſigno in pileis aſſumpſerint caudas vulpinas.

Marckgravius ad eos iteratò exit.

Eodem die circa tertiam pomeridianam ad eos exiit *Joannes van Immerſeel* Marckgravius cum ſatellitibus: acceſſit autem unus geſtans caudam vulpinam, petens ab eo exhiberi ſalvum conductum. Tanta audacia perculit Marckgravium, qui timens ſibi & ſuis reverſus eſt in civitatem, ut magis ſtipatus ad eos tenderet. Rediit itaque ad eos ad horam quartam cum *D. Anthonio Stralen*, *D. Theodoro Brecht* & quinquaginta armatis, ut illis inhiberet conſcribere milites contrà Regem, & præciperet inde diſcedere. Surius *pag.* 914. eos miſſos dicit à Senatu, ut ab illis perquirerent, quâ niterentur authoritate: verùm miſerè irriſos fuiſſe refert ab improbis illis, qui à Markgravio vi extorquere voluerunt, ut clamaret: *Vivant Geuſii.*

Antw. Chron. *pag.* 108. magis in particulari rem hanc narrat, dicens quod, cùm prædicti exiiſſent, in ſtrata verſus *Dambrugge* obvium haberent Walonem tendentem verſus civitatem, quem Markgravius monens, dixit, ut

recederet. Quod cum ab aliis viſum eſſet, tres acceſſerunt clamantes: *procede ultrà*, & Markgravio dicentes *contine te &c. nè te moveas, alioquî vivus non recedes.* Anno 1567.

Ductor autem vagabundæ catervæ videns Antverpienſes armatos veniſſe, à *Dambrugge* acceſſit cum trecentis circiter Walonibus, qui ſtrictis gladiis Antverpienſes circumſteterunt; eoſque aggreſſi fuiſſent, ſi non obſtitiſſet præſentia *D. Strälen*, qui erat Dominus *in Merxem* & *D. mbrugge*, quique ipſos monebat ex parte Regis, nè ultrà conſcriberent, in armis exercerent aut cuiquam è conſortio ſuo malum inferrent. Interim Markgravio & *D. Brecht* multas injurias irrogârunt, volentes, ut clamarent *Vivant Geuſii*; plures è comitatu læſerunt, & plurium arma abripuerunt, ita ut omnes ad evitandam mortem in civitatem fugere coacti ſint. Ita *Antw. Chron.* Malè excipi tur.

Hæc cum relata fuiſſent, ſcripſit ad eos Orangius & præcepit ſub indignatione Regis, ut ſtatim inde diſcederent, alioquin pro ſervitio Regis & Civitatis cogeretur, contrà eos vî procedere. Reſponderunt autem, ſe obedituros. P. Bor *fol.* 109. *verſo.* Orangius mandat ut inde diſcedant.

Interim ipſâ nocte, antequam diſcederet caterva iſta, violentiam magnam exercuerunt in pagis circumvicinis, in æſtivalibus Nobilium & civium domibus; inter alia in *Merxem* in domibus Gaſparis de Mera & Franciſci Donker Canonicorum; in *Wommelgem* in domo Joannis Carels, in *Deurne* in domo Gerardi Sterck & aliorum, in quibus omnia vaſtârunt & præcipua mobilia & arma in illis inventa, curribus impoſita, retulerunt in *Dambrugge.* Spoliant nobilium domus.

Poſtridie juxtà mandatum Orangii deceſſerunt à *Dambrugge*, proceſſeruntque in *Ouſterweel* pagum vicinum ſitum ad Schaldim, ibidemque 19. Febr. Diſcedunt in Ouſterweel.

incolis

Anno 1566. 20. Febr.

incolis perquàm moleſti fuerunt. Non ceſſarunt autem ibidem conſcribere omnes ſeſe offerentes, ſine diſtinctione ætatis : plurimoſque inde navi tranſmiſerunt in Hollandiam, Zelandiam & Flandriam ad ſibi ſimiles. Antw. Chron. *pag.* 109.

Articuli à Gubernatrice propoſiti ad ceſſationem Prædicationũ

Duo Articuli ab Antverpienſibus Gubernatrici exhibiti 12. hujus, quibus conarentur inducere ſectarios ad omittendas prædicationes, illi non placebant. Unde, poſt plures deliberationes, alios eum in finem Articulos concepit & conſcripſit, quos deputatis Antverpienſibus tradidit 22. febr. Refert illos P. Bor *fol.* 109. ſicque ſonant.

1. Omnes omnium ſectarum miniſtri & prædicutii ſtatim diſcedent, & dabitur illis ſalvus conductus.

2. Omnes prædicationes & exercitia dictarum ſectarum ceſſabunt cum omnibus dependentiis; ut Conſiſtoria, Congregationes &c. collectiones pecuniarum & ſimilia.

3. In priſtinum ſtatum reſtituentur Eccleſiæ deſtructæ & ſpoliatæ.

4. Servitium divinum, ſi reſtitutum non ſit, reſtituetur cum catholicis prædicatoribus & aliis eccleſiaſticis ceremoniis, ſine ullo impedimento aut verbis aut factis in perſonis vel bonis eccleſiaſticis.

5. Ceſſabit etiam conſtructio novorum templorum; & poſt declarationem Regis, ſi Rex velit, deſtruentur extructa.

6. Nihil interim novi introducetur in antiqua religione.

7. Cives remanſuri in civitate talem exhibebunt Regi obedientiam, qualem decet bonos & fideles ſubditos; & ſervabunt Edicta illius, inter alia illa, quæ edita ſunt tempore harum turbarum.

8. Nulli

8. Nulli tolerabuntur vagabundi., proſcripti, fugitivi nec peregrini ſectarii, fugitivi apoſtatæ aut ſimiles reipublicæ nocivi. Anno 1567. 20. Febr.

9. Juſtitiæ auctoritas, reverentia & ſubjectio reſtituentur.

10. Milites pro tempore, quo erunt in ſtipendio civitatis, obedientiam jurabunt Regi & obſervantiam punctorum & articulorum præmiſſorum.

11. Quo facto & mediantibus prædictis promittetur illis per Gubernatricem, quod non viſitabuntur, moleſtabuntur, impedimentum nec proſecutionem patientur ullo modo in prædicta civitate aut aliis locis ſubjectis Regi, in perſonis aut bonis ob cauſam religionis; donec & uſque Rex de conſilio Conciliorum & Statuum (prout ſe velle declaravit) deſuper ordinaverit: quam ordinationem tunc, ſicut alias hujus citerioris regionis, tenebuntur obſervare.

12. Quòd illi, qui non volent obſervare Edicta & Decreta Regis in cauſâ religionis, habebunt ſalvum conductum, & debebunt diſcedere intrà tempus per Regem de concilio ut ſuprà præſcribendum.

13. Exceptis iis, qui haberentur rei criminis læſæ Majeſtatis, contemptûs, confractionis aut ſpoliationis templorum, homicidii, rebellionis aut conſpirationis contrà Regem, & aliarum ſimilium perpetrationum.

14. Omnia hæc ſub beneplacito Regis, ad quem Gubernatrix ſcribet fávorabiliter. Et interèa ceſſabunt prædicationes, exercitia religionum & quæcumque indè dependentia; ſicut & eo tempore ceſſabunt pœnæ ob cauſas religionis, uſque ad reſolutionem & terminationem Regis, ut ſuprà.

15. Gubernatrice eos monente & exhortante, quate-

Anno 1567. 20. Febr. quatenus prædictis ſeſe conforment, idque quàm primùm, ut tantò magis placeant & ſatisfaciant Regi: certi, quod ſimulac ſe ſic gerent, tantò faciliùs obtenturi ſint gratiam de anteà patratis, pro qua Gubernatrix apud Regem libenter intercedet.

Sic conſultum & concluſum Bruxellis xx. febr. 1566. ſtylo Brabantiæ (id eſt ſtylo hodierno 1567.) Subſignatum *Berti*.

22. Febr. Traduntur deputatis Antverpienſibus. Gubernatrix hos articulos 22. febr. tradidit in manus deputatorum Antverpienſium, qui illos retulerunt ad ſuos. Hi autem cœperunt deliberare, qualiter hæc proponerent ſectariis. Id autem demùm peractum eſt 27. hujus menſis, ut infrà dicetur.

25. Febr. Conſcripti in Dam-brugge. proſcribuntur Intereà Senatus volens prævenire mala timenda ex parte catervæ vagabundæ, quæ jam ductores habebat *Tholouſe* & *Neufville* (P. Bor *fol.* 152:) ne qui ultrà excurrerent ad illi danda nomina ſua, & ad impediendam communicationem, quæ cum illa in civitate intertineri credebatur, publicè 25. febr. proſcripſit omnes, qui excurrerant & nomina ſua inſcribenda dederant in *Dambrugge*, & fiſco addixit omnia bona domûs illius, in quâ quis reperiretur conſcriptus contrà Regem. *Antw. Chron. pag.* 110.

Gubernatrix ſcribit ad Civitates pro conſervatione earumdē Sequenti die Gubernatrix ſcripſit ad Magiſtratûs omnium civitatum, ut vigilarent diu noctuque ad conſervandas civitates, eaſque in tuto ponerent adverſus omnia incommoda, quæ illis obvenire poſſent per machinationes ſectariorum & ſeditioſorum. Et ſi infrà limites earumdem comperirentur milites, non habentes mandatum à Rege, eos aggrederentur & apprehenderent, ac vi pellerent, adhibentes omnem diligentiam; ſi coram Rege, qui brevi expectatur, velint eſſe innoxii.

Senatus

Senatus Antverpienſis cum recepiſſet à Gubernatrice ſuprà relatos articulos ad procurandam ceſſationem prædicationum, convocavit deputatos calviniſtarum & Lutheranorum, & eos 27. Feb. cum certis ſuaſionibus illis propoſuit, prout latè refert P. Bor. *fol.* 108. Anno 1567. 27. Febr.

Senatus proponit ſectar iis ceſſationem Prædicationũ

Propoſuit illis, quòd menſe ſeptembri cum illis initus ſit contractus hactenùs ex parte ſuâ obſervatus; quòd ex parte civitatis ſollicitaverit convocationem Statuum generalium, ut omnia diſponeret Rex de eorum conſilio, quam hactenùs obtinere non potuerat; quòd Gubernatrix intimaverit Regem brevî venturum, ut coràm omnia diſponat; quòd Rex deſideraverit omnia ſic diſpoſita, ut neceſſè non foret venire aliàs quàm cum ordinario comitatu; quòd conſequenter neceſſè ſit, tum propter mutationem temporis, tum nè Regi cauſa detur veniendi cum ingenti copia peregrinorum (quam jam parare cœpit) adhibere omnia media ad ei ſatisfaciendum & exhibendam obedientiam, & ad demonſtrandum, omnes tamquam bonos cives nihil aliud velle, quàm ut res decidatur per Regem de conſilio Statuum; ut non opus ſit adducere peregrinum militem; quòd ſi Rex ſic cum peregrinis veniat & data non ſit ei ſatisfactio, nullus dubitat, quin ſecutura ſit ruina civitatis & totius patriæ, cum effuſione ſanguinis & amiſſione bonorum & vitæ innumerabilium. Sequetur etiam diſceſſus mercatorum, qui ſe malis iſtis exponere nolent; unde ceſſabunt mercatura, navigatio & opificia; ſequetur & ablatio privilegiorum & indè paupertas.

Rationes inducentes.

Inde concludit Senatus, ideò unumquemque, etiam in conſcientia, teneri quærere & adhibere omnia media ad præveniendas ſimiles calamitates. Deliberandum itaque feriò, inquit, de

Anno 1567. 27. Febr.

iſtis mediis. In eum finem autem indubiè conducet ceſſatio & ſuſpenſio prædicationum & exercitiorum religionum in hâc civitate & in circumviciniâ, pro aliquo tempore, ſub tali conditione & ſecuritate, qualis in ea re concedi poterit: quo ſuper Orangius, Hoogſtratanus & Senatus parati ſunt operam ſuam impendere apud Gubernatricem. Nam ceſſantibus prædicationibus exhiberi poterit Regi, neceſſe non eſſe, ut in cauſa religionis procedat vî aut adducat peregrinum militem; ſed tantùm ut adhibeat conſilium Conciliorum & Statuum generalium. Conveniret autem, inquit, ut Religionarii in id conſentirent ob rationes præſcriptas, attento quod inde nihil novi ſtatuatur in puncto religionis, ſed ceſſet Inquiſitio & rigor Edictorum; & determinatio in cauſa Religionis reſervatur Regi cum conſilio Conciliorum & Statuum generalium. Et ſi Religionarii in hac civitate admittant ceſſationem, cauſabunt omnia bona non tantùm civitati ſed etiam toti patriæ; cum ſciatur plures civitates jam decreviſſe ceſſationem, ſi id fiat in hac civitate. Et ſi hìc non fiat, imputabuntur illis omnia mala inde ubique ſecutura. Et certè illorum magis quàm aliorum intereſt: quia ſi eo medio non placetur Rex, nihil aliud expectare poterunt, quàm tractari in ſummo rigore & non audiri in cauſa religionis. Tandem finit dicens: pluſquam neceſſe eſt ſuper hoc medio deliberare, idque quàm primùm, ut præveniatur diſceſſus Regis ex Hiſpania.

Sectarii ad hæc reſpondent. Replicat Senatus.

Deputati ſectariorum, habitâ deſuper communicatione cum religionariis, dixerunt ſe hactenùs aliam commiſſionem non habere, quàm ut ſenatui in mentem reducant contractus & antehac pro tranquillitate civitatis peracta: & ut

ut inquirant, num contractus illos obſervare velit, num infringere. Reſponſum eſt autem illis, non agi hìc de obſervandis aut infringendis contractibus, ſed num exhibita ſervirent ad demonſtrandum, neceſſe eſſe quærere medium ad ſatisfaciendum Regi, & ad evitandas inconvenientias ac propriam omniumque ruinam: adeoque ulteriùs deliberarent, & favorabilius reſponſum ferrent. Quòd ſe facturos promiſerunt. P. Bor. *fol.* 109. *verſo*. Anno 1567. 27. Febr.

Cùm prædicta ceſſatio jam ante inſinuata fuiſſet, admodùm exacerbati erant ſectarii, & infenſi erant monachis, notanter Minoritis: ùnde timebantur ita, ut nullus in habitu monaſtico comparere auderet in platea; ſed mutatis veſtibus ibant & redibant. Accedente prædictâ propoſitione factâ deputatis eorum, calviniſtæ quidam ipſo die poſt meridiem tumultuari cœperunt, & minoritam, qui eâ ſeptimanâ in B. Mariæ concionabatur & eò venerat mutatis veſtibus, pòſt concionem redeuntem in ipſa eccleſiæ porta trucidare conati ſunt. Verùm feliciter furorem evaſit. *Antw. Chron. pag.* 110. Calviniſtæ trucidare volunt Minoritam.

Jacobus Marnixius Tholoſæ dominus, unus ex conjuratis (inquit Strada *pag.* 270.) 2. martii ſexcentos milites tribus navigiis impoſitos Antverpiâ (potiùs ex Ouſtruweel, ut indicat P. Bor *fol.* 109.) prono flumine in Zelandiam ſubvexit, eo conſilio, ut dum alibi alia turbantur, ipſe Fliſſingam totamque Walacriam inſulam invaderet. Sed anteverterat Margareta. Itaque ubi venêre in inſulæ conſpectum, Tholoſiani facile rejecti ſunt, & in Brabantiam eodem flumine remeârunt, atque ad Oſterwelam conſiſtentes in ripa ſchaldis caſtra pronunt, foſſiſque atque aggeribus communiunt: auctique indies exulum ac fugitivorum catervis, tamquam 2. Martii. Auſtruweelenſes augentur & ſe muniunt.

 azilo

Anno 1567. 2. Martii. azilo omnibus patefacto, in vicina opida vicoſque manipulatim procurrere, templa incendere, ſpoliare, prædis onuſti redire in caſtra, Antverpiæ ipſi, ut factionibus diſcordi, ita confidentiæ aut terrori eſſe. Ita Strada & conſentit Haræus *Annal. tumul. pag.* 68.

5. Martii. Antverpienſes mandant ipſis ut diſcedant. Cum Antverpia meritò ſibi inde timeret, Orangius, Hoogſtratanus & Senatus litteras patentes conſcripſerunt 5. Martii, quas nominibus & ſigillis ſuis munierunt, eaſque miſerunt ad Ouſtruweelenſes per Nobilem è comitatu Orangii, per Officiarium loci & nuntium civitatis. Per eas mandabatur illis, quatenùs poſt trium horarum ſpatium à publicatione inde diſcederent, & caverent in dicto pago aut circà congregari aut milites conſcribere: minantes ſe alioquin vì contrà eos proceſſuros, tamquam contrà inobedientes Edictis regiis. Cum autem dictæ litteræ inſinuatæ fuiſſent, deceſſerunt ex Ouſtruweel in Flandriam; ſed, poſterâ die redierunt ad priſtinum locum, ibidemque iterùm cœperunt conſcribere omnes ſeſe offerentes. Hinc iteratum fuit prædictum mandatum: & licèt Tholoſius promiſiſſet ſe obediturum, inde tamen non deceſſerunt; ſed audaciores facti ſunt per acceſſionem duarum navium onuſtarum militibus, quæ ipſâ nocte appulerant. P. Bor. *fol.* 110.

Cura Senatus in civitatè. Senatus non dubitans, quin Ouſtruweelenſes occultam communicationem haberent in civitate, cives continere volens, prohibuit hâc 5. hujus, ne quis nova nuntia divulgaret: quia quiſque nuntia divulgabat prout erat affectus; unde turbatio continua inter cives. Prohibuit inſuper, nè quis venderet arma deferenda extrà civitatem ſub pœna arbitrali; & ſtatuit Scabinos duos ad ſingulas civitatis portas, qui peregri-

peregrinorum intrantium nomina ac hoſpitia peterent & notarent. *Antw. Chron. pag.* 110. Anno 1567. 7. Martii.

Dein effectus obſtinationis & audaciæ eorum prævenire volens, deliberat Senatus cum Orangio & Hoogſtratano, num expediret armatâ manu eos pellere. Id quidem neceſſe judicatum eſt, ſed conſultum non videbatur id efficere per milites domeſticos; quia timebatur, nè, dum illi exiiſſent, mala excitarentur in civitate: dubitandum enim non erat, quin Ouſtruweelenſes illic complices haberent. Unde concluſum eſt, mittere ad Gubernatricem & ſupplicare, quatenùs ipſa deſuper provideret & milites mitteret, qui congregatos in Ouſtruweel pellerent. Tendit autem Bruxellas Hoogſtratanus, indubiè rem hanc expoſiturus. Petit auxiliū à Gubernatrice.

Gubernatrix perceptâ neceſſitate & Antverpiæ potiſſimùm metuens, nè Tholoſius illato in urbem exercitu firmaret geuſiorum partes, acceſſiri ad ſe curavit Philippum Lanoïum Beauvorii Dominum, eique mandavit, ut iret ageretque contrà Ouſtruweelenſes ſine ulla clementia; & equites peditesſque, quos duceret, voluit quàm citiſſimè paratos. *Strada.* 8. Martii. Gubernatrix decernit milites in Ouſterweel.

Intereà caterva iſta eâdem hâc die excurrit in Merxem, ubi domum Joannis de Greve Droſſardi Brabantiæ invaſit, indeque omnia mobilia & arma abſtulit. *Antw. Chron. pag.* 111.

Comes Hoogſtratanus 9. martii Bruxellis Antverpiam rediit, ferens nuntium, Gubernatricem milites deſtinâſſe ad expugnandos Ouſtruweelenſes. Quo intellecto Senatus ad præcavenda incommoda, juſſit pontem ad portam, quæ ducit in Ouſtruweel, exſcindi, ſicut & ulteriores ligneos pontes, qui erant ſuper canalibus in eadem via. Id autem ipſâ die exequi 9. Martii. Pontes verſus Ouſtruweel dejiciuntur.

Anno 1567. 9. Martii. curavit D. Theodorus Brecht. *P. Bor. Antw. Chron.* Verùm Strada refert Orangium Gubernatrici ſignificaſſe ſe pontem prædictum exſcindi juſſiſſe, nè geuſii Antverpiâ erumpentes Tholoſianis opem ferrent; ſed dubitat, an non potiùs id feciſſet, nè catholici erumpentes opem tuliſſent Lanoïo. Dein etiam portæ civitatis verſùs eam partem claudi juſſæ ſunt, neſcientibus Antverpienſibus quò ea cura tenderet.

10. Martii. Ouſtruweelenſes excurrunt in Deurne. Interim caterva Ouſtruweelenſis prædæ inhians excurrit 10. menſis in Deurne; domus æſtivales invaſit & omnia, quæ invenit, mobilia & arma inde abſtulit. Idem fecit in domo Curati, qui erat religioſus Abbatiæ S. Michaëlis. Hic niſi per undas foſſæ domum cingentis fugiſſet, ab eis trucidatus fuiſſet.

11. Martii. In Ouſterweel. Hoc tempore intellexit caterva iſta, ex parte Aulæ ad ſe directos milites: unde regreſſi in Ouſterweel ulteriùs locum munierunt; foderunt foſſas, nè equites tranſirent, & aggerem munierunt curribus, quos in horreis invenerunt. Interim ibidem damnum magnum effecerunt in eccleſia, in domo paſtorali & æſtivalibus domibus, omnia vaſtantes & auferentes.

12. Martii. In Wilmerſdonck. Idem poſterâ die 12. menſis effecerunt in *Wilmerſdonck*, ubi inter alias validam domum Petri van Dael Canonici Antverpienſis aggreſſi ſunt. Qui intrà erant, conabantur ſe defendere; ſed cum unus occiſus eſſet, reliqui ſe dediderunt; & malevoli intrantes omnia vaſtârunt & ſpoliis onuſti redierunt. *Antw. Chron. pag.* 112.

13. Martii. Milites tendunt in Ouſtruweel. Sequenti nocte milites deſignati ab Aula properârunt in *Ouſterweel*, quò 13. menſis ſummo mane (ut refert *Surius* & *Antw. Chron.* ſeu ſextâ matutinâ, ut Haræus) advenerunt. Verùm *P. Bor*, refert illos eò tendentes viſos fuiſſe è mœnibus inter ſeptimam & octavam ma-

tutinam

tutinam : unde, inquit ¡, ſtatim clamor in civitate, velle calviniſtas vi erumpere & ſuis in auxilium exire. Hinc mox undique magnus numerus eorum cum baculis & armis properavit ad pontem Meranum, ampliſſimum totius urbis locum, quò in prædictum finem convenirent. Id etiam indicat Antverpienſis Senatus in *Juſtif. ſua apud P. Bor. fol.* 152. *verſo.* Anno 1567. 13. Martii.

Intereà Lanoïus cum ſuis loco appropinquans aggreſſus eſt inexpectatus catervam vagabundam : nec ſubitò Tholoſius ſuos rectè diſponere poterat, cum plerique eſſent tyrones, quibus arma & diſciplina militaris peregrina erant: unde etiam pauco tempore reſtitêre & diſſipatis ordinibus brevi cæſi & in fugam acti fuêre. Ultrà ducentos in loco peremptos, dicit *Surius*; alii fugerunt in horrea ſeu domus propinquas, quibus per Regios incenſis, miſerè omnes flammis interempti ſunt, inter quos Toloſius Dux eorum periit; plurimi in Schaldis fluvio perierunt; alii ad propinquos pagos fugientes per inſequentes trucidati ſunt; pauci ſalvi evaſerunt. Putat *Strada* periiſſe in hac pugna mille quingentos & captos fuiſſe circiter trecentos, qui penè omnes Beauvorii juſſu jugulati ſunt, quòd, inquit, erupturi Antverpienſes opem reliquiis victæ factionis allaturi crederentur. Inter fugientes captus eſt unus non poſtremi hominis, inquit *Surius*, qui multa geuſiorum arcana detexit, ſecumque habuit catalogum eorum omnium, qui nomen militiæ dederant. Idem refert P. Bor, qui dicit inde multa ſecreta detecta eſſe in magnum reformatorum præjudicium. Tres autem tantùm in hac pugna ex parte Regiorum deſideratos fuiſſe indicat *Antw. Chron.* Cæduntur Ouſtruweelenſes.

Anno 1567. 13. Martii.

Calviniſtæ excurrere volunt in auxilium.

Spectabant è mœnibus pagnam iſtam Antverpienſes, ſed diverſis votis. Calviniſtæ nuntiaferunt ad congregatos in ponte merano. Hi per duces ſuos diſpoſiti, fratribus ſuis auxilium laturi, procedunt furibundi ad portam lutoſam, quæ ducit in *Ouſtruweel*; ſed cum viderent pontes dejectos, irati tendunt ad portam rubram, quam clauſam effringere cœperunt. Accurrunt Gubernatores Orangius & Hoogſtratanus, ut eos à propoſito divertant. Indicant, Ouſtruweelenſes jam cæſos, & ſe eandem ſortem ſubituros, cum equos non haberent ac diſciplinam militarem ignorarent. Minantur illi & injurias impetunt, vocantes eos proditores, ac Orangio totius luſûs cauſam in faciem fricant. Tandem Orangius, ut exacerbatos iſtorum animos ſedaret, conſentit, ut exeant quingenti, ſed non plures, proteſtans ſe id coactè concedere & partem nolle in ſecutura ſanguinis effuſione.

Regrediuntur ad pontē meranum & tumultuantur.

Verùm calviniſtæ nihil ultrà obtinere valentes, revertuntur ad pontem Meranum, ubi & numerus & audacia eorum ſic accrevit, ut abeuntes ex illis ad armamentarium *den Eeck-hof*, vi indè extraxerint graviora tormenta; quæ ducentes ad pontem meranum, locaverunt ad ſingulos aditus contrà quoſcumque moleſtare volentes. Conclamant inſanè invadendam Curiam, Magiſtratum in alios transferendum, clerum omnem ac religioſos ex urbe pellendos. Accurrunt Gubernatores, nihil omittentes, quo ſeditioſos & furibundos ſedarent & diſſiparent ante noctem. Verùm nihil efficere valentes tractatum conceperunt, quem per octo eorum deputatos ſubſignari facerent. Puncta illius Tractatûs refert P. Bor *fol.* 111. hoc modo.

1. Claves

1. Claves portarum civitatis Antverpienſis erunt in manibus Principis Orangii & Comitis Hoogſtratani. Anno 1567.

2. Vigiliæ ſervabuntur ſimul per cives & per milites domeſticos, & cives nominabunt Capitaneos ſeligendos per Orangium. Primus tractatus propoſitus calviniſtis.

3. Hac nocte cives ponent mille ducentos ex civibus ad conſervandas portas & regiones civitatis, ac ad omnia, quæ concernunt ſervitium Regis & bonum civitatis.

4. Magiſtratus non admittet præſidium militare qualecumque ſine conſenſu univerſæ communitatis.

5. Cives ſub juramento fideles erunt Regi, civitati & civibus ad conſervanda privilegia eorum, notanter Læti ingreſſûs.

6. Omnia prædicta erunt ſine præjudicio aut imminutione contractuum initorum in cauſa Religionis. Et omnia eo die peracta cenſebuntur acta pro conſervatione civitatis.

Interim nè ſeditioſi, prout indicaverant, curiam invaderent, Senatus eam munierat armatis, & in foro poſuerat plures cohortes militum domeſticorum, eorum nempe qui civitati fideles manſerant: nam aliqui poſitis armatis tranſierant ad ſeditioſos in ponte merano, qui deinceps puniti ſunt.

Prædictus autem Tractatus, cum relatus eſſet ad pontem Meranum & ſeditioſis prælectus, non tantùm non placuit, ſed & plurimùm diſplicuit. Clamabant unanimiter, ſe velle locum in foro; quòd æque cives eſſent ac milites domeſtici & alii, qui forum occupabant & cuſtodiebant. Unde nullatenùs ſedati totâ nocte manſerunt in armis. Tractatus non placet ſeditioſis.

Poſtridie manè non minùs furibundi quàm pridie, eccleſiaſticos expulſos volebant. Invadunt plura monaſteria, Minoritarum, Prædicatorum 14. Martii. Invadunt monaſteria & Carcerem effringunt.

Anno 1567. 14. Martii. catorum & Carmelitarum ; & ut ſuæ indulgerent libidini quoſdam Minoritas extractos è monaſterio ludibrio expoſuerunt & bombardis onuſtos circumduxerunt. Quemdam Capellanum B. M., nomine Petrum Colput, obvium habentes viâ *de Cammerſtraet*, compulerunt clamare *Vivant Geuſii*, alioqui ducendum ad pontem meranum. Currunt ad carcerem, eum infringunt & omnes captivos dimittunt.

Armati tendunt ad Curiam. Poſt meridiem calviniſtæ ſignis explicatis è ponte merano per *Kipdorpiam* tendunt ad Curiam (P. Bor, qui id pridie accidiſſe refert, aſſerit fuiſſe numero tria millia) cumque perveniſſent ad plateam *Mooriaenſtraet* ſteterunt & deputatos ſuos miſerunt ad Curiam, ad agendum cum Senatu & proponenda quædam puncta : quæ indicat Antw. Chron. *pag.* 116. nimirùm.

Petita ipſorum. 1. Ut omnes Eccleſiaſtici cum omnibus papiſtis agantur extrà civitatem.

2. Ut tradatur Curia in ſua poteſtate, alioquî eam vî invaderent.

3. Ut ſibi tradantur claves portarum civitatis & armamentarii, ita ut nullus ingrederetur aut egrederetur, niſi de beneplacito Hermanni prædicutii & deputatorum ſuorum. Volebant inſuper ſibi tradi à civitate pulverem tormentarium & pilas.

4. Denique ut ſex ſenatores ſibi tradantur, *Joannes van Immerſeel* Markgravius, Dominus Ammannus, *Henricus van Berchem* primarius Burgimagiſter, *Lancellottus van Urſel* cum filio civitatis theſaurario & *Theodorus Brecht*, ut pro libitu de illis diſponerent. Dicebantur autem velle eos ab officio deponere & alios factionis ſuæ ſubſtituere.

Quan-

Quantùm ad primum punctum reſpondit Senatus, id adverſari contractui cum ipſis inito menſe ſeptembri. Anno 1567. 14. Martii.

Quantùm ad ſecundum punctum, dicit *Antw. Chron.* Orangium, cum videret eos forum vî velle invadere, miſiſſe ad Senatum, ut è curia diſcederent & è foro dimitterent armatos; & indicat, dein calviniſtas curiam in poteſtate habuiſſe. Sed de eo apud alios nihil legitur. Tantùm indicat P. Bor ipſis conceſſum eſſe, ut cum aliis civibus in foro æquali numero vigilias haberent, præſtito juramento, quod nec curiam attingerent nec Senatum moleſtarent. Reſpondet Senatus.

Quantùm ad tertium. Traditæ ſunt claves in manus *Joan. de Pape* ſcabini ad uſum calviniſtarum: quas cum in poteſtate haberent, feſtinârunt ad portam rubram, ad *Bier-hooft* & *Werf-poort*, & intromiſerunt qui evaſerant ex pugna Ouſtruweelenſi; læſos duxerunt ad hoſpitale & ſanos honorabiliter exceperunt. Quantùm ad petitum pulverem tormentarium, eis dari mandatum eſt.

Quantùm ad quartum & alia ſimilia reſponſum eſt, in poteſtate Senatûs non eſſe illa concedere ſine conſilio Orangii & lati concilii: unde rogabantur deputati, ut ſuperſederent in craſtinum, donec eos conſuluiſſent, & intereà eâ nocte ſe continerent. Hoc ſe facturos promiſerunt deputati, & diſcedentes è curia cum ſuis redierunt ad pontem Meranum. Sed nec tunc quieverunt, totâ nocte vociferantes.

Intereà, cum primus tractatus non placeret ſeditioſis & plura irrationabilia jam petiviſſent, ad quæ poſtridie reſpondendum erat; Senatus cum Orangio & Hoogſtratano novum Tractatum conceperunt, per quem ſperabant tumultuoſos pacificandos. Tractatum illum ſubjicio, Secundus Tractatus propoſitus calviniſtis.

Anno 1567. 14. Martii. jicio, prout eum refert P. Bor tom. I. lib. III. *fol.* 111. *verſo.*

1. *In den eerſten, dat alle de borgheren ende ingeſetenen deſer Stadt, hoedanighe ofte van welcker Religien (noch ter tydt by proviſien toegelaeten) dat ſy zyn, ſullen in handen van zyn Excell. ende zyner Ghenaden eedt doen, dat zy getrouw ſullen blyven de Coninckl͏ijke Majeſteyt ende deſer Stadt, de ſelve Stadt ten dienſte van de Majeſteyt ende tot ghemeen ruſte ende welvaert van der Stadt voorz., ende d'ingeſetenen der ſelver helpen bewaeren ende beſchudden naer hen uyterſte vermoghen.*

2. *Dat de Gouverneurs voorz. noch de Magiſtraet niet en ſullen binnen deſer Stadt toelaten eenigh Garniſoen noch Volck van wapenen van buyten, dan by voorgaende conſente van allen den Leden van deſer Stadt, met heuren vollen achter-raed: ſonder diſtinctie te maken ter ſaecken van de Religie.*

3. *Dat een jegelijck hen ſal moeten imployeren naer ſijn uyterſte vermoghen tot onderhoudinge van der ouder liberteyt ende previlegien deſer Stadt, ende in't beſunder van der blyder incomſte.*

4. *Dat tot gemeender ruſten ende welvaert van deſer Stadt ende conſervatie van den handel ende negotiatie der ſelver, de contracten met die van der voorz. Religien in Septembri leſtleden aenghegaen, ſullen blyven van waerden, ende achtervolgt worden ſonder contradictie, ter tyde toe by zyne Majeſteyt met zyn generale Staten op't feyt van der Religien anderſins ſal weſen geordonneert.*

5. *Dat alle de Leden, inſgelijcx die van de voorſz. Religien, eenſamentlijck de Geeſtelijckheyt van deſer Stadt, ſullen malcanderen ende elck den ander geloven ende toeſeggen, dat ſy d'een*

d'een den anderen niet en ſullen eenichſins Anno
miſdoen, maer ter contrarien malcanderen met 1567.
alle heurer macht helpen, beſchudden ende be- 14. Martii.
ſchermen, ſoo verre yemanden geweld oft over-
laſt aengedaen worde.

6. Dat tot verſeeckertheyt ende meerdere ruſte van elckerlijck, de ſlotelen van der Stadt poorten ſullen van ſtonden aen gebrocht ende gelevert worden in handen van zyne Excell. ende zyne G., ter ordonnantie van de welcken ſal ſtaen het op ende toedoen van de ſelve poorten.

7. Datter voordane ſal gehouden worden een groote ſcherpe wachte van goeden getale by de borgeren ende ſoldaten ghelijckerlijck, ſonder eenige diſtinctie te maken om der Religie, ſo ende gelijck 't ſelve na de gelegentheyt van den tyde by de Gouverneurs voorz. ſal woorden geordonneert, ende welcke waecke vordane ſal worden gehouden op ſulcken ſtraf als die Gouverneurs ſullen ordonneren.

8. Dat het gene tot noch toe gedaen is ſal verſtaen worden gedaen te weſen tot conſervatie van der Stadt, ende dat niemant daer omme noch om andere ſaecken, giſteren oft heden gebeurt, achterhaelt en ſal worden, ſo veele als't in hen is.

9. Dat elckerlijck van der waken niet weſende, hem ſal terſtont vertrecken in zijn huys, ende verſtaen tot ſijne neeringe ſo hy gewoonelijck is van doene.

10. Dat tot meerder verſeeckertheyt van der Stadt by de voorz. Gouverneurs met advyſe van den Leden ſullen aengenomen worden tot vier hondert Peerden ende de Reviere oock bewaert worden met Schepen van Oorlogen, ſo wanneer de Gouverneurs voorſchreven t' ſelve ſullen nootelijck vinden, ende dat onder ſulcke

Capitey-

Anno 1567. 14. Martii. *Capiteynen als by den ſelven by gemeenen overdraghe tot dien eynde ghecoren ſullen worden.*

11. *Dat alle ingeſetenen deſer Stadt ſo gheeſtelijcke als weerlijcke, niemant uytgenomen, ſullen moeten contribueren in de laſten ende ongelden, die ter ſaecken van deſen, ende tot defenſie van deſer Stadt ſullen nootelijck gedragen moeten worden.*

12. *Dat het geſchut ſal worden geſtelt op te veſten ende vooris weſen tot bewaerniſſen ende conduyte van de Gouverneurs voornoemt.*

13. *Want oock eenighe quaetwillige hen ſouden mogen vervorderen onder het decxſel van der Religien yet voor te ſtellen, dat ſoude tenderen moghen tot turbatie van de gemeene ruſte, vrede ende verſeeckeringhe, ſoo ſal elckerlijck, van wat Religie hy zy, nae zyn uyterſte vermogen 't ſelve helpen beletten, ende die quaetwilligben helpen achterhaelen.*

14. *Ende dat tot meerder vaſticheyt ende onderhout van deſen, de voorz. Gouverneurs ende de Magiſtraet op hen woort, inſgelijcx de Leden deſer Stadt, ende die van der Religien by eede, ſullen belooven alle de Pointten voorſchreven te onderhouden ende doen onderhouden na hen vermogen, ſonder eenichſiens daer tegen te comen ofte te doene.*

15. *Boven dien dat de knechten ende Capiteynen, als nu in dienſte weſende, ende diemen noch by gemeenen accoorde ſoude moghen aennemen, dit jegenwoordigh verdrach oock ſullen moeten beſweeren.*

Tot vaſter effectuatien van deſen generalen vreede, ſoo bidden alle de Leden van deſer Stadt, inſghelijcx die van der Religie, dat zyn Excellentie ende zyn Ge., volgende hen goetwillige affectie ende preſentatie willen in der ſelver continueren, ende tot dienſte van zyn Majeſteyt

Majeſteyt, ende ruſte van deſer Stadt blyven volſtaen, hen t'ſelve gantſchelijck toebetrouwende, ten ſelven ſijne hen gheheelijck ſubmitterende ter ordonnancie van den ſelven Heeren, dien ſy oock-ootmoedelijck bidden de protectie van hen ende van deſer Stadt ende ingeſetenen ten dienſte van de Majeſteyt ende ghemeenen welvaert te willen aenveerden. Anno 1567. 14. Martii.

Aldus gedaen geſloten ende geaccordeert op ten veerthienſten Martii anno 1566. *ſtilo Brabantiæ* (id eſt ſtylo hodierno 1567.)...

Onder ſtont geſchreven: Guilliaume de Naſſau, Anthonie de la Lain, ende ter ordonnantie van myn Heeren Marcgrave, Amptman, Burghemeeſteren, Schepenen, oude Schepenen ende Raedt der Stadt van Antwerpen. Onderteekent: Polites.

Tractatum hunc ſic conceptum & conſcriptum per Gubernatores & Senatum ſic refert *P. Bor.* Verùm Senatus non unanimi voto conſenſit. Refert enim *Antw. Chron. pag.* 126. Burgimagiſtrum *Henricum van Berchem* noluiſſe ſubſignare, antequam Tractatus exhibitus eſſet Gubernatrici & ab ea cum concilio ſuo examinatus. Et ſic indubiè plures in Senatu diſpoſiti erant. Non omnes in Senatu conſentiunt.

Interim Gubernatores cum deputatis ex parte Senatûs Tractatum illum detulerunt ad pontem Meranum, ut eum ſeditioſis proponerent acceptandum. Videbant autem mox Tractatum malevolis, quorum numerus continuò augebatur, non placiturum: quia furor eorum augebatur, notanter contrà eccleſiaſticos, quorum ſanguinem expetebant. Ipſum Orangium impudenter alloquentes *proditorem* vocabant, aliaque injurioſa in faciem agebant. Audacter petebant evacuari forum, ſibi tradi Curiam, aliaque abſurda proponebant. Inter audaces illos erant tres prædicutii, inter quos præcipuus doctor *Hermannus*, qui Defertur ad ſeditioſos in ponte Merano ſed fruſtrà

Anno 1567. 14. Martii. qui ſe ab Haſſeleto ſubduxerat. Hinc dilata fuit in craſtinum prælectio prædicti Tractatûs. Et inde vix evaſiſſet Orangius, niſi promiſiſſet, ſeſe convocaturum ſequenti die manè civitatis Concilium, & tunc ad propoſita reſponſum daturum.

Calviniſtæ vocant Lutheranos in auxilium.

Interim calviniſtæ peſſima meditantes, & timentes milites, qui ab aula mittendi ferebantur in auxilium Catholicorum; conati ſunt ſibi unire Lutheranos. Res difficilis erat, quia Lutheranis, ut ajit *Strada*, calviniſtæ odio erant, & ab eis longè acriùs quàm à Catholicis diſſidebant. Unde non ſuaſionibus, ſed minis rem attentârunt. Minabantur, inquit *P. Bor*, ſe eos extrà urbem acturos, niſi ſe jungerent. Præcipui autem Lutheranorum requiſiti renuerunt, dixeruntque ſe nec contrà Regem nec contrà ſuperiores civitatis rebellare velle; ſeque ſimulac civitas vel aula prohiberet prædicationes, obedituros & pacificè diſceſſuros. *Antw. Chron. pag.* 121. Non mirum ſanè, Lutheranos tale reſponſum dediſſe: vidimus enim ſuprà, eos à tempore, quo Auguſtiniani Antverpiâ pulſi fuerant, ſe ſemper continuiſſe & Edicta regia obſervaſſe; donec à ſeptem menſibus ab Orangio obtinuerant libertatem religionis. In ea autem diſpoſitione perſeverabant hactenùs Lutherani.

Lutherani jungunt ſe Catholicis.

Cum autem innoteſceret, calviniſtas ſollicitare Lutheranos; ex parte Senatûs agi cœpit apud eos, quatenùs id impediretur & inducerentur ad partes Catholicorum amplectendas contrà tumultuantes calviniſtas. Cumque Lutherani ſic benè diſpoſiti eſſent ergà Regem & civitatem, facilè inducti fuerunt, paratoſque ſe exhibuerunt contrà rebelles. Inductionem hanc adſcribit P. Bor. *pag.* 112. Principi Orangio & Hoogſtratano. Verùm *Henricus van Berchem* Burgimagiſter in *juſtif. ſuâ apud P. Bor: fol.* 155.

ſibi

ſibi adſcribit, quod junctionem Lutheranorum cum calviniſtis, à qua tota indubiè civitatis ruina pendebat, per ſuam induſtriam & diligentiam impediverit. Anno 1567. 14. Martii

Sic etiam actum eſt apud Nationes mercatorum, Hanſiaticos, Germanos, Anglos, Italos, Hiſpanos &c.; qui omnes ſe paratos exhibuerunt ad, neceſſitate urgente, defendendam civitatem contrà malevolos. Item Nationes mercatorum.

Sequenti die manè Orangius, ſicut pridie turbulentis promiſerat, convocavit Senatores, Vico-magiſtros & Decanos ad domum Aquenſem, quæ nunc eſt domus profeſſa Jeſuitarum, eiſque præſente Hoogſtratano propoſuit petita calviniſtarum. Cum autem deſuper deliberarent, audacter ultrò ingreſſus eſt Doctor *Hermannus* cum duobus aliis prædicutiis, Walonum dicto *Staffyn* & Doctore *Yſenbrant* germano, quos miniſtros ſuos dicebat Hermannus. Hic impudenter allocutus eſt Orangium reliquoſque dominos dicens: *Scitote, quod ultrà noſtros in ponte Merano continere non valeam, quia malevoli jam ſecundò monaſterium propinquum* (id eſt Carmelitarum) *invaſerunt; volunt habere reſponſum ad pridiè propoſita, aut proſequi intentum.* Sic audacter loquebatur Hermannus, tamquam jam in poteſtate habens civitatem. Poſt maturam autem deliberationem reſponſum eſt Hermanno, quod non intendant admittere propoſita calviniſtarum, nec eccleſiaſticos extrà urbem agere; ſed quod vitam pro defenſione ſua ſacrificabunt. 15. Martii. Decretum eſt ſeſe opponere calviniſtis

Cum hoc reſponſo rediit Hermannus furibundus ad conſiſtorium calviniſtarum: ibidemque decretum eſt, mittere duos è ſuis cum armatis & tympanis per plateas civitatis, qui invitarent addictos novæ religioni ad pontem Meranum, clamantes ad angulos platearum: Calviniſtæ convocant ſibi addictos.

Anno 1567. 15. Martii. *Audite cives Antverpienſes, qui novam religionem vultis tueri: venite ſtatim armati ad pontem Meranum & nomina veſtra Geuſiis inſcribenda ferte.* Publicatio hæc facta eſt mane horâ nonâ; ſed pauci ad hanc accurrerunt. Antw. Chron. *pag.* 121.

Burgimagiſter convocat cives. Interim Burgimagiſter *van Berchem* thorace indutus equitando percurrit civitatem; & unius horæ ſpatio, ut ipſemet in ſua *Juſtif. apud Bor. fol.* 155. refert, decem millia civium ad arma coëgit. Exhibebat eis, jam non agi de religione, ſed de vita & bonis: multi enim malevoli ſe junxerant calviniſtis amore prædæ, ſperantes procedente tumultu ſpoliare mercatorum ædes.

Calviniſtæ falſo publicant unionē cum Lutheranis. Calviniſtæ videntes hanc præparationem & nullibi ſolatium invenientes, ſtratagemate uſi ſunt; & iterum horâ decimâ modo prædicto per plateas publicari fecerunt, Doctorem *Hermannum* calviniſtas & lutheranos ad unionem reduxiſſe; unde quicumque defendere evangelium vellent, ſtatim armati venirent ad pontem meranum. Commotionem magnam hæc publicatio cauſavit inter cives, notanter inter Lutheranos. Verùm alter Burgimagiſter *Jacobus van der Heyden* cum armatis & tympanis in eiſdem locis contrarium publicavit; & ſic novum animum addidit Catholicis & Lutheranis.

Contrarium publicatur ex parte civitatis.

Catholici cum Lutheranis diſpoſiti in variis locis. Interim Burgimagiſter *van Berchem* quos coëgerat diſpoſuit. Calvinianos, qui Abbatiam S. Michaëlis jam occupaverant, inde armatâ manu repulit, & juxtà dictam Abbatiam diſpoſuit Lutheranos. Catholicos cives diſpoſuit in amplo loco dicto *den Oever* & in foro majori. Nationes mercatorum ſtabant in armis viâ *het Kipdorp*; Angli autem in domo ſua; parati omnes ad defendendam civitatem contrà malevo-

malevolos. Catholici clamabant : *Vivant Papiſtæ.* Nationes : *Vivat Hiſpaniarum Rex.* Lutherani : *Vivat Confeſſio.* Et omnes ſimul : *Defendamus Regem & Civitatem, pro quibus juravimus.* Tali autem omnes zelo agitabantur, ut ſine mora ad pontem Meranum tendiſſent, omneſque tumultuantes trucidaſſent aut urbe pepuliſſent, niſi ad evitandam effuſionem ſanguinis cohibiti fuiſſent. Non difficulter certè id effeciſſent : referuntur enim ad triplum ſuperaſſe rebelles, quorum numerus ad quindecim millia aſcendiſſe fertur. Habebant Catholici cum ſibi adhærentibus rubra ſigna militaria, calviniſtæ autem viridia. Interim tota civitas in ſumma erat perplexitate & anxietate, plena lamentatione conjugum & prolium : prævidebantur enim & timebantur effectus & ſequelæ prælii hujus inteſtini, mors propinquorum & direptio civitatis.

Anno 1567. 15. Martii

Rebus ſic utrimque diſpoſitis, cum Catholici hactenus impedirentur aggredi calviniſtas; voluerunt interim, ut ſtatim finiretur tragœdia, quæ jam tribus diebus duraverat : indicaveruntque Orangio ſe velle, ut calviniſtæ depoſitis viridibus aſſumerent ſigna rubra, in ſignum pœnitentiæ, quòd contra Regem deliquiſſent, clamarentque : *Vivat Philippus Hiſpaniarum Rex*, & depoſitis armis diſcederent è ponte Merano : alioquì venirent & vì eos inde pellerent. *Antiv. Chron. pag.* 125.

Orangius itaque cum Hoogſtratano & quibuſdam è Senatu iterùm tendit ad pontem Meranum, & calviniſtis præmiſſam Catholicorum voluntatem exponens, offert acceptandum ſuprà relatum Tractatum, ad quem acceptandum nec pridiè nec manè diſpoſiti fuerant. Calviniſtæ autem videntes ſe viribus & numero inferiores, fracti animo coacti ſunt arma

Calviniſtæ arma ponunt & Tractatum acceptant.

 ponere

Anno 1567. 15. Martii.

Etiam Catholici & lutherani.

Pacatâ ſic civitate omnes ponunt arma

ponere & clamare *Vivat Rex*. Tractatum verò oblatum acceptârunt & jurârunt. Dein Tractatus iſte publicatus fuit in foro & viâ *den Oever* coram militibus domeſticis & catholicis civibus, dein ad S. Michaëlis coram Lutheranis, & apud Nationes mercatorum; & in ſingulis congregationibus acceptatus fuit & juramento confirmatus. P. Bor. *fol.* 112.

Peractâ dictâ publicatione calviniſtæ confuſi cœperunt deflectere è ponte Merano & diſcedere domum. Sic etiam Catholici & Lutherani, cum ipſis ex parte Principis & Civitatis gratiæ actæ eſſent pro fidelitate in defendendo Rege & civitate. Qui congregati fuerant viâ *den Oever* militari ordine deſcenderunt uſque ad cemeterium Eccleſiæ matricis, ibidemque in ſignum lætitiæ & gratiarum actionis pro parta victoria bombardas ſimul exploſerunt, & domum quique redierunt. Nationes autem duce Burgimagiſtro *Jacobo van der Heyden* proceſſerunt ad pontem Meranum, reſiduos calviniſtas ibidem repertos coëgerunt ponere arma & clamare *Vivat Hiſpaniarum Rex*, & diſperſis malevolis receſſerunt. Antw. Chron. *pag.* 125.

Generoſitas Burgimagiſtri *van Berchem*.

Interim Burgimagiſter *Henricus van Berchem*, qui in prædictum Tractatum non conſenſerat, non obſtante quod in eo artic. 12. decretum eſſet, quod graviora tormenta ponerentur in mœnibus & forent ſub directione Gubernatorum, juſſit ea reduci ad armamentarium *den Eeck-hof*: quatuor tamen, inquit P. Bor, poſita ſunt in mœnibus pro forma. Illa autem veroſimiliter Burgimagiſter è manibus malevolorum retrahere non potuerat. Generosè certè & fideliter Burgimagiſter hic ſe geſſerat in hac commotione: nec etiam ceſſavit deinceps fideliter agere & continuò ſic urgere ceſſationem prædicationum, quam volebat Gubernatrix,

ac

ac opponere ſe omnibus, quæ ex parte Gubernatorum proponebantur contraria aut nociva Catholicis & Religioni, ut tandem ex parte Orangii & Hoogſtratani ipſi inhibitum ſit, ultrà ſolicitare dictam ceſſationem, aut negotiis ſe ultrà immiſcere. Non obſtante autem dictâ inhibitione perſeveravit Burgimagiſter rem urgere, ut ipſe de ſe refert in ſua juſtificatione apud P. Bor *fol.* 155., provocans in teſtimonium omnes eccleſiaſticos & catholicos cives.

Anno 1567. 15. Martii

Fam. Strada de hac pacificatione agens *pag.* 275. dicit: „Tunc quidem ab armis diſceſſum eſt: „ad quæ tamen arma conjunctis animis brevi „rediêre calviniani lutheranique, ubi de obſeſſæ jam pridem Valencenæ periculo nuncium „accepêre." Si agat *Strada* de reſumptione armorum in hac civitate, certè nihil deſuper reperitur apud alios Auctores. Surius autem in *Comment. pag.* 918. dicit: Ex eo tempore fracti ſunt animi calvinianorum, nec quicquam grande deinceps in eo loco auſi ſunt attentare.

An ſectarii deinceps reſumpſerint arma.

Cæterùm Miræus Epiſc. Antverpienſis, qui in Oratione ad Synodum diœc. Antw. anni 1610. Iconomachiam anni præcedentis adſcripſerat ultioni divinæ ob pervicatiam & negligentiam Cleri, eidem etiam adſcribit calamitates jam relati tumultûs, „Anno, inquit, 1567. in „hanc urbem venit illuſtriſſimus D. Maximilianus „à Bergis Archiepiſcopus Cameracenſis, qui „cum in Presbyterorum cœtu gravi oratione „ſuperioris anni ruinas, templorumque clades, „oſtendiſſet ob divini cultûs neglectum à Deo „permiſſas, novis ſtatutis veteres corruptoſque „mores corrigere aggreditur: Sed dum pii „parentis conatus retardantur, eodem ipſo anno „martius furor in pacatiſſimam Brabantiam

Tumultum hunc adſcribit Miræus Epiſ. ultioni divinæ.

 „erupit

Anno 1567. 15. Martii.

„ erupit ; quin & in agro noſtro ſuburbano intonuit, Schaldis fluvii aggeribus à Toloufio hæreticorum anteſignano ad Ouſterwelium occupatis. Subſecuta ſtatim nox illa temporum (horret meminiſſe) cum xv. ferè millia calviniſtarum pontem Merium occupârunt, & grandioribus tormentis bellicis omnes illius aditus munierunt ; armatique per templa ac monaſteria poſtmodum diſcurrentes, ſacerdotes ac monachos ædibus ſuis pepulerunt & profligârunt." Hæc Miræus in Oratione prædicta. Verùm quantùm ad adventum Archiepiſcopi in hanc civitatem, tempore medio inter Iconomachiam anni præcedentis & hunc tumultum, nihil alibi reperitur : nec etiam veroſimilè eſt, eum illo tempore huc adveniſſe ; cum civitas tota continuò eſſet turbata & ſectarii in ea quaſi dominarentur. Venit autem poſt hunc tumultum, & tunc orationem habuit ad Clerum, ut infrà dicetur.

17. Martii. Deputati Bruxellis.

Sequenti die à Gubernatoribus & Senatu nominati ſunt deputati, qui Bruxellas irent & contractum pridie initum cum calviniſtis Gubernatrici exhiberent, & ſe deſuper juſtificarent. Deceſſerunt illi 17. Martii : inter illos autem erant comes Hoogſtratanus, *D. Anthonius Stralen*, Amptmannus & Dominus *van Berchem*, qui noluerat ſubſcribere tractatui, niſi priùs exhibitus fuiſſet Gubernatrici & ab ea examinatus.

Juſtificare conantur peracta.

Retulerunt itaque Gubernatrici, quæ præcedentibus diebus in civitate acciderant, rogantes, nè conſideratâ conſtitutione rerum ægrè ferret peracta ; cum peracta eſſent non ad minuendam authoritatem Regis, ſed ad eam conſervandam, ſicut & ad conſervandam civitatem & incolas, tùm eccleſiaſticos tùm laicos. Dicunt,

ſe

ſe in prædicto contractu puncta quædam admittere debuiſſe ob neceſſitatem extremam, ad ſedandum tumultum & impedienda ſectariorum molimina; idque pro ſervitio Regis & pace civitatis ejus: nam, inquiunt, quod in dicto contractu poſitum ſit, quod graviora tormenta ponerentur in mœnibus, factum id fuit ad ea retrahenda è manibus eorum, ut eventus probavit. Quantùm ad conſcriptionem equitum & adhibitionem navium, intentio non fuit id efficere ſine prævia veſtra notitia. Quantum ad punctum de non admittendo præſidio militari ſine conſenſu omnium membrorum civitatis, id contenderant calviniſtæ, quia ſuſpectos habebant Gubernatores & Senatum; nec eis fidebant, timentes nè præſidium admitterent ad ſe trucidandos, ſicut fratres ſui (prout eos vocabant) trucidati fuerant in *Ouſterweel*, & ſicut actum fuerat Tornaci. Tandem dicunt ſe talem Tractatum iniiſſe, prout in ſimilibus extreminatibus iniri debet ad conſervandas civitates & communitates. Ita Antverpienſes apud Gubernatricem ſe conati ſunt juſtificare de inito cum calviniſtis prædicto Tractatu. P. Bor. *fol.* 112. *verſo* & Antw. Chron. *pag.* 126.

Anno 1567. 17. Martii.

Verùm Gubernatrix, quæ anno præcedenti publicè monſtraverat ſe ægrè ferre contractus tunc per Orangium initos cum calviniſtis & Lutheranis, non poterat non ægrè ferre hunc Tractatum: cum in eo ponerentur pejora quàm in præcedentibus, & horribilia contrà Deum & regiam Majeſtatem. Unde, cum dixiſſet, ſe in poteſtate non habere, quidquam determinandi circà prædictum contractum inſcio Rege, nihil ultrà deſuper actum eſt.

19. Martii.

Tractatus non placet Gubernatrici.

Gubernatrix autem interim cœpit feriò agere cum prædictis deputatis, de mediis, quibus civitas ultrà pacificaretur & in tuto poneretur contrà

Agit cum deputatis pro pacificanda civitate.

Anno 1567. 19. Martii. contrà ſimiles tumultus: propoſuit admiſſionem præſidii militaris, ceſſationem prædicationum, punitionem rebellium &c., agente indubiè Burgimagiſtro *van Berchem*, qui pro fidelitate ſua poſſibilitatem prædictorum demonſtrabat & machinationes eorum, qui occultè ſectariorum conatus fovebant, detegebat. Cum autem hæc difficultatem paterentur & longâ diſquiſitione opus haberent, deputati diu Bruxellis manſerunt.

20. Martii. Conſternatio calviniſtarum. Tardatio autem hæc deputatorum conſternationem cauſavit inter calviniſtas: timebant ſucceſſum negotiationis; deplorabant ſortem ſuam & puſillanimitatem in deponendis armis, dicentes: ſi trucidaſſemus eccleſiaſticos, negotium jam terminatum fuiſſet; ſperamus interim adhuc eò pervenire, & papiſtis vicem reddemus pro illatis nobis in ponte Merano. Similes autem clamores indubiè occaſio fuerunt, ob quam 23. martii dominicâ palmarum prætermiſſa fuit ordinaria Proceſſio cum Equitibus Jeroſolimitanis ad S. Walburgis: & quod multi mercatores cum bonis ſuis deceſſerint in Angliam, Brugas & plerique Mechliniam &c., nolentes ultrà exponi malevolorum rabiei. Anxietas autem calviniſtarum crevit, dum nuntium allatum eſt de ſuperatis eo die per regios Valencenis: feruntur enim tunc habita fuiſſe per eos ſecreta conventicula, & coëmpta quædam arma: ſed hi eorum conatus fruſtranei fuerunt. Antw. Chron. *pag.* 126. Surius *pag.* 921.

22. Martii. Senatus ſcribit ad Gubernatricem pro ceſſatione prædicationum. &c. Interim Senatus Antverpienſis certiòr factus per deputatos ſuos de intentione Gubernatricis, mentem ſuam deſuper aperuit; & ſine interventione Orangii ſcripſit ad eam 22. martii. In ſcripto illo, cujus ſubſtantiam refert P. Bor. *fol.* 115. *verſo*, ſupplicant quatenùs, juxtà conſilium Statuum Brabantiæ nuper in ſcriptis ſibi

ſibi datum, faciat ceſſare prædicationes & exercitia religionum, quæ cauſa erant tumultuum; concedat generalem remiſſionem omnium, quæ per quoſdam tempore præcedentium tumultuum patrata fuerant contrà Regem ex quacumque cauſa, exceptis ſolùm graſſatoribus & latronibus, ſaltem ſub beneplacito Regis &c., ac pro ſecuritate illius nomine Regis promittat, quod nec civitas nec incolæ gravandi ſint militibus, nec intrà civitatem nec circà, donec Rex de conſilio Statuum generalium diſpoſuiſſet de negotiis Religionem concernentibus. Anno 1567. 22. Martii.

Ad hæc Gubernatrix reſpondit Senatui, ſe à Rege litteras obtinuiſſe, prohibentes, nè cum ulla civitate ſuper remiſſione patratorum tractatum ineat, etiam ſub beneplacito Regis; ſe tamen ſuper præmiſſis deliberaturam. Ante omnia autem ad præveniendam Regis indignationem neceſſe eſſe, recipere regios milites, quos mittere intendebat, ut ſe ſic obedientes Regi commonſtrarent. Ita P. Bor. *loco citato.* Ad hæc repoſuit Senatus 5. aprilis, ut infrà dicetur. 25. Martii. Reſponſum Gubernatricis

Comes Hoogſtratanus Bruxellis redierat, remanentibus ibidem aliis Antverpienſium deputatis, & 30. martii in feſto Paſchatis comparuit in eccleſia matrice cum tota ſua aula in miſſa ſolemni, in qua cum nobilibus & Senatu oblata tulit. Eo autem die Orangius, prout ſolebat, non comparuit in officio. Vulgus mirabatur, neſciens cauſam: dicebatur autem ægrotus ob nuntia Bruxellis per Hoogſtratanum allata. *Antw. Chron.* 128. Surius autem in *Comment. pag.* 921. indicat, Orangium jam obtinuiſſe à Gubernatrice mandatum ad procurandam ceſſationem prædicationum; & intellexiſſe, eam abſolutè velle receptionem militum 30. Martii. Orangius ægrè fert quæ aguntur.

Anno 1567. 30. Martii. militum externorum, & Droſſardo Brabantiæ mandaſſe punitionem authorum tumultûs Antverpienſis. Quæ omnia minimè placebant Orangio.

Conſternatio calviniſtarũ

Indicaverat jam Orangius ſectariis mandatum quoad prædicationes & exercitia religionum: ſed hactenùs ipſi plenè non obtemperabatur. Hoc feſto Paſchatis ubique æquè ut ante habebantur prædicationes, ſed interim cœna publicè diſtributa non fuit. Indicaverat certè etiam Orangius punitionem authorum tumultûs, aut ſaltem, ut fama ferebat, Gubernatricem brevì punituram rebelles: hinc præcipui inter calviniſtas incipiebant aufugere. Notabiles mercatores & alii de conſiſtorio, aliqui ex illis qui carcerem aut portas civitatis infregerant, qui tormenta ex armamentario extraxerant & qui duces fuerant in ponte Merano ſenſim diſparebant. Hæc certè non parùm turbabant calviniſtas.

1. April.

Brederodius proſcriptus.

Sequenti autem die magis turbati ſunt, dum Antverpiæ publicabatur, *Henricum Brederodium* & *Anthonium Bomberge* Antverpienſem, qui turbaverat ſylvæducenſes, proſcriptos eſſe, & omnia ipſorum & adhærentium bona Fiſco addicta. *Antw. Chron. pag.* 128.

5. April.

Decernitur apprehendendus Penſionarius Antverpienſis.

Inſuper eodem tempore initio aprilis Gubernatrix dederat mandatum Droſſardo Brabantiæ, ut pro cautela apprehenderet *Jacobum Weſembeke* Penſionarium Antverpienſem, qui ab anno 1546. in ſervitio civitatis fuerat, eumque captivum duceret Vilvordiam. Droſſardus in vim hujus mandati 5. aprilis, quæ erat dies ſabbati, ſe cum ſuis contulit ad domum æſtivalem, quam habebat altero lapide ab Antverpia verſùs Liram, ad quam Weſembeke ſolebat divertere diebus ſabbatinis & dominicis. Verùm illa die illuc non iverat, unde intentum Droſſardi effectu caruit.

Reſcivit

Reſcivit hoc ipſo die Weſembeke, qui multum territus id indicavit Orangio Gubernatori & die lunæ Collegio, qui omnes affirmabant ſe nihil de ea re ſcire; & commendans ſenatui cauſam ſuam & protectionem, indicavit ſibi conſulendum eſſe per fugam, quod fecit ſecunda poſt die, id eſt 9. aprilis.

Anno 1567. 5. April. Fugit.

18. Aprilis ex loco refugii ſcribit epiſtolam ad Senatum Antverpienſem, in qua exaltans ſervitium ſuum & aſſerens ſe nihil egiſſe niſi de mandato Gubernatoris & Senatûs requirit ſcire cauſam, quare velint ipſum apprehendere. Iterum deſuper ſcripſit epiſtolas 16. may, 18. junii & 3. julii, ſed reſponſum non obtinuit.

Scribit deſuper ad Senatum.

Ita refert ipſemet Weſembeke in *ſua juſtificatione* vulgata anno 1569., ad cujus calcem referuntur extracta prædictarum Litterarum. Hoc factum non parùm auxit conſternationem calviniſtarum, quia ipſorum intimus fautor fuerat.

Antverpienſes per deputatas ſuos ad reſponſum Gubernatricis repoſuerunt quintâ aprilis, quod inhibitio Regis, quam indicabat, non reſpiceret civitatem Antverpienſem (niſi Rex ſic vellet) quia, inquiunt, non comperietur dictam civitatem unquam deliquiſſe, aut rebellem vel inobedientem fuiſſe Regi; ſed ſemper perſeveraſſe in fidelitate, in qua hactenùs intendit perſeverare. Quod non petierint condonationem pro corpore civitatis aut pro præcipuis membris ejuſdem; ſed tantùm pro quibuſdam particularibus, nè ſe reos ſentientes, deſperatione acti civitatem ultrà turbarent; & nè peregrini mercatores id timentes, in ruinam civitatis & patriæ, diſcederent, prout jam aliqui deceſſerant & plures deceſſum parabant. Quod ſi Gubernatrix judicet civitatem Antverpienſem comprehendi in dicta inhibitione, petunt ut pro conſervatione civitatis, interpretetur & in

Antverpienſes reſpondent Gubernatrici.

particulari

Anno 1567. 5. April. particulari explicet Art. 12. & 13. Edicti 20. januarii, per quos in generali excepti ſunt rei criminis læſæ Majeſtatis, qui violentiam intulerant, deſtructores & ſpoliatores eccleſiarum: ut dum ſcietur, quoſnam comprehenſos velit, reliqui ſecuri ſint. Quantùm ad receptionem præſidii militaris, dicunt, quod licet juxta privilegium *Joannis* Ducis anni 1422. liberi forent à receptione cujuſvis præſidii; tamen ad exhibendam Regi obedientiam, prout hactenùs fecerant, pro viribus agerent apud alia civitatis membra ad recipiendum tale & tantum præſidium, quantum Gubernatrix neceſſe judicabit pro conſervatione civitatis: quamvis receptio præſidii cauſatura ſit ſuſpicionem inter peregrinos mercatores, & ſic fortè ceſſationem mercaturæ, quæ tamquam præcipuæ difficultates repoſitæ fuerunt contrà receptionem præſidii. Inſuper, inquiunt, timendum eſt, nè milites domeſtici (qui erant numero mille octingenti, pauperes mechanici & infimæ ſortis homines) ſimul & ſemel dimiſſi, privati ſtipendiis, & propter ceſſationem artium mechanicarum & mercaturæ non habentes, unde alerent uxores & proles, quid mali molirentur; quibus ſe jungerent alii malevoli intenti prædæ. Unde rogant, ut illi, poſt exactum juramentum, quod præſtant alii milites, per aliquot tempus ultrà præſidium militare retineantur in ſervitio, & dein paulatim dimittantur. Relinquunt tamen id diſcretioni Gubernatricis, & petunt ut præſcribat ordinem & formam, qualiter recipi debeat dictum præſidium. P. Bor. *fol.* 116.

7. April. Antverpienſes decernunt admittere præſidium militare. Quod autem Senatus in præmiſſa remonſtratione promiſerat, pro viribus agere apud alia civitatis membra ad procurandam receptionem præſidii militaris, id effecit 7. aprilis; quando convo-

convocatis omnibus civitatis membris res propoſita fuit. Et eodem die unanimiter decretum fuit, admittere tale & tantum præſidium; quale & quantum Gubernatrix neceſſe judicaret pro conſervatione civitatis. In *Juſtifi. Antw.* apud P. Bor. *fol.* 152. *verſo*, ubi etiam indicatur, quod Orangius & Hoogſtratanus egerint apud ſectarios, nè ſe opponerent voluntati Gubernatricis.

Anno 1567. 7. April.

Interim eodem die reſpondit Gubernatrix ad remonſtrationes Antverpienſium: quod ad præveniendam indignationem Regis & parcendum ſumptibus, in primis conveniens ſit, ut Senatus reſumat priſtinam auctoritatem (An fortè per hoc excludebatur gubernatio Orangii & Hoogſtratani?) quod pro quiete civitatis, ſecuritate Nationum, mercatorum & civium, & continuatione mercaturæ conveniret quamprimùm admittere præſidium militare, quale convenire judicaret. Quantùm ad punitionem aut remiſſionem delictorum dicit, quod licèt in mandatis haberet, nulla deſuper pacta ineundi cum ulla civitate; ipſa tamen contenta ſit, illa remittere Regi, & interim nullum deſuper conveniret civem aut incolam, qui civitatem incoluiſſet ante elapſum menſem auguſti, donec Rex aliter mandaret ad conſultationem à ſe deſuper illi exhibendam; non comprehenſis ſub hac indulgentia vagabundis, relegatis, miniſtris, prædicantiis, ſectariis peregrinis, fugitivis, apoſtatis & ſimilibus reipublicæ nocivis: exceptis etiam capitibus & authoribus tumultuum, rebellionum & ſeditionum; ſimiliter capitibus & authoribus confractionis imaginum, altarium & eccleſiarum, perduellibus & iis, qui nomina ſua inſcribenda dederunt contrà Regem; qui omnes indigni ſunt regiâ clementiâ: contrà quos interim procedetur.

Reſpondet Gubernatrix ad Remonſtrationes Antverpienſium.

Quod

Anno 1567. 7. April. Quod etiam pro prædictis civibus & incolis, qui deliquerint publicè aut privatim, ſubjicientibus ſe regiæ bonitati aut clementiæ, pro viribus intercedet, ut decet pro conſervatione talis civitatis; confidens fore, ut Rex pro ſolita clementia ſua cum illis agat; notanter ſi exhibeant paratam obedientiam & ſtatim admittant militare præſidium. P. Bor. *fol.* 116. *verſo.*

10. April.

Ceſſant prædicationes & diſcedunt prædicantii.

Senatus, cum recepiſſet hoc reſponſum, convocavit ad 10. aprilis miniſtros & prædicutios utriuſque religionis, tum calviniſtarum tum Lutheranorum; eiſque propoſuit, pro conſervanda civitate & prævenienda indignatione Regis neceſſe eſſe ceſſare prædicationes & exercitia religionum ac diſcedere: ſic tamen ut ipſis ex parte civitatis darentur literæ ſalvi conductûs. Et tantum effecit Senatus ſuaſionibus, mandatis & minis, ut tandem miniſtri & prædicutii ſe exhibuerint paratos ad diſcedendum. Datæque ſunt illis literæ prædictæ, & plures ſequenti die cœperunt diſcedere. Lutherani autem non contenti literis civitatis, inſuper petiverant ab Orangio teſtimoniales, quas obtinuerunt ab eo, datæque ſunt Bredæ 13. hujus menſis, & integræ referuntur apud P. Bor. *fol.* 117. Sic itaque ceſſârunt prædicationes Antverpiæ, ubi publicè habitæ fuerant per octo menſes. Addit Surius *pag.* 924. mox omnia illorum fana à Magiſtratu fuiſſe obſignata, donec Gubernatrix veniret.

11. April.

Orangius diſcedit.

Orangius, qui initio menſis Hellegatæ cum proceribus aliquot belgicis ſuper pluribus conſultaverat, & perſpectâ Nobilium vulgique inconſtantiâ ſtatuerat cedendum temporis iniquitati, videnſque jam etiam Antverpiæ tum per Gubernatricem tum per Senatum omnia decerni contrà nutum, Membris civitatis hoc ipſo die

indi-

indicavit deceſſum, privata magni momenti negotia in Germania prætexens. Sequenti die deceſſit Bredam & indè non multò poſt in Germaniam. Cum eo autem deceſſerunt permulti. Deceſſit itaque Orangius & non rediit niſi poſt decem annos, quando revocatus fuit ab ordinibus Brabantiæ, ut infrà dicetur. Anno 1567. 11. April.

Paulò ante deceſſum acceſſerant ad eum deputati calviniſtarum, requirentes ejus conſilium, qualiter ſe defendere poſſent. Reſpondit Orangius, quod, ſi vellent acceptare nomen & titulum confeſſionis Auguſtanæ, adſit medium ad eos defendendos mediantibus principibus Germaniæ: quod, ſi crederent ſe id tutâ conſcientiâ facere non poſſe, aliud adhuc medium ſuperſit, nempe levare & conferre ad defenſionem ſuam quingenta aut ſexcenta millia florenorum. Reſponderunt deputati, ſe in ſtatu eſſe ad procurandam dictam ſummam; ſed debere ſe ſcire, qualiter cum ea ipſos defenderet. Replicuit Orangius, ſibi independenter à modo ſummam iſtam credi debere: quia, ſi modus innoteſceret, impoſſibile foret eam utiliter impendere. Sicque non convenerunt. Conſilium Orangii calviniſtis datū.

Deceſſus Orangii tantam inter calviniſtas cauſavit conſternationem, ut omninò conciderent animo, & cumulatim non tantùm ex hac, ſed etiam ex cæteris Brabantiæ civitatibus & locis inciperent aufugere tam feſtinanter, acſi ſerò veniſſent. *P. Bor. loco citato.* Aufugiunt calviniſtæ.

Sequenti die congregatis civitatis membris propoſuit Senatus, adimpletâ jam Gubernatricis voluntate quoad ceſſationem prædicationum & deceſſum prædicutiorum, adhuc reſtare exhibere Regi promptam obedientiam, quoad receptionem præſidii militaris: quod, inquiunt, conducet ad quietem, pacem & tranquillitatem civitatis, ſecuritatem mercatorum, civium & incola- 12. April. Senatus proponit admiſſionem præſidii.

Anno 1567. incolarum, progreſſum mercaturæ, & ad promœrendam Regis gratiam.

12. April. Admittitur & petitur ut Gubernatrix veniat Antv. Ad hanc propoſitionem omnia membra ſine dilatione declarârunt, ſe paratos perſeverare in debita Regi obedientia, & conſequenter acceptare prædictum præſidium nullâ adjectâ conditione; ſic tamen ut Gubernatrix requiratur, quatenùs quamprimùm met Antverpiam veniat, ſtipata tot armatis quot volet, coràm omnia reſtauratura.

13. April. Senatus defert reſponſum & petit menſe, quo liberè rei diſcedere poſſent. Senatus per deputatos ſuos reſponſum hoc detulit ad Gubernatricem, ſimulque ei expoſuit, quod tam multi è civitate diſcedant, etiam illi, qui tantùm adierant prædicationes, & alii qui excepti non erant in declaratione 7. aprilis: idque ideò, quod certi non ſint de obtinenda condonatione, pro quâ ipſa operam ſuam apud Regem impenderet. Hinc ſupplicat, quatenùs, caſu quo Rex petitam veniam civibus non concederet, illis daret menſem à die declarationis regiæ voluntatis, quo liberè ſine ullo impedimento è patria cum ſuis bonis diſcedere poſſent; idque ad evitandam totalem civitatis depopulationem.

Reſponſum Gubernatricis. Reſpondit Gubernatrix 16., ſibi gratiſſimam Antverpienſium exhibitam obedientiam ad receptandum prædictum præſidium; ſe quamprimùm intendere perſonaliter venire Antverpiam; & ſe concedere civibus & incolis petitum menſem. P. Bor. *fol.* 118. & 153.

14. April. Dimittuntur milites domeſtici. Senatus interim, cum jam expectaretur præſidium militare mittendum à Gubernatrice, 14. menſis quatuor ex octo ſignis militum domeſticorum, qui penè omnes cives erant, tamquam ultrà inutiles dimiſit; undè non modicum murmuris inter illos. Senatus autem indè timens ſequenti die publicè prohibuit, nè quis pulverem tormentarium aut arma

qualia-

qualiacumque venderet, transferenda extrà civitatem. Anno 1567.

Ut autem civitas liberaretur à perturbatoribus, 17. menſis publicè citati ſunt ad ſe juſtificandos deprædatores Eccleſiarum; qui auxilio fuerant calviniſtis in ponte Merano; qui carcerem infregerant & captivos dimiſerant; qui contulerant ad conſtructionem fanorum &c.: ut ſic civitas adveniente Gubernatrice libera foret à malevolis. Antw. Chron. pag. 131. 17. April. Citantur tumultuoſi.

Cum jam ſecuritas unius menſis civibus à Gubernatrice conceſſa eſſet & publicata, plures mercatores & alii cives, qui anxietate correpti fugerant, redierunt: adeò, inquit Surius in comment pag. 924., ut itinera omnia omnis generis opibus & ſarcinis oppleta cernerentur; ita ut facies civitatis planè mutaretur. Unde notat idem Auctor, die 24. aprilis celebratam fuiſſe Miſſam ſolemnem de Venerabili in B. Mariæ, & adhibitum ſolemnem campanarum ſonitum, quæ iterum per aliquot menſes propter turbas ſiluerant. Notat inſuper, tùm in illo templo, tùm in cæteris omnibus magno ſudatum fuiſſe opere; ut antè Gubernatricis adventum rudera omnia exportarentur. 24. April. Redeunt mercatores. Miſſa ſolemnis.

Sub idem tempus, inquit, Haræus pag. 73., Gubernatricis juſſu Noircarmius, ut metu victoris exercitûs Antverpiam terreret, Orangiique è vicino conſilia turbaret, Turnhouti cum exercitu tam diù ſubſiſtit, quoad Antverpiam Gubernatrix ingrederetur. Exercitus Turnhouti.

Interim exauthorati milites domeſtici indignè id ferentes 25. aprilis ſub veſperam in unum coiërunt & mira minitabantur; ita ut res ad tumultum ſpectare videretur. Verùm, inquit Surius, prudentiâ Magiſtratûs itum eſt obviam, accito milite regio jam ad urbem adventante. 25. April. Tumultus ſedatus.

Anno 1567. 26. April. Itaque 26. ſummo manè duce Comite Manſ-feldio in oppidum intromiſſa ſunt 16. peditum ſigna : prius tamen, inquit *Surius*, curribus aliquot cum eorum impedimentis intrò receptis & ad viarum angulos objectis, ne quid maligni homines poſſent attentare contrà illos : ſicque pacificè ingreſſi ſunt & recepti. Pro ulteriori autem ſecuritate ſequenti die publicatum eſt, ut exauthorati domeſtici milites arma ponerent. Eodem tamen die veſperi duo ebrioſi rumorem quemdam excitârunt, alter, qui fuerat miles domeſticus, in foro, quia milites Walones ipſi tranſitum negabant ; alter, qui erat filius civis & tubicen, viâ *de Cammerſtraet* tubâ clamaverat ad arma ; undè commotio magna in civitate. Hæc tamen brevì ſedata fuit : accurrentibus enim quibuſdam de Senatu, duo illi apprehenſi ſunt, & ſequenti die manè condemnati ac in foro ſuſpenſi. *Antw. Chron. pag.* 131.

16. Signa intromittuntur.

27. April.

Exauthorati jubentur ponere arma.

Tumultus ſedatus.

28. April. Die 28. circà undecimam matutinam Antverpiam venit MARGARETA Belgii Gubernatrix cum pleriſque aurei velleris equitibus & cum tota aula, ſtipata equitibus ſeptingentis ad ſuum & urbis præſidium, itemque trecentis aliis, qui foris invigilarent, nè qui tumultus exiſterent. Surius *loco citato.* Haræus dicit, eam veniſſe comitatam ſeptingentis equitibus, trecentiſque ſclopetariis ; P. Bor. mille quingentis equitibus ; Strada mille ducentis.

Gubernatrix Antverpiam intrat.

Ingreſſa autem tamquam in triumpho civitatem, honorificentiſſimèque excepta rectà contendit ad primariam Eccleſiam ; ubi ad portam ſeptentrionalem deſcendens, excepta fuit ab expectante Clero & proceſſionaliter ducta ad chorum, ibidemque celebratâ Miſſâ de Spiritu ſancto decantatus eſt hymnus *Te Deum Laudamus* : poſt quem *Rogerius de Taſſis* Deca-

Excipitur honorificè.

Decanus cum toto Capitulo eam eleganti oratione ſalutavit. Dein indè cum univerſo comitatu contendit ad S. Michaëlis, ubi hoſpitium paratum erat. *Antw. Chron. pag.* 132.

Anno 1567. 28. April.

Primùm autem, ajit P. Bor, mandavit conſcribi nomina & cognomina omnium familiarum in tota civitate, & notari omnia arma, quæ in civium domibus reperiebantur. Paucis diebus pòſt inquiſitum eſt in iconoclaſtas: & plures inventi ſunt & incarcerati; qui imagines confregerant & templa ſpoliaverant; ex quibus dein aliqui capite plexi ſunt. Plura etiam alia diſpoſuit pro ordinandâ Republica.

Jubet conſcribi cives & arma.

Gubernatrix interim Religionem maximè cordi habens; advocavit Archiepiſcopum Cameracenſem, (ſub cujus curâ hactenùs degebant Antverpienſes, cum novus Epiſcopus nondùm admiſſus eſſet) qui violatas eccleſias reconciliaret, Altaria reſtituta conſecraret & Clerum probè diſponeret.

Advocat Archi-epiſ. Cam.

Primâ may Gubernatrix tendit ad Eccleſiam S. Jacobi auditura ſacrum & concionem, quæ ibidem habebatur per famoſum Minoritam gallum; qui, cum fuiſſet quondam Calvini diſcipulus, ad ſanam doctrinam reverſus per totam quadrageſimam tùm Calvini tùm Lutheri errores redarguerat.

1. May. Audit divina in D. Jacobi.

Pacificatâ jam civitate; ſeu domatis malevolis, cum jam ultrà non timeretur confuſio, quartâ hujus menſis, primâ poſt iconomachiam generalem vice, publicè ex eccleſiâ matrice cum tintinnabulo latum eſt Viaticum ad infirmum; quod deinceps perſeveravit ſic publicè deferri.

4. May. Publicè defertur Viaticum

Eodem die more ſolito publicatæ ſunt liberæ nundinæ pentecoſtales; verùm excepti ſunt & ſub pœna patibuli ex dominiis Regis relegati

Publicantur Nundinæ cum exceptione.

Anno 1567. 4. May. omnes apoſtatæ, iconoclaſtæ & deprædatores eccleſiarum: etiam quicumque arma ſumpſerant contrà Regem, & qui eum in finem pecunias levaverant aut contribuerant.

10. May. Decantantur horæ Canonicæ. Præſente jam Gubernatrice, cum ultrà non timerentur turbæ, omnia in devaſtatis eccleſiis brevì reſtitui cœperunt, & divina etiam more ſolito celebrari. In Eccleſia matrice reſtituto utcumque choro 10. may primò poſt deſtructionem decantari cœperunt ſeptem horæ canonicæ, & veſperi decantari Laudes cum muſicalibus inſtrumentis & vocibus.

12. May. Fana ſectariorum donantur militibus. Fana calviniſtarum & Lutheranorum, quæ poſt diſceſſum miniſtrorum & prædicutiorum occluſa fuerant & ſigillata, donata ſunt 12. menſis pro gratificatione ſedecim ſignis præſidiariorum militum, ut eis divenditis pretium cederet in ipſorum utilitatem. Hinc fanum Lutheranorum in *Rygers-ganck* 22. menſis venditum fuit pretio mille quingentorum florenorum. Sic & alia ſucceſſivè diverſo pretio divendita fuerunt.

15. May. Archiepiſ. Cam. Antv. reconciliat Eccleſias &c. MAXIMILIANUS DE BERGIS ſeptuageſimus tertius Cameracenſis Epiſcopus & primus Archiepiſcopus, evocatus à Gubernatrice, Antverpiam venit 15. May, ibidemque Eccleſiam Matricem & cemeterium violata per iconoclaſtas reconciliavit, & Altare chori conſecravit. Venit cum eo *Martinus Cuperus* Carmelita, Epiſcopus Calcedonenſis ejus ſuffraganeus, qui 20. menſis cœpit conſecrare aut reconciliare reliqua illius eccleſiæ Altaria; quod munus dein in

20. May. reliquis civitatis Eccleſiis peregit. *Antw. Chron. pag.* 132. *& ſeq.*

Legati ex Germania adventant. Intereà dum deſudabat Gubernatrix in diſponenda Republica, & Archiepiſcopus in re diſponenda eccleſiaſtica, audit Gubernatrix, inquit

quit *Strada pag.* 298. , adventare Legatos à Saxone & Brandeburgico ſeptemviris Imperii, à Wittenbergenſi duce, à Marchione Badenſi atque ab Haſſiæ Dinaſta, à quibus ſupremam nempe opem imploraverat hæreſis malè in Belgio accepta & fugitiva. Anno 1567. 20, May.

Gubernatrix rata id quod res erat, illicò Scarembergium à Germaniæ ſecretis obviam mittit: qui Legatos oret, nè ultrà tendant; illorum adventum nec civitati adhuc tumultuanti, nec Gubernatrici in eam curam intendenti, tempeſtivum eſſe; ſatiùs interim fore, ſi legationis capita cum ipſo conferant, opportuniùs deinde redituri. Gubernatrix ſtudet non admittere.

Sed illi negantes ex dignitate Principum ſuorum id eſſe, admiſſi ſunt; additique eis aulici ac prætoriani milites, per ſpeciem honoris, cuſtodes exploratoreſque. Admittuntur.

Poſtero die frequenti Senatu audiuntur; unuſque illorum poſt ſolemnia verborum officia libellum germanicè ſcriptum legit, cujus ſententia, quamvis fusè odioſeque pertractata, hæc demùm erat. *Profeſſionem Auguſtanam Evangelio conſentaneam, etiam ſuprà Religionem Catholicorum, in inferiori Germania liberè complectendam eſſe: Edictis certè ſuppliciiſque non vetandam. Proinde à ſuperioris Germaniæ Principibus orari Gubernatricem, nè populos cæterò innoxios divexari hoc nomine, hiſpanicæque cenſuræ minis ac pœnarum immanitate plecti patiatur.* Petunt libertatem religionis pro Lutheranis.

Hæc omnium, qui aderant, indignatione fatus libellum tradidit Gubernatrici: quæ amotis Legatis, eâ de re in Senatu deliberans (ut erat acriter offenſa) remittendos abſque reſponſione ſentiebat; civiliùs tamen viſum, ſi Scarembergius in hæc verba reſ-deret. *Quæ Legati de Religione præmiſeri* Negatur.

Anno 1567. 20. May. *ſponſo indigna eſſe. Quæ pro excuſanda rebellium impiorumque contumacia diſſeruerint, oſtendere Germanos Principes minùs fidei habuiſſe literis Hiſpaniarum Regis ac Belgii Gubernatricis, quàm ſeditioſorum hominum querimoniis: contrà quos & everſa expilataque templa & illata vis Magiſtratibus & excitati ad arma populi, magnam ſcilicèt innocentiam conteſtentur. Proinde Gubernatricis nomine illos, à quibus miſſi erant, admonerent, ut regnorum curam ſuorum Regi permitterent, nève per ea turbulentorum patrocinia turbas in alienis provinciis foverent.*

Dimiſſi Legati offenſi. Ad ea ſubjicientibus Legatis, ſe tantummodò oratum veniſſe pro ſociis Auguſtanæ Confeſſionis, qui culpâ vacui habebantur, nihil ultrà reſponſum; quartoque, ex quo venerant, die rediêre non diſſimulatâ offenſione, præter Saxoniæ Legatum, qui clam cæteris indicavit Gubernatrici, Septemvirum ſuum aliorum ſuaſu iniiſſe eam legationem; ſe enim Auſtriaco Regi addictum & eſſe & haberi velle. Hæc ſic *Strada*.

Impoſuerant Lutherani noſtri dictis Germaniæ Principibus, prout adhuc hodiedum hæterodoxi communiter ſuis imponunt, pœnas hic in Belgio datas eſſe ob Religionem & Evangelium: cum tamen latæ & datæ ſint ob excitatas ſeditiones & tumultus ſub prætextu religionis & pietatis; ut patet tùm ex hoc reſponſo Gubernatricis, tùm ex procemiis Edictorum in cauſa religionis.

24. May. Ordinantur ſacerdotes. MARTINUS CUPÉRUS ſuffraganeus Cameracenſis, cum jam plura altaria & Eccleſias reconciliaſſet, 24. menſis publicè in Choro Eccleſiæ matricis contulit majores Ordines: inter ordinandos autem ſex tantùm ex tota diœceſi erant ſeculares promovendi ad presbyteratum.

Sequenti

Sequenti die in feſto SS. Trinitatis habita non fuit ordinaria generalis proceſſio, quia in generali deſtructione ſeu direptione Eccleſiarum ſublatum fuerat ſacrum Chriſti PRÆPUTIUM: ſublatum autem ferebatur per Doctorem Hermannum prædicutium turbulentiſſimum, qui illud ſecum ferens deceſſerat in Angliam. Refert hæc Author *Antw. Chron. pag.* 135., cui, cum contemporaneus fuerit, fides adhiberi poteſt; & credi S. Præputium tum ſublatum fuiſſe, quod ſuprà ad anni præcedentis diem 20. aug. in dubium traxi. Quod autem attinet ad teſtimonium Chronici Lirenſis ibidem allegatum, dici poteſt, ordinario modo anno 1570. Antverpiâ Liram allatam fuiſſe Reliquio-thecam aut novam, aut priſtinam onuſtam Reliquiis, quæ furorem evaſerant. Anno 1567. 25. May. Proceſſio in SS. Trinitatis omittitur ob ſublatum S. Præputium.

Proceſſio annua, de qua agitur, inſtituta fuerat in venerationem SS. Chriſti Præputii. Licèt autem hâc primâ vice prætermiſſa fuerit, quia jam ſublatum erat; deinceps tamen iterum reſumpta fuit, & obſervatur uſque in hodiernum diem quotannis in feſto SS. Trinitatis in memoriam & venerationem ſacri illius theſauri, quem Antverpia ultrà quatuor ſecula religioſiſſimè conſervaverat & coluerat. Dein iterum obſervata fuit

Interim commiſſio Legatorum Principum Germaniæ, quæ plurimùm diſplicuerat Gubernatrici, ei anxietatem non modicam cauſaverat. Timebat enim inde, nè infecti, qui dictam deputationem ſollicitaverant, per eos, qui in Belgio remanſerant, quid ſiniſtri molirentur & priſtinos tumultus renovarent. Unde 24. hujus condidit Edictum, quo omnia, quæ ad priſtinos tumultus renovandos excitare poſſent, conatur prævenire, ea ſub graviſſimis pœnis prohibens. In eo autem Edicto nulla fit mentio præteritorum, quia Rex ea ſibi 28. May. Edictum ad præveniendos tumultus.

 reſer-

Anno 1567. 28. May. reſervaverat ; ſed tantùm prohibentur futura. Subſtantiam illius Edicti, quod Antverpiæ publicatum eſt 28. hujus menſis, refert P. Bor. *fol.* 120. *verſo* & Surius *in comment pag.* 927.

Subſtantia Edicti. Continebat autem, quod ſalvâ interpretatione ſeu conceſſione pro Antverpienſibus datâ 7. aprilis, miniſtri & prædicutii juxtà Edictum 3. julii anni ſuperioris, præter confiſcationem omnium bonorum morte mulctarentur & ſuſpenderentur.

1. De Miniſtris & conventiculis.

Eâdem pœnâ mulctantur, quicumque ſuas ædes ad habenda conventicula commodato dederint aut permiſerint : itemque receptatores, fautores, ſuſtentatores illorum : ſi tamen id pro more habeant, aut ſint hæretici obſtinati. Qui talia adeunt conventicula, pœnam luant arbitrariam ; ita tamen, ut inquirat judex, num quâdam ducti curioſitate id fecerint, an verò armati. Concionatores ſub pœna capitis ſolum vertant. Parentes, curatores, heri, ad judicis arbitrium puniantur pro liberorum & familiæ ſuæ culpis, & pueri vel famuli flagellentur ; niſi conſtet illos horum culpas pro viribus impediviſſe ac prohibuiſſe. Ut citiùs prodantur conventicula, quiſquis illa detexerit, ſi ejus ſit ſectæ & ad fidem Catholicam convertatur, hactenùs admiſſorum habeat veniam & impunitatem. Ut Magiſtratus & Prætores, illorum alioquî rationem redditurì; contrà ea conventicula advigilent.

2. De Iconoclaſtis. SECUNDÒ, ut juxtà aliud præcedentis anni Edictum, iconoclaſtæ omnes & id genus templorum ac monaſteriorum expilatores & inflammatores, aut iis opem ferentes, bonorum confiſcatione & laqueo plectantur : ſitque cuivis fas eos comprehendere & Magiſtratui adducere. Omninò etiam mandatur Magiſtratibus, ut nè per-

permittant talia facinora, immò verò modis omnibus obſiſtant ſub pœna arbitraria, præſtandique damni, quod Eccleſiis illatum ſit. Idem facere teneantur, qui ſint eccleſiis vicini, aut ad eccleſiarum parœciam pertineant, non modò ergà parochiales eccleſias, ſed etiam alia ejuſdem parœciæ ſacella.

Anno 1567. 28. May.

Tertiò, ut qui ſectarii ſua exercitia, putà baptiſmum, matrimonium, cœnam, pſalmodiam, publicum cantum in conventiculis, ſepulturam & ſimilia coluerint, in crucem agantur aut capite plectantur: illis verò auxilio qui fuerint, pœnâ mulctentur arbitrariâ.

3. De exercitiis religionum.

Quartò, ut infantes nothi mox in eccleſiam ferantur & ritu catholico tingantur. Habeant etiam parochi librum, in quo annotent diem baptiſmi, nomen baptizati parentumque & ſuſceptorum; pœna arbitraria conſtituenda in parentes, qui non juſſerint baptizari: ſi verò ſectariorum more fiat, pœna capitis & bonorum confiſcationis in baptizantem & baptizandos offerentem. Obſtetrices quoque de integrò jurent ſe indicaturas infantes magiſtratui, ſi à partu intrà horas 24. non baptizentur: & ſi id negligant puniantur.

4. De baptizandis.

Quintò, ut nullus ludimagiſter juventutem inſtituat publicè vel privatim, niſi priùs de fide examinatus à ſcholaſtico & duobus à Senatu deputatis, præſtitoque juramento juxtà formam præſcribendam de non prælegendis libris aut dogmatibus ab eccleſiâ catholicâ damnatis. Servent verò hæc ante decimum diem poſt hujus Edicti publicationem, idque ſub pœna arbitraria: quod ſi verò deinceps errores aut hæreſes docuerint, capite & bonorum confiſcatione mulctentur; parentes autem, qui ad ejuſmodi ſcholas ſuos pueros miſerint, pœnâ arbitrariâ.

5. De Ludimagiſtris.

Sextò

Anno 1567. 28. May.

6. De Typographis.

SEXTÒ, ut Prætores & Magiſtratus cum viſitatoribus exactè obſervent decreta omnia de Typographis & Bibliopolis promulgata; & immorigeri capitis & bonorum confiſcationis pœnas luant, ſi ſic aſſueverint: alioquì pœnâ extraordinariâ, non tamen capitis, plectantur: & qui tales emunt libros mulcta iis pecuniaria irrogetur.

7. De Facientibus collectas pecuniarias.

SEPTIMÒ, quicumque regiis ſubditis collectas pecuniarias impoſuerint abſque Regis juſſu, auctoritate, permiſſu vel conſenſu, etiamſi ultrò conferant, ut pœnam ferant arbitrariam, & amplius quadruplo reſtituant quàm acceperint, partim fiſco regio, partim pauperibus applicandum. Ut etiam ſectarii ſub pœna arbitraria non illiciant in ſuas ſectas plebeculam ſimplicem eleëmoſynis aut operis præſtandis. Si qui verò tales collectas jam fecerint aut contribuerint ob militem conſcribendum, aut in poſterum id fecerint, tamquam rebelles plectantur capite, & bona eorum Fiſco cedant.

8. De conſiſtoriis.

OCTAVÒ, declarati ſunt rebelles omnes conſiſtoriorum præfecti, & vetita deinceps conſiſtoria omnia tam intrà quàm extrà urbes; itemque conventicula prætextu cœnæ calviniſticæ, colloquii, viſitationis religionis ad publicam perturbandam pacem, idque ſub eadem pœna.

9. De fugitivis & apoſtatis.

NONÒ, jubentur urbibus excedere ante horas 24. exules, fugitivi, errones, apoſtatæ omnes, ii præſertim, qui ſub religionis prætextu eò advenerint: & quidem ſub pœna aut virgarum, aut exilii, aut capitis, pro ratione meritorum.

10. De aliunde advenientibus.

DECIMÒ, ut quicumque aliunde in Belgium confluxerint, ſi ſint exules, jubeantur quamprimùm abſcedere ſub pœna in exilii litteris expreſ-

expreſſa : ſi alii ſint, adferant teſtimonia Parochi & Magiſtratûs ſui de vita ſua & cauſa diſceſſûs ex aliis civitatibus. Anno 1567, 28. May.

Postremò, interdicuntur ſcandala omnia ac impedimenta, motus quoque & injuriæ in homines catholicos, in eccleſiaſticos, in monaſticen profeſſos; & quidem ſub pœna capitis & confiſcationis bonorum, ſi grave ſit ſcandalum; aliàs arbitrariæ caſtigationis. Hæc autem omnia ſuum habebunt robur, donec aliud de religionis negotio conſtituatur. Sic ſubſtantiam præfati Edicti refert *Surius* loco citato.

11. De injuriis inferendis catholicis

Articulus quartus hujus Edicti non dedit originem Regiſtris Baptiſmalibus, quæ in parochialibus eccleſiis adſervantur: in cathedrali enim noſtra habentur antiquiora; & *Robertus de Croy* Epiſcopus Cameracenſis, adeoque & noſter, in Additionibus ad Synodum Cameracenſem anni 1550. auctoritate Synodi factas, & eidem Synodo (Edit. Pariſienſis an. 1551.) ſubjunctas *pag.* 160. dicit, „Statuimus & ordi„namus, ut de cætero omnes & ſinguli noſtra„rum civitatis & diœceſis Plebani, Curati ſeu „Vice-plebani & Vice-curati baptizatorum ac „eoſdem levantium nomina libro ſuo inſcribere „teneantur.“ Credendum tamen eſt, uſum inde factum fuiſſe univerſalem & exactiorem in omnibus parochialibus. Regiſtra iſta hodie magno ſunt uſui: cui nuper Illuſtriſſimus noſter Henricus Gabriel non modicam addidit utilitatem, mandans ecreto 27. febr. 1764. omnibus Paſtoribus ſuæ Diœceſis, ut in Regiſtris baptiſmalibus adnotent locum nativitatis patris & matris baptizandi; quam utilitatem experientur poſteri.

De Regiſtris Baptiſmalibus.

Non minori uſui ſunt Regiſtra matrimonialia, quorum inſtitutio etiam antiquior eſt: Patres enim Conc. Trid. anno 1563. *Seſſ.* 24.

Matrimonialibus &c.

de

Anno 1567. 28. May. *de reform. cap. I.* hæc ſtatuerant : „ Habeat „ Parochus librum , in quo conjugum & teſtium „ nomina , diem & locum contracti matrimonii „ deſcribat , quem diligenter apud ſe cuſtodiat. " Et deſuper in Regiſtro Vicariatûs Antverpienſis ſede vacante ad 3. ſeptembris 1576. hæc leguntur. „ Decreverunt DD. de Vicariatu , quod „ Liber deſponſatorum & matrimoniorum ſcribatur à Cuſtode eccleſiarum juxtà antiquam „ conſuetudinem & reſervetur in loco ordinario. "

Inſuper *Robertus de Croy* in ſupra dictis Additionibus *pag.* 162. hæc deſuper ſtatuit anno 1550. „ Omnibus & ſingulis Curatis & Vicecuratis . . . diſtrictè præcipiendo mandamus , „ quatenùs nomina & cognomina affidatorum & „ matrimonium contrahere volentium , unà „ cum deſignationibus loci ſeu locorum nativitatis & habitationis eorumdem , diligenter inquirere eaque libro ſeu regiſtro . . . inſcribere „ teneantur. " Sicut autem hæc , ſic & Regiſtra mortuorum ſuam habent utilitatem.

Hoc Edictum timorē ſectariorum auget. Anxietatem ſectariorum auxit hoc Edictum , ita ut , inquit *P. Bor* , cumulatim aufugerent extrà patriam. Non erat autem , quòd fugerent propter hoc Edictum , quia in eo non agebatur de delictis præteritis ſed de futuris ; unde qui pacificè voluiſſent vivere , nihil inde timendum habebant. Adeòque ſi qui hâc occaſione fugerint , ſignum eſt , quod turbulenti eſſent , aut gravati criminibus.

Interim hâc occaſione ſic ſe continuerunt 29. May. ſectarii , ut ſequenti die in feſto Corporis Chriſti habita fuerit proceſſio generalis tantâ pompâ , concurſu & pietate , ut , inquit *Strada* , Antverpiæ nè veſtigia quidem hæreſis extitiſſe aliquandò viderentur. Comparebat in Eccleſia matrice Gubernatrix cum omnibus Aulicis , Domicellis & Equitibus aurei velleris. Miſſa celebrabátur per *Maximilianum de Bergis*

Proceſſio Corporis Chriſti.

Archie-

Archiepiſcopum Cameracenſem aſſiſtentibus Canonicis ejuſdem Eccleſiæ. Ad proceſſionem anteà indictum fuerat, ut omnes civitatis ordines tam cleri quàm populi & cives alii comparerent geſtantes faces ardentes. Inſtituta fuit itaque Proceſſio poſt Miſſam. VENERABILE geſtabat Archiepiſcopus prædictus inter duos nobiles, quorum alter erat Dux Egmondanus. Præcedebant ordinario modò omnes civitatis ordines & alii cives plurimi, ita ut ante VENERABILE numerarentur faces ad quatuor millia: ſequebatur Gubernatrix cum omni comitatu. Plateæ, quæ ſtipatæ erant armatis, ornatæ erant altaribus, tapetiis & picturis. Sic ſummo gaudio reſtituta videbatur priſtina Antverpienſium pietas. *Antw. Chron.* Anno 1567. 29. May.

14. Junii. Deſtruuntur fana ſectariorum.

Poſt hæc Gubernatrix voluit, ut ſectariorum fana, quæ militibus conceſſa erant, deſtruerentur; nè ſi ultra extitiſſent, ſectarii iterùm in illis religiones ſuas exercere tentâſſent. Hinc 4. junii deſtrui cœpit calviniſtarum fanum ſitum viâ *het Hoplant*, in loco dicto *Mollekens-Raem*; & materialia divendita ſunt ad utilitatem eorum, quibus donata fuerant.

13. Julii. Laniones ex Borgerhout petunt uſibus ſuis templū rotundum.

Deſtructio autem templi rotundi itidem calviniſtarum, ſiti in regione dictâ *den Wapper* propè hortum ſclopetariorum, tardavit uſque ad 13. menſis: Laniones enim Burgerholtani, qui aſſueverunt inter Paſcha & Pentecoſten carnes in civitate venales exponere, multùm apud Gubernatricem agebant, nè deſtrueretur; & magnam ſummam offerebant, ut ſibi traderetur ad exponendas in eo dicto tempore carnes. Verùm Gubernatrix eò induci non potuit: volebat enim, ſi poſſibile fuiſſet, etiam memoriam tollere. Unde dicto die fanum iſtud

Anno 1567. 13. Junii. iſtud deſtrui cœpit; ſicut & reliqua omnia tam lutheranorum quàm calviniſtarum ſic deſtructa fuerunt, ut ne veſtigium ſuperfuerit. *Antw. Chron. pag.* 137.

Edictum quo ad punitionẽ delinquentiũ. Eodem die publicatum eſt Edictum, quo Gubernatrix præſcribit Officiariis locorum, qualiter ſe gerere debeant in inquiſitione & punitione eorum, qui in declaratione 7. aprilis ſuprà relatâ excepti fuerant; & eorum, qui contrà præmiſſum Edictum 28. may imposterùm delinquerent. Subſtantiam hujus Edicti refert P. Bor. *fol.* 121.

15. Junii. Epiſc. Atrebat prædicat in S. Mich. Decimâ quintâ Junii, quæ erat dies Dominica, officiis divinis intererat Gubernatrix in S. Michaëlis, & coràm eâ concionem habebat *Franciſcus Richardot* Epiſcopus Atrebatenſis: & eâ occaſione honoris cauſâ in armis erant aliquot ſigna Walonum.

18. Junii. Monaſterium Ter zieken patitur à militibus. Decimâ Octavâ ejuſdem menſis, ad limitanea Antverpiâ deceſſerunt quatuor ſigna Walonum. Cum autem extrà portam S. Georgii forent & appropinquaſſent Leproſario *ter Zieken*, quidam ex illis ebrioſi indecenter egerunt in dicto monaſterio; quæcumque poterant confregerunt, Parochianum venerabilem ſenem percuſſerunt: Religioſæ autem ad evitandas inſolentias ſparſim diffugerunt. Cum res hæc delata fuiſſet, ſequenti nocte exiit Mansfeldius ſecum ducens ſatellites Gubernatricis & quoſdam equites, & inſecutus turbulentos iſtos quoſdam apprehendit, reduxitque in civitatem, ex quibus duo 23. menſis in loco dicto *den Oever* ſuſpenſi ſunt.

22. Junii. Epiſc. Atrebat. prædicat in B. M. Vigeſimâ ſecundâ menſis die dominicâ comparuit in Eccleſia matrice Gubernatrix cum omni aula, præſenſque fuit in miſſa ſolemni, quæ celebrabatur in navi eccleſiæ ante chorum. Tempore Miſſæ Archiepiſcopus Cameracen-

Cameracenſis pacem ferebat Gubernatrici ; & coràm eâ præſente Archiepiſcopo gallicè concionem habuit facundiſſimus *Franciſcus Richardot* Epiſcopus Atrebatenſis. Antw. Chron. *pag.* 138. Hic Epiſcopus ſcriptis clariſſimus edidit gallicè typis plantinianis in 8. *Conciones in Aula habitas* : inter illas autem indubiè habentur illæ, quas hîc Antverpiæ coram Gubernatrice dixit. Anno 1567. 22. Junii.

Die veneris ſequenti *Maximilianus de Bergis* Archiepiſcopus Cameracenſis cum duobus adjunctis, *Franciſco Richardot* & *Laurentio Metzio* Decano D. Gudulæ Bruxellis, venit ad Eccleſiam matricem, proceſſitque ad locum capitularem, ut tamquam ſuperior Capitulum ; juxtà Decretum Conc. Tridentini *ſeſſ. VI. c.* 4. *de Refor.*, quod ibidem exhibuit, viſitaret & reformaret. Ita *Antw. Chron. pag.* 137. An autem aut qualiter peracta ſit iſte viſitatio, ibidem non refertur. Zypæus *Jur. Pont. fol.* 40. dicit : *Maximilianus Epiſc. Cam.* poſt Conc. Trid. ante erectionem Epiſcopatûs viſitans hoc Capitulum non licentiam tantùm Regis Catholici obtinuit, ſed & regium Conciliarium deputatum ſecum duxit, idque juxtà Conc. Trid. *Seſſ.* 22. *Cap.* 8. Veroſimiliter hîc agit Zypæus de eadem viſitatione. 27. Junii. Epiſc. Cam. viſitat Capitulum.

Inter infectos magnum nomen habebat *Thomas Thielt* Abbas S. Bernardi, quia dicebatur docere & prædicare Confeſſionem Auguſtanam. Hinc magnus concurſus fuit ex hac civitate ad ejus concionem habendam 2. julii in feſto Viſitationis B. M. Manè ad dictam Abbatiam deceſſerunt quadraginta currus ; ſimiliter & naves & plurimi pedites. Hi autem ad demonſtrandam ſuam intentionem & religionem in via canebant pſalmos vernaculâ 2. Julii. Abbas. S. Bern. prædicat Confeſſ. Auguſtanam.

linguâ

Anno 1567. linguâ : ita ut hoc tempore Abbas ille publicè haberetur infectus. *Antw. Chron.*

3. Julii. Cum Gubernatrix nuntium habuiſſet, quod Rex, hactenùs impeditus, intenderet in citeriores regiones venire, idque ante finem æſtatis; de mandato Regis id indicat civitatibus per literas Antverpiæ datas 3. julij, quas refert P. Bor. *fol.* 121. *verſo.* ſperans hoc gratum fore omnibus benevolis. In illis mandat, ut publicæ inſtituantur preces pro felici Regis adventu; quatenùs, dum advenerit, omnia diſponat ad gloriam Dei, ad conſervandam Catholicam fidem & ad debitè reſtituendam rempublicam cum omni manſuetudine & clementia, pro naturali ſua inclinatione; prout ipſemet pluries per literas indicaverat; addens ſibi injurioſum fore, ſi quis de ſe aliter ſentiret: cum non intenderet venire ad perdendas civitates aut ſubditos, ſed ad eos conſervandos & defendendos: quod mandavit in ſcriptis indicari, ut ſubditi ſolita ſua negotia & opificia reſumerent, confidentes Regiæ bonitati & clementiæ.

Gubernatrix mandat inſtitui preces pro felici adventu Regis.

Mandat itaque Gubernatrix Senatoribus, ut deſuper moneant cives ſuos & incolas, & invigilent in eos, qui ultrà vellent diſcedere: eoſque moneant, quod ſi nollnt fidere regiæ clementiæ, per hoc ſe gratiâ reddituri ſint indignos; notentque nomina eorum, qui jam deceſſerant & qui ultrà diſcedere vellent.

Suadet nè diſcedant, qui deliquerant.

Tandem addit: ut Rex magis inclinetur ad clementiam ergà eos, qui deliquerant in tumultibus intrà annum excitatis, unde boni ſcandalizati, Deus & Rex offenſi ſunt; voluit monere, ut convertantur, & primò Deo reconcilientur, ſeſe ſubjicientes Eccleſiæ catholicæ; & obedientiam ac ſubjectionem exhibeant

Sed Convertantur & prophanata reſtituantur.

beant Regi, Officiariis & Senatoribus; & ut Ecclesiæ violatæ, confracta altaria & imagines, & omnia ſacra per eos prophanata in priſtinum ſtatum reſtituantur. Quæ, inquit, vera ſunt media ad Dei & Regis indignationem placandam & ad faciliùs præteritorum veniam impetrandam.

Anno 1567. 3. Julii.

Peſſimè Literas has, etiam ſcripto publico, interpretati ſunt calviniſtæ, ut refert P. Bor. *loco citato.*

Ad obſequendum huic mandato 12. menſis die ſabbato, publicatum eſt Antverpiæ ad valvas Curiæ, quod ſequenti die haberetur Proceſſio generalis cum Venerabili, & Deus oraretur pro felici adventu Regis & proſpera ejus navigatione; & interim diſcederent rebelles & qui arma contrà Regem ſumpſerant. *Antw. Chron. pag.* 140.

12. Julii. Proceſſio pro felici adventu Regis.

Cum jam in civitate omnia in pace eſſent, res eccleſiaſticæ in priſtinum ſtatum reſtitutæ, & reſpublica bene ordinata, Gubernatrix, quæ per tres ferè menſes hìc moram traxerat, deceſſit Bruxellas navi cum omni aula die 18. hujus menſis.

18. Julii. Gubernatrix diſcedit Bruxellas.

In feſto S. Laurentii ſecretum conventiculum habebant Anabaptiſtæ viâ *het Schelleken*, quò plures convenerant ad audiendam prædicationem. Verùm re detectâ Officiarii domum invaſerunt, & reliquis fugientibus ſex captivos duxerunt, inter quos prædicutius, reliqui erant divites Inſulenſes Antverpiam inhabitantes. Ex his die 12. ſeptembris quatuor in foro ſunt combuſti. *Antw. Chron.*

10. Aug. Sex Anabaptiſtæ capti.

Cum Gubernatrix indicaſſet Regem brevì venturum, procuratum eſt, ut naves paratæ forent, quæ ei obviam irent. Ex illis quatuor magnæ 12. aug. ſolverunt in Zelandiam, ibidem expectaturæ ejus adventum.

12. Aug. Naves ad recipiendum Regem.

Anno 1567. 18. Aug. Pro feſto Aſſumptionis B. Mariæ iterum in ſua Capella ſeu Choro expoſita fuit vetus ſtatua B. Mariæ. Ita Auctor *Antw. Chron.* Suprà vidimus, ſtatuam illam in generali Iconomachia confractam fuiſſe. Præſumendum itaque, eam ſic confractam fuiſſe, ut refici potuerit, & refectam iterum venerationi fuiſſe expoſitam. Die autem 18. Dominicâ infrà octavam in Circuitu ſolemni circumlata fuit dicta ſtatua cum ordinaria ſolemnitate comitantibus ſpectaculis &c. Verùm in foro & aliis locis publicis ſtabant armati milites, donec ſolemnitas finiretur.

Circumlatio B. M. modo ordinario.

Altaria ornantur picturis.

Cùm jam omnia pacata viderentur & nihil ultrà timendum crederetur ab iconomachis; qui Altaria ſua, poſt anni præcedentis generalem Iconomachiam, utcumque uſui reſtituerant, ea hoc tempore seriò cœperunt reſtaurare ac ſumptuoſè exornare; & quidem picturis potiùs quàm ſtatuis ſanctorum, quibus anteà Altaria exornari ſoluerant. Notat hoc Molanus in opere ſuo *de Imaginibus & Picturis*, quod cœperat occaſione prædictæ Iconomachiæ & prælo vulgavit quarto poſt anno 1570. In eo *Lib. II. cap.* 67. hæc refert: „Audio etiam „Antverpiæ & alibi, ubi fracta per ſectarios „Altaria iterum, Deo nobis propitio, erecta „ſunt, rariones in Altaribus poni ſtatuas Sanc„torum crebriores verò depictas tabulas.“ Rationem addit hanc. „Idque non aliam ob „cauſam, quàm quod plus artificii dicatur eſſe in „illis picturis quàm in ſtatuis.“ Alii hanc proferunt rationem, quòd eo tempore ars pictoria tunc magis floreret quàm ſculptoria. An non etiam dici poſſet id factum, quia ingruente fortè ſimili tumultu, tabulæ pictæ faciliùs ſalvari potuiſſent quàm ſculptæ ſtatuæ?

Concio,

Concio, quam *Thomas Thielt* Abbas S. Bernardi 2. julii habuerat, & ad quam tanta ſuſpectorum confluxerat multitudo, ipſum plurimum ſuſpectum reddebat. Unde ſibi timens, notanter quia appropinquabat cum militibus dux Albanus, hâc die 18. Abbatiam deſerens apoſtatavit. Erat Mechlinienſis enutritus ibidem in collegio Standonicò, quod hodie eſt Seminarium Archiepiſcopale: dein profeſſus religionem in S. Bernardi ex Paſtore in *Ouden-boſch* electus & inſtallatus anno 1564 Abbas ejuſdem Abbatiæ, ſine conſenſu Pontificis, neceſſariò tunc requiſito. Extant plura opuſcula ejus nomini tamquam Abbati dicata. Deceſſit itaque hâc die ſecum ferens quatuor millia florenorum, ut aſſerit *Antw. Chron.* Verùm *P. Bor* dicit eum tantum abſtuliſſe florenos quadringentos. Deceſſit autem in Cliviam, ubi poſitò monachali habitu ſpretis votis die 6. ſeptembris matrimonium iniit cum domicella *Joanna van Waveren.* Aſſerit P. Bor eum prælo dediſſe Apologiam, continentem rationes deceſſus ſui: verùm Apologia iſta jam non invenitur.

Anno 1567. 18. Aug.

Thomas Thielt Abbas S. Bern. Apoſtata.

Poſt fugam hujus Abbatis 8. ſeptembris, miſſi ſunt ex Aula ad dictam Abbatiam ad capiendam informationem & ad aſſiſtendum electioni novi Abbatis. Ita *Antw. Chron. pag.* 141. Verum meritò dubitari poteſt, num proceſſum ſit ad electionem; cum conſenſus Pontificis necdum obtentus fuiſſet, & non ſciatur, quis electus fuerit. Hoc ſcitur, hâc occaſione Religioſos iterùm cœpiſſe agere apud Regem, non tantùm pro diſſolutione unionis Abbatiæ cum Epiſcopatu, ſed etiam pro extinctione Epiſcopatûs Antverpienſis, ut infrà dicetur,

Commiſſarii miſſi ad Abbatiam.

Dux Albæ, miſſus à Rege in Belgium tamquam Capitaneus Generalis, Bruxellis honorificentiſſimè

22. Aug.

Dux Albæ Bruxel. venit

Anno 1567. 22. Aug. centiſſimè receptus eſt 22. auguſti; quem Gubernatrix humaniter ſalutatum in palatium adduxit, ei totum Belgii ſtatum expoſuit, omnia jam penè compoſita oſtendit; & ſi quid reliquum ſit, id comitate & lenitate potiùs quàm ſeveritate tranſigendum eſſe perſuadere conatur. At Albanus eam opinionem inbiberat, ut lenitatem, clementiam & indulgentiam cauſam omnium tumultuum crederet. Hinc ſe deinceps ſeveritate ſuâ haud commendabilem reddidit. Ab Iſſelt *Hiſt. ſui temp. pag.* 120.

Exhibet Commiſſionem. Deinceps Dux commiſſionem, quam habebat à Rege, exhibuit Gubernatrici, & Litteras Regis junctis propriis ad civitates miſit. Imò ipſamet Gubernatrix 3. ſeptembris ſcripſit ad civitates, quatenùs duci Albæ juxtà commiſſionem reverentiam & obedientiam præſtarent. Commiſſionem & Litteras prædictas exhibet P. Bor *fol.* 129. *verſo & ſeqq.* Dein remotis arbitris ampliora, inquit Strada, quàm quæ paulò ante protulerat, mandata Regis exhibuit, non modò bella pro arbitrio adminiſtrandi, ſed Arces etiam extruendi, Magiſtratus & Præfectos exauctorandi, præteritorum cauſas tumultuum agnoſcendi plectendique.

8. Sept. Gubernatrix petit dimiſſionem. De tantâ auctoritate Duci, per Regem tributâ, parùm contenta Gubernatrix conqueſta eſt Literis ad Regem ſcriptis 8. Septembris; & cum jam novem annis gubernaſſet, petivit, quatenùs ab ulteriori gubernaculo liberaretur. Quod ardentiùs dein petivit videns repentinam plurimorum captivitatem.

9. Sept. Capti Egmuntius & Hornanus. Dux Albæ commiſſionem ſuam exequi cœpit ab animadverſione in ſuſpectos belgarum Proceres. Primores convocaverat Bruxellas ad diem 9. ſeptembris ad ordinandam rempublicam: Eo die, cum conſultaſſet cum eis, cæteris dimiſſis

dimiſſis captivos duci curavit *Egmontium* & *Hornanum*. Anno 1567.

Eodem die de mandato Albani per milites Comitis Lodronii captus eſt *Anthonius Straelen* Dominus de Merxem (qui annis 1555., 56., 57., 61. & 65. fuerat primarius civitatis Antverpienſis Burgimagiſter) tamquam intimus orangianis conſiliis. Captus eſt autem in vico *de Luythaegen*, cum tenderet Bruxellas, quò per Gubernatricem propter negotia evocatus fuerat. Ita *Antw. Chron.* Verùm *Strada* dicit, illum quia ſibi metuebat carro imponi ſe juſſiſſe multâ ſub veſte ac telarum involucris occultatum; ſed vixdum portâ urbis egreſſum à Lodronio, per exploratorem admonito, comprehenſum fuiſſe. Ductus eſt autem Bruxellas, dein Vilvordiam. Interim eodem die Lodronius miſit in Merxem milites, qui domum ejus ibidem occuparent & bona conſcriberent; ſimiliter & ad domum ejus in hac civitate ſitam viâ *het Kipdorp*, quæ nunc eſt Convictus Jeſuitarum. 9. Sept. Antonius Stralen capitur.

Similiter hic & alibi de mandato Albani plures qualificati capti ſunt, examinandi & judicandi per Concilium eum in finem inſtituendum, quod dictum eſt *Concilium turbarum*, & ab effectu ac per deſpectum *Concilium ſanguinis*. Similiter & alii.

Hinc rurſum tremor terrorque permultis tam nobilibus quàm plebeis, quorum magna pars fugam ineunt: ita ut Ooſt-landia, Clivia, Embda, Germania univerſa, Francia, Anglia Belgis exulibus abundarent. Multi fugiunt

Gubernatrix, cum intellexiſſet fugam plurimorum, inter quos & innocentes & eo prætextu defraudantes creditores, timens depopulationem Belgii, Regis nomine Edictum de- 18. Sept. Edictum contrà fugientes.

Anno 1567. 18. Sept. dit, quo indicabatur animadverſionem non fieri, niſi in capita & auctores turbarum; non in ſimplices ſeductos, ſed in ſeductores; conſequenter & mercatores in mercatura, & mechanici in exercitio opificiorum quietè progrederentur, fidentes clementiæ Regis; qui deſiderabat errantes ſubditos reducere, ut continuarent in Catholica fide & in ſuo ſervitio. Adeoque prohibet, nè quis incola, ſive ſolus ſive cum familia, ultrà extrà patriam diſcedat, aut res ſuas exportet animo eam deſerendi, ſub pœna, quod habendi ſint rei aut ſuſpecti præcedentium tumultuum, & ſub pœna confiſcationis bonorum exportatorum. Sub eadem pœna prohibet nautis & aurigis eis auxilio eſſe. Ne autem quis putaret, Regem velle auferre libertatem mutandi domicilii, ſtatuit, ut qui domicilium mutare voluerit, id ante menſem indicet Officiario loci, ut cognoſcatur de cauſa & num creditoribus ſatisfactum ſit.

Edictum hoc, ſeu ſubſtantiam ejus refert P. Bor. *fol.* 123. *verſo.* Datum eſt autem Bruxellis 18. ſeptembris 1567., ut vidi in originali Editione.

24 Octob. Vigeſimâ quartâ Octobris Antverpiam venit Dux Albæ cum quadringentis equitibus, obviam eunte Lodronio cum duobus vexillis, & hoſpitium cepit in S. Michaëlis. Sequenti die deſignavit locum novi Caſtri erigendi in vico *het Kiel*, ad Scaldim verſus meridiem. 27. menſis opus ceptum eſt, adhibitique bis mille operarii; unde brevi fortiſſimum maximumque, lateribus coctis aliiſque lapidum generibus, caſtrum conſtruxit, quinque propugnaculis aptiſſimè munitum. Inhibitum autem fuit ex parte Comitis Lodronii, nè quis foderet diebus feſtivis ſub pœna trium ſtuferorum, & nè

Conſtructio novi caſtri.

qu.s

quis impedimento eſſet foſſoribus ſub amiſſione ſuperioris veſtis. *Antw. Chron.* Ad caſtrum conſtruendum civitas quadraginta (*Ita Haræus, alii omnes quadringenta*) florenorum millia conferre debuit, centeſimi & decimi nummi ratione pro facultatibus capitatim colligenda; quæ quidem tunc non omninò illibenter ob eam cauſam ſoluta ſunt, quòd hâc ratione urbem præſidiariis militibus liberam fore civibus perſuaderetur, quamvis id tardiùs ſint conſecuti. Ita Haræus.

Anno 1567. 24. Octo.

Quò autem urbs pervia eſſet apertaque ex oppoſito arcis, mandavit Dux Albæ 5. novembris dirui mœnia munitionesque, foſſaſque repleri à porta Croneburgica ad portam Beggiinarum, & inde ad hortum Gladiatorum. Et nova mœnia deducta ſunt à novo Caſtro ad portam S. Georgii, quæ effodi cœperunt 20. januarii anni ſequentis: unde ultima civitatis dilatatio.

5. Nov.

Dejecta mœnia & erecta nova.

Inter munitiones, quæ vi hujus mandati dirui debebant, erat turris Croneburgica ingens moles ad Schaldim ſita. Faſtigium ſeu corona imperatoria, à qua nomen ferebat, depoſita fuit 12. hujus menſis, & turris ipſa incenſis & combuſtis fulcimentis corruit 4. decembris. Steterat Turris hæc conſummata annis quadringentis viginti duobus, ut videbatur notatum in dicta corona, quæ erat ferrea, tota deaurata & magnitudinis in circumferentia circiter quinque ulnarum. Corona itaque impoſita fuerat turri anno 1145. tempore GODEFRIDI III dicti *in cunis* marchionis noſtri.

12. Nov.

Dejecta turris Chroneburgica.

Erecta autem fuerat tamquam limes ſeu marcha ſacri Romani Imperii tempore OTHONIS IV. Imperatoris & GODEFRIDI BARBATI ducis Brabantiæ & marchionis ſacri Imperii. Ita Auctor *Antw. Chron.* pag. 148. & 151. Notandum hic, *Godefri-*

Erecta fuerat ut eſſet Marcha Imperii.

Anno 1567. 12. Nov. *Godefridum Barbatum* non vixiſſe tempore ullius OTHONIS Imperatoris. OTHO III. enim obiit anno 1002. & *Godefridus Barbatus* obiit anno 1140. OTHO IV. autem ad Imperium demùm evectus eſt anno 1198. Cum itaque habeamus, traditionem hoc tempore firmam fuiſſe, quod turris iſta conſtructa ſeu erecta eſſet pro limite ſeu marcha Imperii, præſumere meritò poſſumus, eam cœptam fuiſſe tempore OTHONIS II. aut OTHONIS III. Imperatoris: quia tunc recenter, anno nempe 980., regio hæc noſtra per LOTHARIUM III. Francorum Regem tranſcripta erat OTHONI II. Imp. & Germaniæ Regi. Unde ipſe aut filius ejus voluerit in termino hujus novæ acquiſitionis Marcham erigere: quodque dein interruptum dudum opus perfecerit GODEFRIDUS BARBATUS, & tandem coronis impoſita ſit anno 1145. tempore GODEFRIDI III. marchionis noſtri. Vix autem dubitari poteſt, quin Antverpia, quæ anteà *Comitatus* dicebatur, à Marcha iſta ſenſim dici cœperit *Marchionatus ſacri Romani Imperii.* Vide ſuprà *tom. I. pag.* 68.

Inde Antver dicta Marchionatus.

29. Nov. Dux Albæ, cum omnia pro conſtructione novi Caſtri diſpoſuiſſet, & Antverpienſes in contributionem quadringentorum florenorum millia conſenſiſſent, Bruxellas deceſſit cum omni aula & comitatu 29. novembris, poſtquam Antverpiæ ultrà menſem moram traxiſſet.

Diſcedit Bruxellas Albanus.

Decembr. Machiavellus ab Hiſpania reverſus attulit Regis literas, quibus Margaretæ Parmenſi Gubernatrici Belgii poteſtatem facit Belgio abeundi, teſtatus dare ſe id ſororis petitioni, non commodo provinciarum, quas in ſumma temporum difficultate prudenter ac ſtrenuè gubernaverat. His receptis Gubernatrix gratias deſuper egit Regi per literas, quas refert Strada *pag.* 330. & valedixit Statibus Provinciarum per

Margareta Parmenſis Gubernatrix diſcedit.

literas,

literas, quas refert P. Bor. *fol.* 132. *verſo.* Et tandem tradito Belgicæ Præfecturæ diplomate Albano Duci, allato per eundem Machiavellum, Bruxellis deceſſit 30. decembris, deducente eam Albano ad Brabantiæ fines, ac Belgicâ nobilitate in Germaniam uſque comitante. Et menſe februario in Italiam feliciter venit, ubi obiit menſe januarii 1586. aut 1587., cum vidiſſet anno 1578. filium ſuum *Alexandrum Parmenſem* Gubernatorem Belgii. Anno 1567. Decemb.

Gubernatio itaque totius Belgii manſit ſoli Duci Albano, cujus ſeveritas, ut communiter Auctores, non parùm contribuit ad ſubſecutos Belgii tumultus & calamitates. Albanus Gubernator Belgii.

Primùm autem hic Gubernator, ultrà Concilia conſueta, novum Bruxellis inſtituit Concilium duodecim Virorum, cujus ipſe caput erat, ad cognoſcendum cauſam jam captivorum, & ad univerſæ rebellionis negotia judicanda ſine provocatione. Concilium iſtud communiter dictum eſt *Concilium turbarum*, aut ob crebra ſupplicia & in contemptum *Concilium ſanguinis*. Strada, Haræus. Inſtituit concilium turbarum.

Civitas jam ultrà duos menſes aperta erat verſùs novum Caſtrum, ubi ſolo æquata erant mœnia: verùm 20. januarii cœpta ſunt effodi nova mœnia à Porta S. Georgii ad novum Caſtrum. Et hæc eſt quinta & ultima civitatis dilatatio. Ferebatur autem, quod fundus dejectorum mœnium cederet in compenſationem eis, qui agros ſuos perdiderant in conſtructione novi Caſtri. Ita *Antw. Chron.* 1568. Januarii. Dilatatio Civitatis.

Cum Dux Albæ proſequeretur intentum puniendi rebelles & qui partem habuerant in præcedentibus ſeditionibus & tumultibus; Procurator generalis regio nomine 19. januarii apprehendi mandavit aut citari coram dicto Duce multos 24. Janu. Orangius & Hoogſtratanus citantur.

Anno 1568. 24. Janu.

multos Principes & Nobiles, qui publicè in vim mandati hujus 24. ejuſdem menſis citati ſunt Bruxellis ad comparendum coram Albano, & reſpondendum ad gravamina intrà tres quindenas, ſub pœna perpetui exilii & confiſcationis bonorum.

Gravamina Orangii quoad Gubernationem Antv.

Inter citatos erant *Orangius* & *Hoogſtratanus*, qui tempore tumultuum fuerant Gubernatores civitatis Antverpienſis. In citatoriis autem Orangii, quæ referuntur in *ſuppl. P. Bor. pag.* 14., inter gravamina ejus ponuntur hæc concernentia gubernationem Antverpienſem: quod contrà edictum nuper publicatum permiſiſſet Brederodium in civitate Antverpienſi conſcribere milites & conquirere arma, eaque navi abducere Vianam cum omni apparatu, procurans ei etiam quædam tormenta; quod miſſus Antverpiam ad ſedandas turbas, ibidem propriâ authoritate & præter commiſſionem indulſiſſet exercitium omnium ſectarum; & ſectariis conceſſiſſet conſtructionem Fanorum & erectionem conſiſtoriorum, unde ſecutæ ſunt inconvenientiæ & pericula omnibus nota; permittens etiam collectiones pecuniarum, quæ deinceps applicatæ fuerunt in ſolutionem prædictorum militum.

Gravamina Hoogſtratani.

In citatoriis Comitis Hoogſtratani, quæ referuntur in *ſuppl. P. Bor. pag.* 18., inter alia gravamina hæc quoad actitata Antverpiæ commemorantur, quod nempè exiſtens Antverpiæ cum Orangio toleraſſet infinita abominabilia & enormina, inter alia conſcriptionem militum pro Brederodio contrà Regem, & tranſlationem eorum navi Vianam cum omni genere armorum.

Principes iſti ad citationem non comparuerunt; ſed primò provocârunt ad competentem judicem, dein ſcriptis publicis ſe conati ſunt juſtificare. Illis autem non ob-

ſtantibus

ſtantibus, non comparentes intrà tertiam quindenam, condemnati ſunt ad pœnas in citatoriis memoratas. Et interim principes illi parârunt ſe ad Bellum, quod multis annis Belgium turbavit & tandem laceravit. Anno 1568. 24. Janu.

Voluit inſuper Albanus, ut Magiſtratus civitatum, quæ nuper turbatæ & ſeditionibus agitatæ fuerant, ſe juſtificarent, & liquidè probarent, ſe Fidei & Regis negotia fideliter obſervaſſe. Magiſtratus Civitatum coguntur ſe juſtificare.

Senatus Antverpienſis pro juſtificatione ſua amplum ſcriptum exhibuit, in eo demonſtrans, ſe ante & tempore tumultuum omnia peregiſſe & nihil omiſiſſe eorum, ad quæ fideles Regis miniſtri & ſubditi tenebantur, ac quæ attentâ temporum malignitate poterant & debebant; ſeque vigilantiâ ſuâ & labore omni caſu, non ſine periculo vitæ & bonorum, conſervaſſe in civitate catholicam fidem ejuſque exercitium & debitam Regi obedientiam; ac procuraſſe ceſſationem prædicationum, exercitiorumque novæ Religionis; liberantes per hoc civitatem à turbis turbarumque cauſis, eamque tradentes in manus Regis cum omni ſubmiſſione ad ejus obſequium, quò ſemper omnia ſua tenderant; ſeque rem eò, dante Deo, perduxiſſe ſine effuſione ſanguinis cujuſquam. Tandem indicant, ſe ſemper conatos fuiſſe extirpare omnem hæreſim, & non tantùm Edicta regia deſuper condita ſingulis ſex menſibus publicaſſe, ſed etiam rigoroſè obſervaſſe; & contravenientes juxta contenta puniviſſe, tam capitaliter quàm aliàs, magìs quàm in ulla alia Belgii civitate. Enarrant dein omnia de die in diem peracta uſque ad adventum Gubernatricis, prout ſuprà vidimus. Scriptum autem Senatûs deſuper cônfectum & Regi inſcriptum Senatus Antverp. ſe juſtificat.

refert

Anno 1568. 24. Janu. refert P. Bor. *fol.* 150. *verſo.* Sic autem juſtificatio Senatûs Ducem Albanum & alios convicit, ut ultrà nihil de præcedentibus tumultibus aut ſeditionibus ipſi imputatum fuerit.

Henricus van Berchem Burgimagiſter ſe juſtificat. Non tantùm autem Magiſtratus civitatum, ſed & privati aliqui, qui tempore tumultuum in functione fuerant, juſtificationes ſuas conſcripſerunt, nè actitata in malam partem verterentur, aut ut leviter vel malitioſè imputata falſa demonſtrarent.

Inter illos videmus juſtificationem ſuam conſcripſiſſe & exhibuiſſe Dominum *Henricum van Berchem*, qui annis 1558., 1559. & 1561. fuerit ſecundarius, ac 1564. 1566. & 1567. primarius hujus civitatis Burgimagiſter. Hæc ejus Juſtificatio refertur apud P. Bor. *fol.* 154. *verſo.* In ea, ad demonſtrandam ſuam fidelitatem, exhibet, ſe jam à viginti annis eſſe Mamburnum & Patronum plurium eccleſiarum, notanter monialium Clariſſarum, Tertii Ordinis & Nigrarum ſororum; exhibet, ſe tam ſæpe, quàm fuerat Burgimagiſter aut Scabinus, fuiſſe exactiſſimum Edictorum contrà ſectarios executorem; notum eſſe Decano Capituli, ſe cum illo anno 1558. detexiſſe horribilem Sectariorum conſpirationem & inſtitutionem conſiſtorii & magiſtratûs inter illos, omniaque illorum ſecreta primum manifeſtaſſe; eoſque dein ſic diſſipaſſe, ut plures ex illis morte plexi, relegati & diſperſi ſic fuerint, ut per plures annos vix reliquiæ ſuperfuerint. Exhibet, ſe ſæpe cum Marckgravio & armatis exiiſſe ad diſſipanda ſectariorum conventicula; ſe, infrà juriſdictionem Dominii ſui de *Berchem*, ſine miſericordia puniviſſe ſectarios, ita ut pluries tres, ſex, octo, imò quindecim ſimul uno veſperi ceperit, & dein

Detexit conſpirationem anno 1558.

dein plecti juſſerit : ſeque hactenùs in dicto ſuo dominio obſervantiſſimum ; ut vel ideò propter conſtantiam per Gubernatricem anno 1566. ſtatutus fuerit Burgimagiſter , undè timor inter ſectarios videntes inſenſiſſimum ſuum hoſtem ſibi præpoſitum ; qui vel ideò non ceſſârunt dein omnia ſua in malum vertere , calumniari & ſana conſilia invertere , &c. Anno 1568.

Exhibet, ſe conjurationem , conceptam apud *Lanoy* & *Waterloo* ad pellendam Bruxellis Gubernatricem , deteхiſſe , ſicùt & alia ſimilia. Exhibet dein curam & ſollicitudinem ſuam tempore Burgimagiſterii ſui , & notanter tempore tumultûs in Mera , requirens , ut , ſi quid neglectum fuerit , id adſcribatur malignitati temporis , ſuæ imbecillitati & acerbitati ſuperiorum Gubernatorum , quibus intendere debebat.

Tandem addit , ſe juſtificationem hanc exhibuiſſe ad neceſſariam ſuam defenſionem , & ad faciendum ſatis ſuæ Excellentiæ ſuper diverſis gravaminibus : & , quum communiter haberetur auctor & cauſa introductionis ſubſidiarii in *Kiel* in Eccleſiam D. Georgii , dicit , ſe tempore introductionis ibidem præſentem non fuiſſe , ſed id effectum fuiſſe per quemdam *Adamum van Berchem* Schultetum in *Kiel* , Capitaneum ſatellitum Principis : errorem autem ortum ex ſimilitudine nominis *Berchem* , cum dictus *Adam van Berchem* à quibuſdam diceretur *Joncheer van Berchem* & ab aliquibus *Heer van Berchem*.

Sic autem per hæc , quæ latiùs referuntur loco citato , ſe juſtificavit Dominus *Henricus van Berchem* , & ſuper omnibus tam plenè ſatisfecit , ut anno ſequenti 1569. per Ducem Albanum iterum factus ſit primarius civitatis Burgimagiſter.

Albanus ,

Anno 1568. 5. Febr. Captivi Cives reſtituuntur Senatui ab eo judicandi. Albanus, cum jam Primores aut carceri mancipari aut citari curâſſet, ad particulares ſeu privatos etiam ſe convertit; & Droſſardo Brabantiæ deſuper commiſſionem dedit. Is Antverpiam venit & 5. februarii de nocte octo cives è lecto ſuſtulit, eoſque captivos duxit & tenuit in domo ſub inſigni Angeli viâ dictâ *op't Zant*. Sequenti nocte quoſdam Walones iconoclaſtas apprehendit & apud prædictos locavit: ſimiliter 9. menſis cives quoſdam captivos duxit, undè magnum murmur inter populares. Senatus autem Antverpienſis deputatos miſit Bruxellas, qui querelas deſuper deferrent ad Albanum: Dux verò, auditis rationibus, juſſit dictos captivos deduci ad carcerem civitatis *het Steen*, judicandos per Senatum Antverpienſem. *Antw. Chron. pag.* 154.

8. Febr. Turbata concio apud Minoritas. Apud Minoritas prædicabat hoc tempore minorita Aurelianenſis; qui fuerat diſcipulus calvini, ſed converſus jam ultrà annum gallicè prædicaverat in hac civitate, tùm in templo Ordinis, tùm in S. Jacobi, arguens continuò ſectariorum errores, tùm ex ſcriptura, Conciliis & SS. Patribus, tùm etiam ex ſcriptis calvini & Lutheri. Die autem dominicâ 8. hujus menſis, ad concionem ejus venit quidam antiquus mercator Armenterienſis, dictus *Marcus Salegontus*. Hic cum audiret prædicantem arguere errores, quibus imbutus erat, clamavit elatâ voce, quod mentiretur; & ſtans juxtâ ſuggeſtum minatus eſt prædicantem ſtricto gladio confodere, dum deſcenderet. Hinc turbatum totum auditorium. Quidam apprehenſum duxerunt ad forum, undè captivus ductus eſt ad carcerem civitatis. Verùm, cum examinatus fuiſſet, dictus eſt mente infirmus. Interim cum per 21. menſes carcere detentus fuiſſet, punitus eſt 15. Novemb-

vembris anni ſequentis, expoſitus in foro lineis indutus cum laqueo ad collum patibulo affixo. *Antw. Chron.* Anno 1568.

Die 21. februarii ſtilo hodierno è curia Antverpienſi proclamati ſunt circiter quinquaginta tùm viri tùm feminæ ad comparendum Bruxellis & reſpondendum de ſuo receſſu & occultatione intrà tres ſeptimanas pro omni dilatione ſub pœna exilii & confiſcationis bonorum. Ita Jacobus Weſembeke in ſua *Juſtificatione pag.* 5. Auctor *Antw. Chron. pag.* 156. dicit proclamatos fuiſſe quinquaginta duos, ſed malè dicit ſub pœna vitæ. Refert autem illic nomina citatorum; an omnia non liquet: interim inter illos nominat *Jacobum Weſembeke* quondam Penſionarium noſtrum.

21. Febr.

Quinquaginta perſonæ citantur ad juſtificationem.

Weſembeke cum audiſſet ſe tam turpiter è Curia præter meritum, ut aſſerit, proclamatum & citatum fuiſſe, ſcribit deſuper ad Procuratorem generalem litteras datas in loco exilii 6. martii 1568. ſtilo Imperii, in qua conatur probare nullitatem iſtius citationis, & proteſtatur contrà eam & quæcumque inde ſecutura. Epiſtola illa integra refertur ad calcem ejus *Juſtificationis. pag.* 38. & *ſeqq.* Secundo pòſt die, id eſt 8. martii, ſimiliter ſcribit ad Senatum Antverpienſem, petens ſibi mitti exemplar citationis ſuæ; ſed cum nullus, nequidem frater ſuus germanus, ſciret ubi eſſet, rogat, ut reſponſum ponat in manus dicti ſui fratris, aſſerens ſic litteras perventuras ad ipſum. Et interim, ſi negotium iſtud fortè agitaretur coràm ipſis, proteſtatur de nullitate citationis & omnibus inde ſecuturis. Extractum iſtius epiſtolæ refertur loco citato *pag.* 41.

Inter quos Weſembeke Penſionarius.

Qui deſuper ſcribit ad Procuratorem & ad Senatum.

Primâ die martii, ut aſſerit Auctor *Antw. Chron. pag.* 137., proclamati ſunt & revocati ad defenſionem ſuam intrà tres ſeptimanas triginta

1. Martii.

Citantur 31. cives.

Anno 1568. 1. Martii. triginta tres cives cum uxoribus, qui deliquerant contrà decreta Regia. Nomina illorum illic exhibet.

Filius Orangii ductus in Hiſpaniam. Filius Orangii *Fredericus Philippus* Comes Burenſis puer ſedecim circiter annorum, qui 16. præteriti menſis Lovanio, ubi ſtudiis incumbebat, Antverpiam ductus fuerat & traditus Lodronio cuſtodiendus, per dictum Comitem Lodronium, comitantibus pluribus notabilibus perſonis, deductus eſt ad navim, cui impoſitus ſolvit in Hiſpaniam ad Regem, ibidem ulteriùs inſtituendus.

2. Martii. Judicium Inquiſitorum Hiſpanorum circà Belgas. Interim Hiſpaniarum Rex ſollicitus circà Belgium, convocavit in regia ſua civitate Inquiſitores fidei, eiſque exhibuit informationes, quas habebat è Belgio, requirens, ut judicium ſuum ferrent & indicarent circâ rebellionem & actitata Belgarum. Dicti autem Inquiſitores maturè examinatis & ponderatis informationibus Regis cum annexis literis à fide dignis è Belgio miſſis, 16. elapſi menſis Februarii judicium ſuum præſente Rege tulerunt atque dixerunt, quod, quantùm ſpectat ad Theologiam & conſcientiam, omnes & ſinguli Regis ſubditi in Belgio, exceptis iis, qui nominatim in dictis informationibus expreſſi ſunt (*qui & quales fuerint dicti excepti neſcimus*) reſpectu publicæ rebellionis ſint hæretici, recedentes à Deo & S. matre Ecclesia, ac à mandatis & obedientia Catholici Regis. Quod alii, qui ſe gerunt ut Catholici & functi non ſunt officio (quantùm Deo & Regi tenebantur) in reſiſtendo rebellibus, hæreticis, ſeditioſis & tumultuoſis, & impediendis eorum facinoribus, meritò habeantur ut fautores rebellium & ſeditioſorum; quod etiam Nobiles, qui ſub nomine ſubditorum Libellum iſtum obtulerant contrà Inquiſitionem, rebel-

rebelles & ſeditioſos hæreticos audacter excitâſſent, & vel ideò omnes incurrerint crimen læſæ majeſtatis.

Anno 1568. 2. Martii.

Quod autem inquiſitores iſti ſic declaraverant in quantùm ſpectat Theologiam & conſcientiam, voluit Rex executioni mandari per juſtitiam legalem, ut aſſerit P. Bor. *fol.* 160. *verſo* & Fleury *Hiſt. Eccl. Tom.* 34. *pag.* 532. Unde & die 27. ejuſdem menſis commiſſionem deſuper miſit in Belgium ad Albanum.

Mandatum Regis deſuper ad Albanum.

Hæc commiſſio veroſimiliter excitavit ſeveritatem Albani, ut non tantùm animadverteret in Primores, ſed etiam in plebeos, qui in præcedentibus tumultibus vel minimum deliquerant; imò qui aliquoties tantùm prædicationes adierant. Conſequenter ſtatuerat, ut ubicumque in Belgio eodem tempore, nocte nempè ante diem cinerum, id eſt 2. hujus menſis, apprehenderentur quotquot prædicationes frequentaverant: ita ut conſtituti eſſent commiſſarii, qui cùm locorum Officiariis id exequerentur. P. Bor *fol.* 163. *verſo.*

Qui mandat plures apprehendi.

Ad exequendum itaque hoc mandatum ex parte Aulæ Antverpiam venerunt commiſſarii, *de Roy Roeyde*, qui cum Scultetis Antverpienſibus dictâ nocte invaſerunt viginti aut triginta domus; inde extrahentes & captivos ducentes viginti quatuor cives; quoſdam cum uxoribus, qui templa confregerant & ſpoliaverant. Dicti commiſſarii iterum circuierunt 5. menſis; quærentes quoſdam rebelles & ſectarios; ſed neminem domi invenientes, officiarios in domibus abſentium vel fugitivorum poſuerunt, qui bona in illis relicta cuſtodirent. Antw. Chron. *pag.* 158.

Apprehenſi Cives Antverpiæ.

14. Martii

Die dominicâ 14. martii anniverſariâ diei illius, quâ anno præcedenti civitas turbata fuerat

Die anniverſaria tumultûs in Mera Proceſſio generalis.

Anno 1568. 21. Martii. ducti ſunt ſeptemdecim captivi, qui ibidem congregati fuerant: erant autem plerique Walones & inter illos aliqui rebelles calviniſtæ, qui Tornaco fugerant & inde deſcripti erant, ut apprehenderentur. *Antw. Chron.*

Senatus deſuper deputat ad Albanum. Senatus Antverpienſis cernens continuò plurimos cives & incolas citari, apprehendi & captivos duci, & inter illos plures, qui excepti non fuerant in declaratione 7. aprilis anni præcedentis: imò qui tantùm aliquoties prædicationes adierant magis curioſitatis ergò, quàm ex perverſâ voluntate; pro quibus apud Gubernatricem intercesſerat & remisſionem petierat, aut ſaltem, ſi Rex remisſionem concedere nollet, ipſis poſt declarationem Regis concederetur menſis, quo cum bonis & familia liberè diſcedere poſſent: ad quam requiſitionem dictum menſem Gubernatrix benignè conceſſerat. Cernens, inquam, Senatus ſimiles jam, non obſtante quod regia voluntas deſuper declarata non eſſet, apprehendi & carceri mancipari, deputatos ſuos deſuper miſit ad Ducem Albanum, qui morabatur Sylvæ-ducis, prædicta ei exponens & humiliter ſupplicans, quatenùs, ſi Rex prædictis indulgentiam concedere nollet, voluntatem ſuam deſuper manifeſtaret; prædictum menſem propter honorem Gubernatricis concederet, & dictos captivos liberè dimitteret: notanter quia Senatus eos ſub iſta cautione in civitate retinuerat.

Reſponſum Albani. P. Bor, qui hæc refert *fol.* 150., addit Albanum deputatis reſpondiſſe, ſe mirari, adhuc quemquam è Senatu Antverpienſi tam audacem & impudentem, qui audeat pro hæreticis intercedere: & mandaſſe deputatis, pro reſponſo referrent Senatui, ut caverent ultrà ſimilia attentare, alioqui omnes morte plecteret; atque dixiſſe, Regem malle regiones ſuas

deſer-

deſertas, quàm vel unum in eis hæreticum tolerare. Verùm de hoc ſevero Albani reſponſo nihil apud alios reperitur. Interim neſcimus, qualem effectum habuerit hæc Antverpienſium deputatio.

Anno 1568.

Aprilis.

Seditioſi &c. morte plexi.

Initio menſis aprilis ex multitudine captivorum, plurimi ſeditioſi calviniſtæ, iconoclaſtæ, deprædatores eccleſiarum & lutheranorum conſiſtoriales plecti cœperunt, tam Antverpiæ & in aliis Brabantiæ civitatibus, quàm in civitatibus aliarum Belgii provinciarum.

Sectarii prædicant in navibus.

Interim nec rigor hic in puniendis ſeditioſis, nec exactiſſima diſquiſitio cohibere potuerunt ſectariorum audaciam: die enim 20. hujus menſis audacter prædicârunt in duabus navibus in Schaldi ex adverſo *Auſtruweel.* Ex civitate autem eò miſſi ſunt navi, qui inquirerent quales eſſent dictæ naves. Interim neſcitur, quid inde evenerit. *Antw. Chron.*

Novum Caſtrum munitur.

Novo Caſtro utcunque inſtituto & mœnibus cincto, Comes Lodronius 26. hujus menſis ex armamentario civitatis eò duxit circiter quinquaginta tormenta, cum pilis ferreis & pulvere eo ſervientibus. Dubium autem eſt, num Lodronius hoc fecerit pacificè: quia Author *Antw. Chron.*, qui id refert, addit, quod 28. Lodronius dicta tormenta duxerit ex Caſtro ad novam Curiam, & quod ipſemet eo die in foro equorum civem apprehenderit, & captivum duxerit ad caſtrum ibidem torquendum; quòdque eodem die publicatum ſit, nè quis nova fingeret aut divulgaret ſub pœna virgarum, quia quiſque tunc loquebatur prout erat affectus. Hæc inquam, indicant, extractionem dictorum tormentorum ex armamentario civitatis pacificè peractam non fuiſſe.

Prima Miſſa ibidem.

Vigeſimâ nonâ in dicto Caſtro hiſpanus concionator primam miſſam celebravit in nova

Anno 1568. ibidem erecta Capella. An autem Capella iſta fuerit ſolida, an tantùm portatilis ſeu militaris neſcitur.

May. Ex civitate 2. may ad novum Caſtrum tenderunt duo ſigna germanorum, qui illud cuſtodirent; manſeruntque ibidem deinceps, ſed cives illis procurare debebant omnia utenſilia.

Præſidium militare introducitur.

Die 18. may hic iterum ex parte Aulæ publicati & citati ſunt circiter centum tum viri tum feminæ, qui propter ſeditioſa fugerant; ut redirent & ſe juſtificarent ſub pœna vitæ & bonorum.

Citati cives.

Novum Caſtrum jam quidem erat in ſtatu defenſionis, mœnia erecta & foſſæ ad profunditatem deductæ: ſed mœnia muris firmari debebant. Unde die 22. menſis hiſpanus concionator celebratâ ibidem Miſſâ decimâ matutinâ benedixit lapidi fundamentali, qui ſtatim poſitus eſt in parte caſtri meridionali per nobilem Hiſpanum; & ſic progreſſi ſunt in producendis muris circum caſtrum, non ſine difficultate propter fundum uliginoſum &c.

Caſtrum muris cingitur.

Albanus, qui initio menſis à minoribus cœperat ſupplicia, ad primores progreditur. Et primò 28. menſis Orangium, Hoogſtratanum & alios Principes, non comparentes præſcripto dierum numero, Majeſtatis reos pronuntiat, proſcribit & eorum bona Fiſco addicit; non tantùm quia non comparuiſſent nec ſe juſtificaſſent, ſed & quia arma jam ſumpſerant contrà Regem. Strada, *Pag.* 338. P, Bor. *fol.* 169.

Orangius & Hoogſtratanus proſcribuntur.

Junii. Primâ junii novemdecim ex conjuratis nobilibus à Concilio turbarum damnatos Bruxellis in foro arenario capite plecti jubet. Idque ſequentibus quoque diebus ſervatum eſt: poſtridie enim eodem in loco eodemque ſupplicio nobiles

Nobiles morte plexi.

biles quatuor ſunt damnati. *Strada.* Tandem Bruxellis in foro *Egmuntium* & *Hornanum* itidem condemnatos capite plecti juſſit 5. junii.

Anno 1568. Junii.

A tempore, quo Abbatia S. Bernardi vacaverat per apoſtaſiam Abbatis ejuſdem *Thomæ Thielt*, Religioſi, junctis Abbatibus Ciſterc ienſibus & Ordinibus Brabantiæ, iterùm egerant apud Regem ad tollendam unionem ejuſdem Abbatiæ cum Epiſcopatu Antverpienſi. Medium autem ſuggeſtum, ad id efficiendum ſine ulteriori difficultate, erat ſuppreſſio dicti Epiſcopatûs, qui partim uniretur Archiepiſcopatui Mechlinienſi, partim Epiſcopatui Buſcoducenſi. Sic autem Religioſi egerunt apud Regem, ut videatur inductus fuiſſe: Rex enim deſuper ſcripſit & rem detulit ad PIUM PP. V. Verùm Pontifex conſiderans rem maturè ponderatam fuiſſe in inſtitutione, hoc anno die 11. junii Breve apoſtolicum miſit ad Ducem Albanum Gubernatorem Belgii, ſignificans incorporationes Abbatiarum maturo conſilio factas nullatenùs eſſe tollendas, neque ſupprimendum Epiſcopatum Antverpienſem; ſed ibi quammaximè opus eſſe vigili Paſtore. Ac proinde Ducem Albanum ſeriò requirit Pontifex, ut commonefaciat regiam Majeſtatem, quatenùs abſque dilatione nominet pro Epiſcopatu Antverpienſi virum gravem, utque etiam curet incorporationem Abbatiarum ad effectum perduci. Havenſius *de Erect. Epiſc. Belg. pag.* 75. Eadem indubiè Pontifex ſcripſit ad Regem: unde non diu poſt hæc Rex ad Epiſcopatum Antverpienſem nominavit *Franciſcum Sonnium* primum Buſcoducenſium Epiſcopum, ut infra dicetur.

Petitur ut Epiſcopatus Antv. ſupprimatur.

Renuit Pontifex.

Cum bona morte plexorum, captivorum & relegatorum Fiſco addicta eſſent, & compertum haberetur, multa eorum bona malitioſè occultari, Edictum regium prodiit

Edictum ad manifeſtanda damnatorum bona.

Anno 1568. Junii. Bruxellis 26. junii, quo mandabatur, ut omnes ſimilia bona ſcientes aut poſſidentes ea denuntiarent ſub pœna valoris eorumdem &c. P. Bor. *fol.* 173.

Dux Albæ tendit in Friſiam. Dux Albæ 27. menſis Antverpiam venit, unde, cum omnia probè diſpoſuiſſet ad novi Caſtri urbiſque defenſionem, deceſſit 30. Silvam-ducis & inde in Friſiam, debellaturus rebelles ductos per Ludovicum Naſſovium fratrem Orangii, à quibus nuper cæſus fuerat Arembergius.

Julii. Capite plexi. Decimâ julii in foro morte plexus eſt quidam ſartor ſeptuagenarius, qui contrà mandatum Regis prædicationes permiſerat in ſua cavea. Alius itidem veroſimiliter anabaptiſta combuſtus eſt, qui in errore perſtitit.

Cemeterium B. M. conſecratur. Martinus Cuperus ſuffraganeus Cameracenſis 15. julii ſolemniter conſecravit ſeu reconciliavit cemeterium Eccleſiæ matricis, quod iterum violatum fuerat; erexitque in eo quinque ingentes ligneas cruces. Poſt reconciliationem concionem ad populum habuit *Sebaſtianus Baerts* Plebanus præſentibus Epiſcopo, Capitulo & Senatu. *Antw. Chron.*

Albanus cædit rebelles. Nuntium victoriæ relatæ de rebellibus per Albanum in Friſia ad Gemingam relatum eſt Antverpiam 22. menſis. Hinc magna ubique lætitia. Victoriam hanc deſcribit Albanus in literis datis 22. in caſtris ad Conciliarios ſtatûs, relatis apud P. Bor. *fol.* 176. In illis autem requirit, quatenùs fiant Proceſſiones & preces ad Deum pro parta per eum victoria.

Auguſt. Inde Proceſſio & preces. Hinc Antverpiæ indictæ ſunt preces ad diem martis 3. aug, inhibitumque fuit aperire officinas ante meridiem, ratione Proceſſionis publicæ, quæ eo die habita fuit. Venerabile geſtabat Decanus Capituli *Rogerius de Taxis*, comitantibus omnibus Ordinibus & Comite Lodronio

cum

eum omnibus militaribus Præfectis, manu faces gestantibus. Anno 1568. Auguſt.

Turbaverat Proceſſionem hanc quidam vector ſordium, qui cum curru ſuo omni vi tranſire volebat per ordinem proceſſionis ante Venerabile, nec cohibebatur per mandatum Senatûs. Apprehenſus autem eſt turbulentus iſte & 6. Aug. virgis cæſus ad Burſam anglicam, & ante Curiam damnatus eſt ad remos per octo annos. Turbulentus in ea punitur

Decimâ quartâ Aug. in foro combuſtus eſt ſutor veteramentarius, qui erat prædicutius: quia in ſolario domûs ſuæ prædicaverat, & in falſa opinione perſiſtebat. *Antw. Chron.* Prædicutius Combuſtus.

Dominus *Franciſcus Doncker* Canonicus & Scholaſter cum duobus ſcabinis D. *Houtappel* & D. *Martino van Ranſt*, advocavit omnes ludimagiſtros & ludimagiſtras ad inquirendum, quid tempore graſſantis hæreſis infantes docuiſſent. Cum autem comperiſſet, plures docuiſſe catechiſmum lutheranum, aliosque docuiſſe cantare geuſiorum pſalmos & duxiſſe infantes ad prædicationes eorum, eos à magiſterio depoſuit. Unde 3. menſis publicè nominatim citati ſunt ad ſe juſtificandos viginti ludimagiſtri & duodecim ludimagiſtræ, quorum nomina refert *Antw. Chron.* Ludimagiſtri examinantur.

D. *Anthonius Straelen*, quondam hujus civitatis primarius Burgimagiſter & Toparcha de Merxem, hactenus captivus detinebatur Vilvordiæ. Et tandem per Concilium Albani contrà eum eſt ſententia lata 11. hujus menſis, & declaratus reus mortis. Sententiam hanc refert P. Bor. *fol.* 176. *verſa.* Anthonius Straelen Burgimagiſter condemnatur

In ea autem referuntur ejus gravamina, probata tum per propriam confeſſionem, tum per litteras & ſcripta apud eum inventa: nimirùm Gravamina.

Anno 1568. Auguſt. mirùm quod anno 1565., dum erat Burgimagiſter, communicationem habuiſſet cum Orangio in oppoſitione contrà mandata Regis quoad obſervantiam Concilii Trid. & Edictorum regiorum, concernentium Religionem & Inquiſitionem ſecundùm antiquam conſuetudinem; Quod à *Jacobo van Weſenbeke*, tunc civitatis Penſionario, recepiſſet duas copias Libelli ſupplicis offerendi ac dein oblati per conjuratos Nobiles, & plures alias literas, tam rem hanc quàm alias concernentes, repletas punctis ſeditioſis; Quodque prædicta non tantùm non manifeſtaſſet Gubernatrici, ſed econtrà prædictum *Weſenbeeck* retinuiſſet in ſervitio civitatis, & ſervitio ejus uſus eſſet in machinationibus ſuis cum Orangio; Quod tentaſſet in civitatem introducere novas hæreſes, notanter Confeſſionem Auguſtanam, præferens, admiſſionem illam pacificaturam turbas; & quod reſciens, quæ Orangius, Hoogſtratanus & alia rebellium capita in Germania moliebantur, parantes apparatum bellicum ad vi armorum in Belgium introducendas dictas hæreſes & Confeſſionem Auguſtanam, non indicaverit id Gubernatrici.

Sententia. Poſt hæc & alia, ibidem latiùs deducta, concludit Concilium: *Dunct den voorſchreven Rade, dat de gevangenen heeft verdient ghedoot te worden, met verbeurte aller zynre goeden. Niet te min ware zyne Excellentie gheneycht tot gratie, de dienſten ter contrarien by den ghevanghenen der Majeſteyt ghedaen, ſouden daer toe groote materie ende oorſaeke ghenoech gheven: als te hebben op't eynde der leſter oorlogen tegen Vranckryc middel gevonden, omme groote ſommen ghereet gelts te lichten, om t' uytlants oorlochs volck te betalen, die anders*

anders het landt uytgheteert mochten hebben ; Anno
des zyn Majeſteyt doen ſeer aengenaem was, ſo 1568.
den Secretaris Berthy tuycht ; Ghebroocken, om Auguſt.
te beletten den ſecourſe der rebellen, de bruggen ten tyde van den verſlaginghe t'Ooſterweele ; Ghedaen goede dienſten ter incomſte van haer Hoocheyt binnen Antwerpen met ſoo vele volckx als't haer beliefde, ſonder eenich belet ofte teghenſegghen, gelijck by den beleyt van den proceſſe van al blijckt. Gedaen t'Antwerpen den 11. *auguſti* 1568. Ita ſententiam refert *P. Bor.* loco citato. Cum autem ſententia hæc ſcribatur Antverpiæ data, ſignum eſt, quod Concilium Turbarum aut ſaltem notabilis ejus pars Antverpiæ moraretur.

Ex hac ſententia ſatis patet, quod Concilium, declarans *Stralium* reum mortis, inclinaretur ad gratiam. Eo tamen non obſtante morte plexus eſt. Strada indicat eum morte plexum ante Egmontium & Hornanum, id eſt, diu ante latam hanc ſententiam. Verùm *Antw. Chron. pag.* 175. refert eum decollatum. 24. ſeptembris, adeoque ſex ſeptimanis poſt latam prædictam ſententiam. Et vel hinc poſſumus colligere, diu deliberatum fuiſſe, num ipſi fieret gratia, Albanumque eò inclinatum fuiſſe. Verùm fortè intereà temporis alia gravamina detecta fuerunt, propter quæ mori debuerit. Capite autem truncatus eſt prædicto die Vilvordiæ in foro, ſedens in ſella propter podagram. Capite plectitur.

Poſt mortem ejus, inter alios famoſos & injurioſos libellos, prodiit etiam juſtificatio *Anthonii van Stralen*. Unde deinceps menſe Novembris publicatum eſt Edictum prohibens ſimiles libellos, & mandans eos deferri ad Officiarios locorum &c. P. Bor. *fol.* 179. *verſo.* Juſtificatio *Jacobi Weſenbeke* Penſionarii quondam prodit juſtificatio ejus & Weſembekii.

Anno 1568. August. quondam noſtri, de quo fit mentio in prædicta ſententia, demùm vulgata fuit anno ſequenti, ut ſupra dictum eſt ad 19. martii.

Orangius parat venire in Belgium.

Ferebatur hoc tempore Orangium Moſam tranſiturum, venturumque ad ſe armatâ manu juſtificandum. Hinc Antverpiæ 19. aug. tam intrà quàm extrà civitatem pro omni caſu detenti ſunt omnes currus; & Albanus, qui nuper Ludovicum Naſſovium è Friſia pepulerat, movit verſùs Trajectum ſuperiùs, impediturus Orangium nè Belgium intraret, aut eum, ſi intraret, debellaturus.

Conatur ad ſeditionem excitare Belgas.

Et certè rumor de adventu Orangii vanus non erat: ultrà Rhenum enim parabat exercitum, animatus per Marcum Perez & ſocios, qui plenipotentiarii erant ſectariorum in Belgio, quique aut ibi occultè morabantur, aut aliò fugerant, ad ei conferendum trecenta millia florenorum: Orangius autem appropinquans plures libellos diſpergi curaverat inter Belgas, tum ut exhiberet rationes ſuſcepti belli, tum ut, dum intraret Belgium, turbas excitaret contrà Albanum & ut fautores inveniret. P. Bor., qui hæc indicat *fol.* 181., refert ad longum unum ex iſtis libellis datum ult. aug.

Bona fugitivorum venduntur.

Hoc menſe Commiſſarii Hiſpani bona ſectariorum & fugitivorum &c. cœperunt publicè vendere.

Septemb.

Lectio Theologalis.

SEBASTIANUS BAERTS Plebanus B. Mariæ cœpit 1. ſeptembris explicare primam B. Pauli epiſtolam ad Corinthios in dicta Eccleſia in loco Bibliothecæ: habuitque initio magnum concurſum. Ita notat Author *Antw. Chron.* An fortè hîc cœperit in Capitulo Antverpienſi Lectio Scripturiſtica ſeu Theologalis, quam requiſierat Conc. Trid. *ſeſſ. V. de reform. Cap.* 1.

Cap. 1., quæque deinceps annexa fuit Præbendæ canonicali? Anno 1568.

Die 5. ſeptembris in foro Capite truncatus eſt quidem Mr. Anthonius de Schermere, qui quindecim menſibus carcere detentus fuerat, eo quod in tumultu Merano arma geſtaſſet contrà Regem. Sepultus eſt autum apud Prædicatores, quia catholicè mortuus eſt. Septemb. Decapitatus ſeditioſus.

Suprà vidimus Ludimagiſtros vocatos fuiſſe ad examen: unus autem ex illis injurioſè allocutus fuerat commiſſarios, id eſt, Canonicum Scholaſticum & Scabinos ad id deputatos. Hinc condemnatus fuit ad ſubeundam emendam, ut vocant, honorabilem; die 16. menſis hujus comparuit lineis indutus, nudis pedibus & candelam manu geſtans in Collegio coram Senatu, & in loco Capitulari coram Canonicis, ibidemque ſic conſtitutus veniam temeritatis ſuæ eſt deprecatus. Emenda honorabilis.

Hoc tempore multa patiebantur cives à militibus tum Walonibus tum Hiſpanis, qui non tantùm inter ſe rixabantur & in mutuas cædes proruebant, ſed & civium bona diripiebant tum in domibus, tum in plateis; obſiſtentes à domibus pellebant; filiabus & uxoribus abutebantur &c. Hinc iterum iterumque ad ſonum tympani publicatum eſt, nè quis alteri noceret aut arma ſtringeret ſub pœna ſuſpendii. *Antw. Chro.* Cives patiuntur à militibus.

Dux Albanus, qui obviam ibat Orangio cæteriſque rebellibus, taxavit omnes Abbatias & Capitula in tractu Leodienſi, in Brabantia & Flandria, quatenùs ad caſtra conferrent farinam, fœnum, aveham &c. Cumque ferebatur brevì prælium commiſſurus, Antverpiæ 21. ſeptembris habitæ ſunt publicæ preces Dux Albæ parat prælium.

& Proceſſio

Anno 1568. Septemb. & Proceſſio, quatenùs Deus Regi victoriam tribueret de rebellibus.

Iconomachus combuſtus. Markgravius 25. menſis vivum comburi fecit quemdam fabrum argentarium, iconomachum, qui primus Eccleſiam S. Georgii confregerat, & dein Capitaneus fuerat inter tumultuoſos in Mera. Perſeverabat hic in errore, alioquì ſuſpenſus fuiſſet.

Hoc menſe publicatum eſt & ſtrictiſſimè inhibitum, nè quis nova nuntia divulgaret aut commenta de Principe Orangio aut Duce Albæ.

Octobr. Orangius moſam tranſit. Orangius appropinquans ex Germaniâ cum exercitu Moſam tranſivit propè Stockum 4. octobris, taliter ut de re nil ſciretur in caſtris Albani. Orangius autem putaverat ſibi tamquàm Gubernatori aperiendas omnes civitates, ſed fefellit eum opinio.

Timent Antverpienſes. Quia autem timebatur, nè ultrà progrederetur, mandatum eſt villicis, ut excuſſa grana ad civitates transferrent, nè ab Orangianis diriperentur. Hinc incolæ circumvicinorum pagorum mobilia & beſtias Antverpiam duxerunt. Civitas ipſa & caſtrum, cum tandem obſidio timeretur, munita ſunt militibus & annona. Ipſi cives in particulari ſibi de neceſſariis providebant, ſi fortè Orangiani acceſſiſſent. Quia autem dein major timor erat pro civitate Bruxellenſi, decem ſigna Walonum Antverpiâ eò tenderunt 21. menſis hujus.

Novemb. Multi proſcripti. Menſis novembris die 18. Antverpiæ publicatæ ſunt & ex parte Regis è Belgio proſcriptæ centum quinquaginta perſonæ ſub pœna vitæ & bonorum, quia partem habuerant in ſeditionibus contrà Regem.

Orangiani pulſi è Belgio. Intereà Albanus proſequebatur Orangianos; & variis vicibus illatâ clade fugavit extrà Belgium.

Fugit

Fugit itaque Orangius deſideratis octo millibus ſuorum : reliquis partim in Galliam, partim in Germaniam fugientibus. Miſeri autem illi ſpe fruſtrati erant ; promiſſa enim illis erat magna præda in Belgio ; at tandem in ſumma egeſtate pedibus fugere debuerunt. Ita Albanus ſcripſit ad Concilium Status 22. novembris in epiſtola, quam refert P. Bor. *fol.* 184., in qua victoriam adſcribit Deo, requirens, ut fiant preces in gratiarum actionem. Anno 1568. Novemb. Decemb.

Preces autem publicæ & Proceſſio generalis cum Venerabili deſuper habitæ ſunt Antverpiæ 8. decembris. Preces publicæ deſuper.

Eodem hoc anno PIUS PP. V. Abbati S. Michaëlis conceſſit facultatem benedicendi ornamenta omnia eccleſiaſtica. Ita Author *Chor. apud Sanderum Cap.* IV. & Papeb. *Act. S. Norb. pag.* 956. *n.* 94. Non video autem, quid Abbates S. Mich. hic à PIO V. obtinuerint, quod non habuerant antea : nam anno 1459. à PIO PP. II. ſimul cum uſu mithræ & annuli obtinuerant dictam poteſtatem, ut patet ex ipſa bulla deſuper eo anno data, quæ ſuprà ad dictum annum *Tom. II. pag.* 364. relata eſt ; ibique videri poteſt. Abbas S. Mich. acquirit jus benedicendi ornam. eccl.

Duos hoc anno Antverpia perdidit non parvi nominis Poëtas, qui non quidem nativitate ſed domicilio civitatem cohoneſtaverunt, *Theodorum Pulmannum*, qui uſque in ſenectutem fullonem egerat, & *Joannem Vleminck* Toparcham de Wynegem ſecundo lapide ab Antverpia verſus Orientem. Hic ſepultus eſt in Cathedrali in ſacello B. Mariæ, & epitaphium ejus, illic quondam poſitum, exhibet Swertius in *Athenis belg.* Vide Foppens Bibl. Belg. *pag.* 638. & 1127. T. Pulmannus & J. Vleminck Poëtæ.

Hoc anno ceptum eſt in Typographia Chriſtophori Plantini ingens opus *Biblia Sacra* Rex procurat editionem Bibliæ Hebraicè Græcè & Latinè.

Anno 1568. cra *Hebraicè*, *Græcè* & *Latinè* VII. vol. in folio. Ceptum autem & perfectum eſt ſtudio & pietate PHILIPPI II. Hiſpaniarum Regis, qui pro ſua ergà Eccleſiam pietate ad uſum ejus voluit opus illud undique completiſſimum: undè viros doctiſſimos & in linguis verſatiſſimos illi intendere voluit. Miſit eo fine ex Hiſpania Antverpiam *Benedictum Ariam Montanum* jaminde ſcriptis famoſum, qui toti operi ſuperintenderet; advocavit *Andream Maſium* natum juxtà Bruxellas, quondam Joanni à Weſa Archiepiſcopo Conſtantienſi & Lundenſi à ſecretis, nunc Duci Cliviorum à Conſiliis; Adhibuit & *Franciſcum Raphelengium* Plantini generum, *Guidonem* & *Nicolaum Fabritii*, *Joannem Harlemium* S. J., *Guilielmum Canterum*, alioſque viros eruditos. Primus tomus completus erat kal. martii anno 1569., reliqui anno 1572. Præfationes, Appendices & Indices appoſuit *Arias Montanus*, qui opus completum Romæ GREGORIO PP. XIII. Regio ac ſuo nomine elegantiſſimâ oratione obtulit. Fertur autem Rex ad opus hoc contuliſſe 30. ducatorum millia.

Lovanii editur Gallicè & Flandricè. Hinc patet, quàm falsò hæterodoxi adſcribant catholicis, quod uni intendant Vulgatæ & non textibus originalibus. Circà hæc etiam tempora Lovanii editæ fuerunt tranſlationes bibliorum Flandrica & Gallica: quod certè factum non fuiſſet, ſi, ut hæterodoxi effutiunt, lectio bibliorum in lingua vernacula per Eccleſiam prohibita eſſet. Permittit lectionem illam Eccleſia, ſed non niſi ſub cautione; nè damnum inde capiant temerarii, ut patet ex Regulâ 4. Ind. Concilii Tridentini.

Dux

Dux Albæ ejecto extrà Belgium citrà univerſum certamen, uti deſtinârat, Orangio, multis hoſtium, paucis ſuorum amiſſis, triumphanti ſimilis, Januario ineunte, Bruxellas intravit, indictis per belgium ob rem benè geſtam publicis ſupplicationibus. Receptus autem eſt non ſincerâ omnium lætitiâ; multorum certè dolore aut invidiâ, qui victum Orangium, non victorem Albanum volebant.

Anno 1569.

Dux Albæ triumphans redit Bruxellas.

Accedebat ad invidiam cumulandam, quod eodem tempore trophæum ſanè ſuperbum Antverpianâ in Arce ſtatuendum, ex tormentis bellicis Ludovico Naſſavio ereptis in Geningenſi prælio; conflari ſibi jubebat. Strada *pag.* 378.

Statuam ſibi erigendam confici jubet.

Addidit homini gloriam perhonorifica legatio, quâ Pontifex Pius V. Galerum & gladium aurò margaritiſque diſtinctos, ac Pontificis precibus ſolemni ritu ſacros, Albano tamquam catholicæ religionis propugnatori ab Urbe tranſmiſit. Epiſtolam hâc occaſione per Pontificem ad Albanum datam Romæ 21. martii hoc anno 1569. refert P. Bor. *fol.* 194. *verſo.* Munera autem hæc 6. may reverenter recepit Albanus in Eccleſia Bruxellenſi è manu Archiepiſcopi Cameracenſis poſt peractum ſolemne ſacrum.

Pontifex ei mittit galerum & gladium.

Verùm nihil æquè odium Albano duci hiſpanoque nomini cumulavit, ac nova tributi ratio; exactio nempe ſuprà modum rigoroſa nummi decimi, vigeſimi & centeſimi. Propoſuit eam Albanus convocatis Belgii Statibus 21. martii, nec deſtitit donec obtinuerit; ita ut res hæc, per totum ferè hunc annum, Belgium ultrà quàm dici poſſit turbaverit.

Exigit nummum decimum &c.

Anno 1569.

In B. M. Venerabile reponitur priſtino loco.

Interim Antverpiæ 8. febr. in Eccleſia matrice VENERABILE, primùm poſt iconomachiam generalem, repoſitum fuit in priſtino loco, in quo anteà conſervari ſoluerat, nempe retrò Altare in choro venerabilis Sacramenti. Ibidemque etiam poſt reductam civitatem honorificè conſervatum fuit uſque ad annum 1749., quo veteri Altari dejecto novum ſplendidius erectum eſt, primos lapides pangentibus Epiſcopo, Capituli Decano & Burgimagiſtro. In eo autem Altari, quod parieti affixum eſt, patenter poſitum eſt priſtinum tabernaculum artificioſè elaboratum, formam habens Arcæ teſtamenti: in eoque ſic conſpicuo jam aſſervatur VENERABILE.

Anabaptiſtæ capti & puniti.

Anabaptiſtæ, licèt, quandocumque detegebantur, rigoroſiſſimè punirentur; non ceſſabant habere ſecreta conventicula. Unum hoc tempore detectum eſt, in quo capti ſunt octodecim aut viginti: plures autem cepiſſet Markgravius, ſi aggredi tantiſper diſtuliſſet. Hinc toto hoc anno variis temporibus plures Anabaptiſtas hic publicè necatos refert *Antw. Chron.*

Prohibetur in Quadrageſima vendere aut emere carnes.

Feriâ ſecundâ ante diem cinerum, quæ erat 21. febr., publicatum eſt ex parte Senatûs, ne quis venderet aut emeret carnes in quadrageſima ſine conſenſu proprii Paſtoris in ſcriptis obtento & ſubſignato per *Rogerium de Taſſis* Decanum Capituli in qualitate Officialis Epiſcopi, ac per Dominum *Joannem van Immerſeel* Markgravium, ſub pœna quinque florenorum. Mandatum hoc indubiè datum eſt ut innoteſcerent hæterodoxi, qui occulti plurimùm nocebant.

Indulgentiæ Pii PP. V. publicatæ.

PIUS PP. V. conceſſerat Indulgentias plenarias per totum Belgium omnibus verè pœnitentibus, qui tempore præcedentium turbarum egerant contrà

contrà catholicam fidem; qui partem habuerant in confractione imaginum aut eccleſiarum, in prædicationibus aut hæreſi. Indulgentiæ iſtæ celebrari cœperunt Antverpiæ Dominicâ primâ Quadrageſimæ 27. feb., quo die habita fuit prima ſolemnis Proceſſio cum Venerabili, comitantibus Clero & Senatu, poſt celebratam ſolemnem Miſſam in Eccleſia matrice. Secundà Proceſſio eodem modo inſtituta fuit feriâ quartâ ſequente ad D. Walburgis, ubi celebrata fuit Miſſa. Tertia demùm Proceſſio inſtituta fuit feriâ ſexta ad D. Jacobi, ubi Miſſa ſimiliter ſolemniter celebrata fuit. *Antw. Chron.* Anno 1569.

Cum magna quidem devotione peracta fuit hæc ſolemnitas, ſed indulgentia hæc forum tantùm concernebat internum. Alia inſuper deſiderabatur indulgentia ſeu condonatio generalis â Rege pro foro externo. Flagitaverat eam â Rege ante duos annos Margareta Parmenſis Belgii gubernatrix; verùm tandem conceſſa demùm promulgata fuit menſe julio anni ſequentis: cum Albanus eam occultaſſet per annum juxtà *Stradam*, aut ſaltem per medium annum juxtà *P. Bor*, qui dicit condonationem iſtam à Rege conceſſam fuiſſe Madriti 16. novembris anni hujus 1569. De eâ autem infrà. Deſiderabatur condonatio à Rege.

Nè populus per lectionem librorum infectorum ultrà ſeduceretur, mandavit Albanus ex parte Regis, quatenùs Officiarii locorum ubique per totum Belgium, uno eodemque die, occluderent & ſigillis obfirmarent domus & officinas omnium Typographorum, Bibliopolarum & religatorum, donec examinarentur libri per cenſores è Clero & Senatu; & num excuderent aut venales haberent libros contrà Edicta Principum, aut notatos in noviſſimo catalogo ſubnexo Concilio Tridentino. Typographi capti & citati.

Anno 1569. Decretum hoc ubique executioni mandatum eſt 17. martii ſummo mane. Antverpiæ malevoli obmurmurabant, reclamantes Inquiſitionem iterum introducendam. Interim libri examinati ſunt; & 19. menſis quinque bibliopolæ capti ſunt & carceri civitatis mancipati. Hinc plures alii ſibi timentes diſparuerunt: tres autem 28. menſis publicè citati ſunt Bruxellas, quatenùs intrà tres hebdomadas ad juſtificationem ſuam ibidem comparerent. *Antw. Chron. pag.* 186. *& ſeqq.* Quid autem captis & citatis obvenerit, non liquet.

Rex hominat Franc. Sonnium ad Epiſcopatum Antv. Vidimus ſuprà ad anni præcedentis menſem junium, Regem ad inſtantiam Religioſorum S. Bernardi petiviſſe à Pontifice, non tantùm diſſolutionem Epiſcopatûs Antverpienſis ab Abbatia, ſed etiam extinctionem Epiſcopatûs. Vidimus inſuper Pontificem renuiſſe, & tùm apud Albanum, tùm apud Regem inſtitiſſe, quatenùs Rex, nullâ mutatione factâ in negotio ſummâ deliberatione ſtabilito, ſine mora Virum gravem ad Epiſcopatum Antverpienſem nominaret. Rex autem huic Pontificis requiſitioni obſequens non diu poſt hæc nominavit ad Epiſcopatum Antverpienſem FRANCISCUM SONNIUM tunc Epiſcopum Buſcoducenſem, & in locum ejus ad Buſcoducenſem Eccleſiam nominavit *Laurentium Metſium* S. T. L. Plebanum Bruxellenſem. PIUS V. autem nominationem hanc libenter acceptavit, & SONNIUM more ſolito præconizari curavit, ac abſolutum ab eccleſia Buſcoducenſi tranſtulit ad Antverpienſem, Bullaſque ordinarias, die 13. martii datas, tranſmiſit ad Regem, Metropolitanum, Capitulum Antverpienſe &c. Bullam deſuper ad Capitulum datam ſubjungo ex originali.

Pontifex Nominationem confirmat.

Bulla ejus deſuper. „PIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei „dilectis filiis Capitulo Eccleſiæ Antver-„pienſis

„ pienſis ſalutem & apoſtolicam benedictio- „ nem.

Anno 1569.

Ex Archivis Capituli.

„ Hodie venerabilem fratrem noſtrum FRAN- „ CISCUM Epiſcopum Antverpienſem, nuper „ Buſcoducenſem, à vinculo quo Eccleſiæ Buſ- „ coducenſi, cui tunc præerat, tenebatur, „ de Fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ „ poteſtatis plenitudine abſolventes, eum ad „ Eccleſiam veſtram Antverpienſem, tunc per „ obitum bonæ memoriæ PHILIPPI electi Ant- „ verpienſis, extrà Romanam Curiam defuncti, „ Paſtoris ſolatio deſtitutam, de ſimili conſilio „ apoſtolicâ auctoritate tranſtulimus; ipſumque „ illi in Epiſcopum præfecimus & Paſtorem, „ curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ „ Antverpienſis ſibi in ſpiritualibus & tempora- „ libus plenariè committendo, prout in noſ- „ tris inde confectis Litteris pleniùs conti- „ netur.

„ Quo circà diſcretioni veſtræ per apoſtolica „ ſcripta mandamus, quatenùs eundem FRAN- „ CISCUM Epiſcopum tamquam Patrem & Paſ- „ torem animarum veſtrarum grato admittentes „ honore, ac exhibentes ſibi obedientiam & „ reverentiam debitas & devotas, ejus ſalubria „ monita & mandata ſuſcipiatis humiliter, & „ efficaciter adimplere curetis; alioquin ſenten- „ tiam, quam idem FRANCISCUS Epiſc. ritè „ tulerit in rebelles, ratam habebimus; & „ faciemus auctore Domino uſque ad ſatis- „ factionem condignam inviolabiliter obſer- „ vari.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum an- „ no Incarnationis dominicæ milleſimo quingen- „ teſimo ſexageſimo nono, tertio Idus Martii, „ Pontificatûs noſtri anno quinto. PIUS PP. „ V. „

Anno 1569.

Ex hac Bulla patet, inter *Philippum Nigri* & *Sonnium* alium ad Epiſcopatum Antverpienſem nominatum non fuiſſe.

Differtur aditio poſſeſſionis.

Cæterùm inter notam hanc confirmationem & aditionem poſſeſſionis interceſſit annus integer. Quid autem tamdiu retardaverit aditionem poſſeſſionis, nullibi notatum inveni. Intereà autem *Sonnius* 30. aug. ut Epiſ. Sylvæd. perſonaliter poſſeſſionem cœpit Abbatiæ Tongerloënſis *Dipl. belg. T. III. p. II. c.* 182.

Inſtructio pro receptione novorum Epiſcoporum

Interim confectæ ſunt Inſtructiones pro aditione & receptione novorum Epiſcoporum, quæ indubiè pro omnibus novis Epiſcopis ejuſdem tenoris fuerunt exceptis paucis, quæ particulares diœceſes privativè concernebant. P. Bor. *fol.* 190. refert Inſtructiones pro Epiſcopatu Leeuwardenſi, unde colligere poterimus, quid pro Epiſcopatu Antverpienſi ſtatutum fuerit. Sunt autem ſequentes.

1. Epiſcopo dabuntur Literæ Regii placiti, exhibendæ ubi oportuerit.

2. A Gubernatore Belgii dabuntur ei Literæ clauſæ ad Archiepiſcopos & Epiſcopos, à quibus dimenbrata fuit nova diœceſis, cum intimatione proviſionis Pontificiæ & Bullæ, in qua deſcripti ſunt limites: ut ſciant quæ loca, à ſuis diœceſibus ſejuncta, novæ diœceſi ſint attributa.

Capienda poſſeſſio per Procuratorē.

3. Antequam Epiſcopus cathedram ſuam adeat, conſtituet procuratorem, qui poſſeſſionem capiat juris Epiſcopatûs ſui. Procuratori aſſiſtet Gubernator Provinciæ aut ejus Locum-tenens, qui eum in poſſeſſionem ducat præſentibus paſtoribus & clero Eccleſiæ principalis; advocatis etiam aliis Officiariis, Burgimagiſtris, Scabinis & Concilio loci; ad quos deſuper more ſolito litteræ dabuntur.

4. Cap.

4. Captâ poſſeſſione Epiſcopus quamprimùm ingreſſum ſuum faciet ; & recipietur per Prælatos , Paſtores & Clerum civitatis , euntes proceſſionaliter uſque ad portam Civitatis cum prædictis Gubernatore aut ejus Locumtenente , Officiariis , Burgimagiſtris , Scabinis & Concilio civitatis ; ſicque ducetur ad primariam Eccleſiam. Ad quam cum advenerit , præſtabit Epiſcopus juramentum , juxtà formam ad hoc conſcriptam. Similiter & præſens Clerus jurabit Epiſcopo , eumque admittet ac debitam ei obedientiam in tali occaſione ſolitam præſtabit.

Anno 1569.

Qualiter recipiendi.

5. Cum adierit poſſeſſionem , ſtatim incipiet Epiſcopus prædicare ; populum inſtruere ; eccleſias viſitare primò in Civitate. Specialiter inquiret circà officia Paſtorum , circà capacitatem & mores eorum , corrigens & deponens ſcandaloſos & ſuſpectos. Inquiret etiam , qualiter ſe geſſerint religioſorum mendicantium Ordinum concionatores ; procurans , ut populus in catholica religione inſtruatur , reducatur & retineatur. Similiter procedet ergà alios eccleſiaſticos , cuſtodes & magiſtros ſeu directores fabricæ.

Quid Epiſcopo primò agendum.

6. Abuſus & ſcandala , quæ repererit in eccleſiis aut religione , tollet. Vacantibus eccleſiis providebit de bonis Paſtoribus , eos inſtituens poſt examen & informationem ad præſentationem eorum ad quos ſpectat.

Circà Paſtoratus.

7. Inquiret etiam circà Scholas tam de ludimagiſtris , quàm de iis quæ anteà docuerunt & nunc docent , tum intrà tum extrà civitatem ; diſponens omnia in eis meliori , quo poterit , modo.

Circà Scholas

8. Quamprimùm licebit , incipiet de conſilio & auxilio bonorum Paſtorum , ſicut & quorumdam proborum è Senatu & aliorum ,

Circà erectionem Seminarii.

Anno 1569. agere ad erigendum Seminarium juxtà ſtatuta Concilii Tridentini, exigens ad hoc contributionem ab eis, quibus competit.

Circà Bibliopolas. 9. Invigilabit etiam in Bibliopolas ad inquirendum, qualiter in arte ſua ſe geſſerint aut gerant. Et in eo, quantùm poterit, procedet ſecundùm Edicta regia, edita & edenda.

Sequuntur hìc articuli concernentes publicationem Concilii Trid.; ſed illi in particulari concernebant diœceſim Leeuwardenſem, in qua necdum publicatum erat. In noſtra autem diœceſi jam à quatuor annis erat publicatum.

Inquirat in Clerum, num obſervet Edicta. 10. Curabit etiam Epiſcopus, ut Eccleſiaſtici ſimiliter obſervent regia Edicta concernentia religionem; & ſecundùm illa poterit refragantes corrigere & punire, & in eum finem habere officiarios & carcerem, ſicut habent alii Epiſcopi.

In Officiarios 11. Si comperiat Officiarios & Senatores poſt monitionem eadem Edicta non obſervare; id primò indicabit Viris concilii provincialis: ſi autem illos inveniat tardos aut negligentes, rem deferet ad Aulam, aut aliò, ubi oportuerit.

Viſitet monaſteria. 12. Ultrà viſitabit Abbatias, Monaſteria & pias domus, tam feminarum quàm virorum, ad ea reformanda; illa nimirùm, quæ Epiſcopo ſubſunt jure ordinario; alia verò exempta tamquàm delegatus Sedis apoſtolicæ juxtà formam prædicti Concilii.

13. Eccleſias & Monaſteria, collapſa defectu regiminis aut diſciplinæ, curabit reſtaurari.

Quatenùs hæc executioni mandentur, Epiſcopo auxilio erunt tam Gubernator & Concilium Provinciæ, quàm alii eccleſiaſtici. Et, ſi quan-

ſi quando opus, jungentur ei Commiſſarii Regii.

Anno 1569.

14. Contrà eos, quos compererit hæreticos aut de hæreſi ſuſpectos, procedet ſecundùm exigentiam juris, adhibens omnem diligentiam ad dignoſcendas ſuas oves; etiam ut, dum per Gubernatorem provinciæ conſulitur ſuper renovatione Magiſtratûs, tantò meliùs proſpiciat, nè admittantur de hæreſi ſuſpecti aut aliundè inhabiles.

Suſpectos de hæreſi judicet.

Inſtructiones hæ pro Epiſcopatu Leeuwardenſi datæ ſunt Bruxellis 14. novembris 1569. Quandonam autem datæ ſint pro Epiſcopatu Antverpienſi, neſcimus. Interim ex his poſſumus ſatis conjicere, quales pro Antverpienſi fuerint datæ.

Quidquid interim ageretur ad continendos ſectarios & ad reprimendos ſeditioſos, exierunt 8. may è civitate ducenti circiter calviniſtæ, tenderuntque verſùs Wynegem & Oelegem altero lapide ab Antverpiæ verſùs Orientem; ibidemque convenerunt in quadam ſylva ad prædicationem. Res hæc cum innoteſceret, animadverſum eſt in illos, & 10. menſis pleno die captus eſt & carceri civitatis incluſus quidam antiquus dierum Mr. *Jeronimus Vrancx*, qui diu Advocatum egerat. Ferebatur hic Epiſtolas Pauli explicaſſe in conventiculo, ut populus retineretur, dum expectabatur prædicutius.

Calviniſtæ conveniunt & prædicant.

Duodecimâ menſis ex parte Aulæ de nocte quidam divites & honorabiles cives è domibus ſuis ad carcerem ducti ſunt; ſed neſciebatur, an propter hanc cauſam an propter uſuram. Interim 14. plures captivi duobus curribus impoſiti ducti ſunt Bruxellas: ductus eſt autem etiam prædictus *Jeronimus Vrancx*, cum pridie per latum Concilium privatus eſſet

jure

Anno 1569.

jure civium. Hic cum ſeptemdecim aliis pleriſque ſectariis, indubiè morte plectendis, effracto Bruxellis carcere aufugit. Et ex detectis, indubiè occaſione prædicti ſeditioſi conventiculi, hic in foro 6. Aug. duo combuſti ſunt & octogenarius in carcere aquis ſuffocatus, qui in domibus ſuis contra Edicta occultè admiſerant prædicationes. *Antw. Chron.*

Mandatum ad impedienda Conventicula.

Ut autem ſimilia ſeditioſa conventicula præverirentur, mandatum miſſum eſt 15. may ad Droſſardos, Majeros & Officiarios pagorum ſub Marchionatu Antverpienſi, quatenùs, adhibitis etiam armatis ruſticis, invigilarent & impedirent, nè in campis aut ſylvis fierent ſimilia conventicula aut prædicationes: alioqui in eum finem ex parte Aulæ ad pagos mitterentur milites. *Antw. Chron.*

Edictum ad impediendos quosdam abuſus.

In eumdem apparenter finem, & ut magis innoteſcerent ſectarii, ſicque faciliùs contineretur eorum ſeditioſus animus, publicatum eſt Edictum quoad delationem ſacramentorum per plateas; quoad morientes ſine adminiſtratione; & quoad obſtetrices.

Scripſerat deſuper Albanus ad gubernatores Provinciarum, ſibi intimatum eſſe, in pluribus civitatibus & locis abuſus eſſe in delatione Viatici & ſacri Olei ad infirmos; hæreticos & non adminiſtratos ſepeliri velle in loco ſacro, & negligere infantes ſuos deferre ad baptiſmum. Monueratque Albanus prædictos Gubernatores, ut deſuper per edicta providerent.

Cum autem Brabantia alium Gubernatorem non haberet, quàm Gubernatorem generalem Belgii, dubium non eſt, quin Albanus primus Edictum ſuum deſuper dederit. Verùm illud hactenùs non vidi. Apud P. Bor autem

fol. 224.

fol. 224. habemus Edictum deſuper datum per Gubernatorem Hollandiæ & Friſiæ, ex quo colligere poſſumus, quid hic deſuper ſtatutum fuerit.

Anno 1569.

1. Circà delationem Viatici ad infirmos.

Statuebatur itaque primò ex parte Regis & mandabatur Officiariis locorum, ut in ſingulis parochiis deputarent duos notabiles perſonas è Senatu aut alios, qui comitentur Viaticum aut ſacrum Oleum, quando per Paſtores aut alios eccleſiaſticos deferuntur ad infirmos; & invigilent in eos, qui per plateas tranſeunt & ad portas aut ante domus ſubſiſtunt, num quid irreverenter agant ergà Sacramenta verbis aut geſtis; & ſi quando ſcandaloſam actionem deprehendant, id indicent Officiariis: ut decenter corrigantur in exemplum aliorum ſecundùm exigentiam rei, & per hoc populus contineatur in debita reverentia ergà Deum & ejus Sacramenta. Et quid indè feciſſent Excellentiæ ſuæ indicare debeant.

2. Circà morientes non adminiſtratos.

Secundò cum in prædictis civitatibus & locis aliqui quandoque moriantur, qui in extremis non curant ſibi adminiſtrari Sacramenta juxtà uſum Eccleſiæ, & non moriuntur catholicè, quos non convenit ſepeliri in loco ſacro; ſtatuimus, quod, quandocumque aliquis non catholicè morietur, & cui ab eccleſiaſticis negata fuerit ſepultura in loco ſacro, curabitis corpus ejus deferri ad locum juſtitiæ. Et quando id acciderit, indicabitis ſuæ Excellentiæ nomen & cognomen illius, qui ſic obierit; ut contrà eum agatur, prout expedierit. Et interim ſequeſtrabitis bona ejus &c.

3. Circà baptiſmum infantium.

Tertiò & ultimò. Cum ſuæ Excellentiæ innotuerit, quod quædam feminæ poſt partum infantes non curent baptizari juxtà ſtatutum Eccleſiæ, quod ſummi momenti eſt & periculi pro dictis infantibus: ut malo huic obvietur

& fæmi-

Anno 1569. & feminæ tales innoteſcant, mandamus ex parte Excellentiæ, nè obſtetrices admittatis, niſi examinatæ ſint per eos, quos commiſeritis, num catholicæ ſint & bonæ famæ. Et cum admiſſæ fuerint, ultra ſolitum juramentum jurabunt, ſe intrà viginti quatuor horas Paſtori loci indicaturas partum feminarum, ſub pœna ad veſtrum arbitrium & depoſitionis ab officio.

Non adminiſtrati ducuntur ad locum juſtitiæ.

Edictum hoc per Gubernatorem Hollandiæ & Friſiæ datum eſt Hagæ-comitis 1. junii. 1569. In Brabantia autem citiùs vulgatum fuit: nam punctum ſecundum hìc Antverpiæ executioni mandatum reperimus 16. may, quando viâ *de Venus-ſtraet* corpus cujuſdam proxenetæ per Officiarium infami modo è domo extractum carro impoſitum ductum eſt ad locum juſtitiæ & patibulo appenſum; quià mortuus fuerat ſine ſacramentis, eadem in extremis contemnens. Ita Auctor *Antw. Chron.*, qui variis hujus anni temporibus ſimiliter è domibus per Officiarios extractos ad locum juſtitiæ juxtà hoc Edictum ductos refert.

Capella & Capellanus in Caſtro.

Capella conſtructa in novo Caſtro necdum erecta erat in parochialem eccleſiam. Cum itaque Caſtrum conditum eſſet infrà limites Parochiæ S. Georgii, ſub ea manſit donec ab ea legitimè ſepararetur. Hinc clerus S. Georgii 16. may primâ die Rogationum pro primâ vice proceſſionem inſtituit ad dictum caſtrum; ibidemque in capella habita fuit concio & celebrata ſolemnis miſſa cum muſicalibus inſtrumentis & vocibus.

Licèt autem capella iſta erecta non eſſet in parochialem, habebat tamen Capellanum ſubſidiarium S. Georgii, qui divina ibidem peragebat, & indubiè tempore nocturno infirmis Sacramenta miniſtrabat. Primus hic Capellanus

pellanus, dictus *Matthæus Vermaſen*, ſolemne officium peregit ibidem 12. junii dominicâ infrà Octavam Corporis Chriſti, canentibus muſicis B. Mariæ; & poſt celebratum ſolemne ſacrum inſtituit Proceſſionem cum Venerabili intrà limites dicti Caſtri. *Antw. Chron.* Anno 1569.

Cum ad Pontificem delatum eſſet, diſciplinam monaſticam plurimùm collapſam eſſe in aliquibus & fortè in plurimis monaſteriis Fratrum tertii Ordinis S. Franciſci, dicti *de Pœnitentia*; PIUS PP. V., intendens diſciplinam in dicto Ordine reſtituere, ſubjecit dictos Fratres eorumque monaſteria Ordini FF. Minorum de Obſervantia, deſuperque bullam dederat anno præcedenti 1568. Moens *Privilegia tertii Ord. S. Franc. pag.* 111.

Pontifex ſubjicit Bogardos Minoritis.

Quatenùs autem hæc Bulla executioni mandaretur, miſit Pontifex Minoritam ad monaſteria dicti Tertii Ordinis, qui dicta monaſteria reformaret & ſtatutam ſubjectionem à Fratribus exigeret. Antverpiam venit Commiſſarius iſte 30. julij hujus anni, & divertens ad monaſterium Bogardorum noſtrorum, quod eſt dicti tertii Ordinis, exhibuit pontificiam bullam; & in vim ejus reformavit monaſterium, ſicut & alia in Brabantia, & ſubjecit ordini Minorum. Refractarios autem ab Officiis depoſuit & novos Superiores inſtituit, qui cum reliquis fratribus promittere debebant obedientiam Miniſtris Minoritarum. Ita Author *Antw. Chron.*, qui addit inde in omnibus civitatibus ortum magnum diſſidium, non tantùm inter Bogardos, ſed & inter cives, quia res erat inaudita.

Ejus Bulla exhibetur Antverpiæ.

Borgardi autem noſtri, licet jam ſic reformati & ſubjecti, contenderunt Bullam iſtam monaſterium ſuum non concernere, quia ratio-

Bogardi ſe opponunt.

Anno 1569. rationes in ea allegatæ locum in ipſis non habebant, cum in monaſterio ſuo vigeret optima diſciplina. Cum verò hìc non audirentur, recurrerunt ad Pontificem; ubi, cum hoc negotium per triennium agitatum fuiſſet, tandem anno 1572. terminatum fuit in favorem Bogardorum poſt obitum Pii v. ſub Gregorio xiii., ut infrà dicetur.

Orangius molitur ad concitandos Belgas.

Interim Orangius, anno præcedenti è Belgio pulſus, non quieſcebat, ſed vindictam ſumere intendens, prudentiori quàm anteà modo res ſuas diſponebat, & ultrà non fidens variis promiſſis lentè procedebat. Claſſem parari curaverat in Anglia, dirigendam per Nobiles fugitivos, aut proſcriptos Belgas. Claſſis hæc ſolvit initio ſeptembris hujus anni, & infeſta fuit Belgis terrâ marique. Qui in his navibus erant, dicti ſunt Geuſii marini. P. Bor. *fol.* 208. Antw. Chron. *pag.* 199.

Cum autem in mari omnia diſpoſuiſſet ad nocendum Albano, in terra etiam non ceſſavit agere ad excitandos & ſollicitandos omnes, quos ſibi affectos credebat, literas mittens ad fugitivos Nobiles & communitates ſectariorum in Anglia & Clivia, Embdæ, Hamburgi, Bremæ & alibi, excitans eos ad colligendam pecuniam, quo meliùs intentum ſuum ad effectum duceret: in quem finem ubique commiſſarios habebat. Cum quibuſdam autem ſpecialem connexionem intertinebat Orangius, quorum operâ commercium habebat cum plurimis aliis perſonis, tam in civitatibus & provinciis Belgii, ubi Albanus Gubernabat, quàm extrà Belgium. Inter illos autem nominatur Mr. *Jacobus van Weſenbeek* quondam Penſionarius noſter, qui tunc agebat in Clivia, & Orangio familiaris fuerat dum Antverpiam Gubernabat, imò & ante. P. Bor. *fol.* 223.

Prædictus

Prædictus autem *Iac. van Weſenbeke*, quo pleniùs dicto Orangii intento ſerviret, & quo ſe, poſt editam juſtificationem, pleniùs juſtificaret, typis vulgavit hoc anno Libellum ſuum *de ſtatu Religionis &c.*, quem ſuprà ſæpiùs citavi. Habui autem tranſlationem flandricam, & ſuprà ad an. 1582. aſſerui, me tempore primæ editionis non vidiſſe exemplar originalis editionis. Cum autum libellus meus in lucem prodiiſſet, exhibuit mihi è bibliotheca ſua D. *Michiels* Capitaneus Admiralitatis duo exemplaria in 8o. primævæ editionis, unum gallicum alterum flandricum ſimul hoc anno edita ſine loco impreſſionis & ſine nomine Auctoris aut Typographi. Monet autem Typographus, intentionem fuiſſe Libellum iſtum dare ſimul quatuor linguis; ſe verò nunc ob deſiderium populi eum dare duabus linguis, brevì dandum etiam latinè & germanicè. Cum autem libellus hic ederetur ſub titulo *Libri primi*, promittit Typographus, ſe etiam brevì daturum quatuor linguis Librum ſecundum & tertium: verùm num illi umquam editi fuerint, planè neſcitur.

Anno 1569.

Weſembeck edit Libellum de ſtatu Religionis.

Titulus editionis gallicæ hic erat: *Deſcription de l'eſtât, ſucces & occurrences advenuees au Païs-bas au fait de la Religion. Le premier livre contenant la narration des affaires y ſuccedèes à l'endroict la Religion depuis l'an 1500. & ſignamment depuis, que le Roy* Philippe *le 2. en a eſtè Prince: auſſi comment aprés grandes difficultez la mutation en la Religion ſoit illecq l'an 1566. manifeſtèe & finablement tollerée & admiſe, avec la plus ample declaration, de ce que au dict Païs-bas en icelle année eſt advenue. Imprime en Aougſt.* 1569.

Titulus editionis flandricæ: *De beſchryvinge van*

Anno 1569. *van den geſchiedeniſſen in der religien ſaken toeghedragen in Nederlanden. D'eerſte Boeck begrypende den ſtaet, voortganck ende gelegentheden der Religien, ſoo die aldaer ſedert den jaere* 1500. *gebeurt zyn, ende beſondere ſedert dat Coninc* Philips *de tweede daer geregeert heeft, mitsgaders hoe dat na vele ſwarigheden in der Religien in den Jaere* 1566. *is toegecomen ende eyndelijck by der Overheyt gedoocht ende toegelaten; met een breeder verhael van't gene binnen den ſelven jaere in de Nederlanden toegecomen is. Gedrukt in Augusto* 1559. (evidens menda, loco 1569.)

Cum libellus hic in utraque lingua eodem tempore ſit editus, neſcitur in qua lingua originaliter ſit conſcriptus. Interim Auctor *Florilegii librorum rariorum* editi Groningæ & Bremæ anno 1747. aſſerit gallicam editionem eſſe originalem, eamque in flandricum mox eſſe tranſlatam. Idem Auctor aſſerit Libelli hujus anonimi auctorem fuiſſe dictum Jac. Weſenbeke.

Cæterùm hæ originales editiones multò completiores ſunt, quàm verſio ex gallico in flandricum quæ circumfertur edita anno 1616. Middelburgi & Bredæ: in illis enim multæ ſunt notæ marginales contextum illuſtrantes, quæ in hac ſunt omiſſæ.

Tandem ſuprà monui Libellum hunc editum fuiſſe ad juſtificandas & concitandas ſeditiones & tumultus, conſcriptumque terminis odioſiſſimis & turbulentiſſimis: unde plurimum ſerviebat hoc tempore intento Orangii. Vide ſuprà *Tom.* 4. *pag.* 228. *& ſeqq.*

Abraham Gorlæus moritur.

Obiit hoc anno 15. aprilis Delphis Batavorum *Abraham Gorlæus* Antverpiæ natus. Vixerat ibidem in collegio Virorum monetalium, rei antiquariæ & præſertim nummariæ, quâ

priſci Romani Græcique uſi, in primis amans & gnarus; unde varia dein opuſcula ab ipſo deſuper confecta prodierunt, quæ vide apud Foppens *Bibl. Belg. pag.* 2. Anno 1569.

P. van Diel fundat Collegium Lovanii.

PETRUS VAN DAEL Antverpiæ natus anno 1504. J. U. D. Toparcha de Ballaer, Gheſtele, Putte, Beerſele, Cathedralis Eccleſiæ Antverpienſis Canonicus & Aloſtanæ D. Gaugerici Decanus, fundavit hoc anno Lovanii Collegium regiâ magnificentiâ extructum, ab ejus nomine communiter dictum *Dalenſe* & aliàs *Antverpienſe*, alendis ſui ſanguinis & patriæ atque Aloſti oriundis ſtudioſis, primò Artium ac Philoſophiæ, inde S. Theologiæ vel Juriſprudentiæ. Proviſores ſunt duo, alter S. Theologiæ, alter juris utriuſque Doctor & Profeſſor, uterque ſenior ſuæ Facultatis. Patroni autem benefactoreſque Grimbergæ Barones nunc Comites.

Vivere fundator Antverpiæ deſiit anno 1582. kal. januarii, tranſlatus inde Lovanium ad ſacellum ſui Collegii, ubi habet monumentum ſepulchrale, quod ſicut & præcedentia refert Val. And. *Faſt. Acad. pag.* 312. Tranſegit prædictus Fundator anno 1574. cum Capitulo Antverpienſi ſic, ut duo choraules in Collegio ſuo haberent perpetuò præferentiam ad duas burſas, & Capitulum eum abſolveret à reſidentia propter ſenium: erat autem tunc 70. annorum. Actum notarialem deſuper confectum vidi & aſſervatur in Archivis Capituli.

1570.

Non adminiſtrati ſepulti in loco juſtitiæ.

Anno 1570. 13. januarii Markgravius, juxtà Edictum anni præcedentis quoad ſepulturam morientium ſine Sacramentis, exhumari curavit corpus cujuſdam feminæ ſex diebus ſepultum in cemeterio B. Mariæ, eò quod obiiſſet ſine eccleſiæ Sacramentis & in fine vitæ advocâſſet prædicantium: erutum autem cum loculo

Anno 1570. ductum eſt ad locum Juſtitiæ, ibique ſepulatum. Alterius adhuc corpus hoc anno per Officiarios ad locum juſtitiæ ductum reperio 6. martii, qui non tantùm obierat ſine Sacramentis, ſed in Meta arma tulerat contra Regem; unde ſimul cum loculo ſuſpenſus fuit in patibulo. *Antw. Chron.*

Anabaptiſtæ puniti. Tertiò in hac civitate hoc anno igni dati fuerunt varii Anabaptiſtæ, nimirùm 15. martii, 28. may & 13. ſeptembris. Verùm pernicioſa iſta ſecta per ſevera iſta & continua ſupplicia nec extingui potuit nec contineri.

Publicatur Index lib. Proh Conc. Trid cum Appendice. Hiſpaniarum Rex curans omnimodò extirpare omnes ſectas & hæreſes, regulas jam præſcripſerat Typographis & libris excudendis. Verùm per hoc obviatum non erat fomentis & nutrimentis earumdem, quæ pullulabant ex libris jam excuſis & diſperſis; hinc ſtatuit publicare in his regionibus Catalogum ſeu Indicem librorum prohibitorum, confectum per Patres Concilii Tridentini. Sed cum in his regionibus plures pernicioſi libri editi eſſent, qui dicto Concilio non innotuerant, aut in lucem eo tempore necdum prodierant, curavit Rex Indici Concilii Tridentini adjici Appendicem confectum per certos Epiſcopos, Prælatos, Doctores & alios viros doctos & excellentes. Quo confecto vulgatus & publicatus eſt Index Concilii Tridentini cum dicto Appendice typis Plantinianis, cum præfixo diplomate regio dato 15. febr. 1570. ſtylo hodierno. In originali autem editione præfigitur Diploma illud gallicè, flandricè & latinè. Latinum inde ſubjungo.

Regium Diploma deſuper. „PHILIPPUS Dei gratiâ Rex Caſtellæ, „Leonis, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, „Siciliæ &c. Univerſis præſentes literas viſuris „ſalutem.

„Quo-

„Quoniam omni, quo fieri poteſt modo, Anno
„curamus extirpare omnes ſectas & hæreſes, 1570.
„contrarias noſtræ ſanctæ Fidei catholicæ & noſ-
„træ Matri ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, ab hinc
„aliquot annis in his noſtris inferioribus Provin-
„ciis uſque adeò diſſeminatas; quodque ad
„tollenda fomenta & nutrimenta earumdem
„Nobis viſum eſt inter alia expedire, ut cer-
„tus modus & regula præſcribatur Typogra-
„phiæ & libris excudendis; juxtà ea, quæ
„in ſacroſancto Concilio generali, in civitate
„Tridentina nuper celebrato, deſuper ſunt
„conſtituta & decreta per certum Catalogum
„librorum reprobatorum & interdictorum,
„cui deinde certam curavimus adjici Appendi-
„cem ex cenſura certorum Epiſcoporum, Præ-
„latorum, Doctorum, aliorumque Virorum
„doctorum & excellentium, continentem eos
„libros, qui dicto Concilio non innotuerant,
„aut in lucem eo tempore nondum erant
„excuſſi.

„Hinc eſt, quod eo attento & ut unuſ-
„quiſque ſcire poſſit, quo pacto ſe deinceps
„gerere & moderari debeat, quod ad libros
„reprobatos & interdictos attinet, ex conſilio
„& deliberatione noſtri in primis chari & per-
„dilecti cognati, equitis noſtri Ordinis, Lo-
„cumtenentis, Gubernatoris & Capitanei ge-
„neralis in his Provinciis inferioribus, Ducis
„Albani Marchionis Coria &c. &c., noſtrorum
„dilectorum & fidelium Conſiliariorum eidem
„aſſiſtentium, ſtatuimus & ordinavimus,
„ſtatuimus & ordinamus per præſentes, ut
„omnes libri reprobati & interdicti per catha-
„logum in dicto Concilio Tridentino factum,
„& Appendicem, per noſtram prædictam ordi-
„nationem collectam & eidem annexam, concre-
„mentur intrà tres menſes à publicatione præſentis

H 2 „Statuti.

Anno 1570. „ Statuti : ita quod deinceps nemini liceat eos „ imprimere , vendere , diſtribuere aut penès „ ſe detinere. Et quod alii libri , qui adhuc „ reſtant & ſunt corrigendi & purgandi , intrà „ prædictum tempus exhibeantur & deferantur ad „ manus Magiſtratûs loci ſub inventario & ſpe- „ cificatione eorumdem. Quâ de re prædictus „ Magiſtratus tenebitur certiorem reddere præ- „ dictum noſtrum cognatum Ducem Albanum „ aut dictos ſuos conſiliarios , quatenùs com- „ mittatur perſonis idoneis & qualificatis , ut „ eos expurgent : idque univerſum ſub pœnis „ contentis in Placitis & Ordinationibus quon- „ dam ter exceſſæ memoriæ Imperatoris CA- „ ROLI quinti Domini & Patris noſtri , quem „ Deus abſolvat , factis & editis ſuper negotio „ Religionis & poſteà à Nobis confirmatis , „ aut aliis , quæ deſuper facere poterimus in „ poſterùm.

„ Itaque mandamus noſtris charis & fidelibus „ Capitibus , Præſidentibus & Viris noſtri pri- „ vati & magni Concilii , Cancellario & Viris „ noſtri Concilii Brabantiæ , Gubernatori . . . . „ ut noſtrum hoc Statutum , edictum & ordi- „ nationem , unà cum prædicto Catalogo li- „ brorum reprobatorum & interdictorum facto „ in dicto Concilio Tridentino , cum Appen- „ dice ejuſdem , confeſtim & in continenti fa- „ ciant publicari , unuſquiſque quod ad ſe „ attinet , in locis & limitibus ſuæ juriſdictio- „ nis , ubi conſuetum eſt fieri Edicta & pu- „ blicationes , ad finem ut nemo prætende- „ re poſſit cauſam ignorantiæ ; & ulteriùs cuſto- „ diant & obſervent , faciant cuſtodiri & ob- „ ſervari juxtà ſuam formam & tenorem , pro- „ cedendo & curando procedi contrà trans- „ greſſores & inobedientes per executionem pœ- „ narum ſuprà memoratarum abſque gratia ,

„ ſupporta-

„ ſupportatione , favore aut diſſimulatione. Ad „ quod faciendum , & quod inde dependet , eis „ damus & unicuilibet eorum plenam poteſta- „ tem , auctoritatem & mandatum ſpeciale. Man- „ damus & injungimus univerſis & ſingulis , „ ut illis hoc facientibus obediant & attendant „ diligenter , quandoquidem Nobis id ita pla- „ citum eſt. Anno 1570.

„ In teſtimonium ejuſdem præſentibus noſtrum „ ſigillum appendi fecimus. Datum in noſtro „ oppido Bruxellâ decimaquintâ die februarii „ anno gratiæ milleſimo quingenteſimo ſexage- „ ſimo nono . . . (*id eſt ſtylo hodierno* 1570.) *ſig-* „ *natum.* D' Overloope."

Libri hæreſiarcharum &c. combuſti.

Vi hujus decreti intrà tres menſes comburi debebant omnes libri reprobati & interdicti per indicem Conc. Trid. & per Appendicem adjunctam. Combuſti autem ſunt omnes libri hæreſiarcharum & alii totaliter pernicioſi , qui in Belgio reperti ſunt , quique non in tanto numero reperti ſunt , ut putabatur. Ita indicat Rex in ſuo diplomate anni ſubſequentis præfixo *Indici expurgatorio* dicens : *Nous avons commandè bruller les livres des hereſiarches & autres eſtans totalement pernicieulx , que l'on a trouvè en nos ditz pays de par deça , les quels (grace à Dieu) n'ont eſtè en grant nombre.*

Corrigendi deferri debebant ad Magiſtratum.

Intrà eoſdem tres menſes alii libri corrigendi & purgandi exhiberi & deferri debebant ad manus Magiſtratûs loci ſub inventario & ſpecificatione , recipiendi à proprietariis poſt correctionem.

Diſtribuuntur examinandi Epiſcopis, Univerſitatibus &c.

Ut autem expurgatio ſeu correctio dictorum librorum debitè & brevì juxtà decreta Concilii Tridentini perficeretur , Albanus ſub auctoritate Regis & communicato cum regiis Senatoribus conſilio , & omnium calculo approbato ,

Anno 1570. Literas dedit ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Univerſitates omnes alioſque tùm doctiſſimos Viros, tùm civitatum Senatus, quatenùs lectionem dictorum librorum ſuſciperent, expurganda notarent & ad ſe tranſmitterent. Verùm nè confuſio fieret, dicti libri per claſſes diſtribui debebant prædictis, ut ſinguli ſingulos libros examinarent & negotium tantò citiùs perficeretur. Procuratorem autem hujus diſtributionis nominavit Albanus *Ariam Montanum*. qui Antverpiæ deſudabat in editione bibliorum Regiorum.

Collegium Cenſorum deſuper Antverpiæ.

Diſtributione autem factâ, novem ferè menſium ſpacio ſinguli commiſſas ſibi partes peregerunt, & unà cum ſententiis ſuis Indices miſerunt locorum omnium, in quibus aliqua vel minima offenſio vel offenſionis ſuſpicio notari poſſet, nullis etiam leviſſimis rebus prætermiſſis. Interim autem inſtitutum fuerat in civitate Antverpienſi Collegium Cenſorum, qui prædictos ſingulorum indices examinarent, loca notata cum editionibus conferrent, & quid tandem rejiciendum omninò, quid corrigendum tolerandumve eſſet, decernerent. Huic autem doctiſſimorum Theologorum Collegio præfuit eccleſiaſticâ auctoritate doctiſſimus quidam Epiſcopus, cujus nomen non inveni; & *Arias Montanus* interfuit ut Regius miniſter regio nomine. Ita rem narrat dictus *Montanus* in præfatione ad *Indicem expurgatorium*, qui ab hoc Collegio confectus anno ſequenti typis Plantinianis excuſus fuit. De quo infra.

Edictum circa Typographos & Ludimagiſtros.

Intereà dum hæc agebantur, prodiit Edictum circà typographos & Ludimagiſtros, quatenùs per illos obſervaretur, quod ſtatutum erat in publicatione prætacti Indicis & Appendicis. Qualiter nempe procedere deberent typographi

graphi in excudendis libris, & qualis examinatio præerequireretur. Quoad Ludimagiſtros & Magiſtras ſtatuebatur, ut coram commiſſariis jurarent ſolemniter, quod non docerent aut prælegerent libros reprobatos, ſuſpectos aut aliàs ſcandaloſos; ut de admiſſione ſua & exhibitione teſtimonium habere deberent in ſcriptis, exhibendum quando oportuerit; & ut commiſſarii id annotare debeant in ſuis regiſtris; ut parentes & mamburni mittentes filios ad ſcholas non approbatas arbitraliter puniantur. Anno 1570.

Tandem ſtatutum eſt, ut domus, in quibus prædicationes habitæ, rebaptizatio & alia exercitia ſectarum paracta fuerant, aut hæretici libri excuſi, in deteſtationem raderentur ſine diſſimulatione aut dilatione, ſi domus ſpectarent ad reos; aut ſi prædicta peracta fuiſſent de ſcitu & conſenſu proprietarii; nec reædificarentur ſine ſpeciali conſenſu Aulæ. Subſtantiam hujus Edicti refert *P. Bor. fol.* 226.

Radendæ domus, in quibus habita Conventicula &c.

Suprà vidimus Proceſſionem dominicâ Palmarum ex eccleſia matrice ad S. Walburgis prætermiſſam fuiſſe poſt Iconomachiam generalem, eò quòd ſtatua Salvatoris inſidentis aſinæ confracta eſſet. Reſtitutâ autem eâdem ſtatuâ proceſſio illa hoc anno 19. martii reſumpta fuit, habitaque fuit cum magna devotione comitantibus Equitibus Jeroſolimitanis; & dicta ſtatua humili currui impoſita protracta fuit per duodecim repræſentantes duodecim Apoſtolos. *Antw. Chron. pag.* 204. Dicta proceſſio obſervatur uſque in hodiernum diem quotannis comitantibus equitibus Jeroſolimitanis cum inſigniis ſuis; ſed dicta ceremonia omittitur.

Proceſſio Dom. Palm. ad S. Walburgis reſumpta.

Ad Paſcha hujus anni ſtylo noſtro finit *Ant-*

Anno 1570. *werpſch Chronykje* ſæpiùs ſuprà citatum, apparenter quia Author illius obierat. Verùm alius, indubiè etiam contemporaneus, illud continuavit uſque ad finem anni 1574.

In Inſtructionibus pro novis Epiſcopatibus ſuprà relatis ſtatutum erat, ut novi Epiſcopi, antequam cathedram ſuam adirent, poſſeſſionem Epiſcopatûs acciperent per procuratorem. Hinc FRANCISCUS SONNIUS Epiſcopus Sylvæducenſis, jam ultrà annum nominatus ad Epiſcopatum Antverpienſem, ceſſantibus omnibus difficultatibus procuratorem ſuum pro adeunda poſſeſſione dicti Epiſcopatûs conſtituit *D. Maximilianum Morillon* Archidiaconum Mechlinienſem, qui ſimul cum *D. Joan. de Lange* ſeu *Longus* Canonico & Officiali Mechlinienſi & D. *Caſtillio* Canonico Bruxellenſi comparuit die mercurii 26. aprilis in loco capitulari petens poſſeſſionem pro novo Epiſcopo. Prælecta ſunt autem ibidem confirmatio Pontificia & placetum Regium, concernentia ejus nominationem. Dein D. *Morillon*, captâ poſſeſſione in Capitulo, ductus eſt per omnes Canonicos indutos optimis cappis ad Chorum ante altare: dictâ autem oratione & oſculatis altari ac Crucifixo miſſalis, ductus eſt per *Rogerium de Taxis* Capituli Decanum ad Regium ſtallum juxtà Altare ad cornu evangelii tribuentem ei poſſeſſionem Epiſcopatûs. Iteratò pulſata fuit campana maxima ad Miſſam, quæ cum eminenti muſica celebrata fuit de S. Spiritu, præſente univerſo Magiſtratu Dominum *Morillon* ſalutante & congratulante loco futuri Epiſcopi. Finitâ Miſsa Decanus & Cantor *Dominum Morillon* è loco epiſcopali duxerunt ad portam Chori, ubi ſecretarius Curiæ eccleſiaſticæ Bruxellenſis publicavit, Regem de conſenſu Pontificis in hac civitate

Epiſc. Sonnius poſſeſſionem adit per Procuratorē

civitate & eccleſia conſtituiſſe Epiſcopum; unde Eccleſia hæc imposterùm dicenda ſit Cathedralis. Dein *D. De Lange* gratias egit Senatoribus & ſic deceſſerunt omnes. Verùm *D. Morillon* cum Decano & Canonicis proceſſit ad Refugium S. Bernardi tamquam Aulam futuri Epiſcopi, ibidemque ſumpſerunt prandium. *Antw. Chron. pag.* 206. in quo nomina propria miſerabiliter ſunt luxata. Anno 1570.

Sequenti die tenderunt ad Abbatiam S. Bernardi, ibidemque nomine novi Epiſcopi Antverpienſis ceperunt poſſeſſionem ejuſdem Abbatiæ. *Hiſt. Epiſc. Antw. pag.* 60. Sic tandem negotium erectionis Epiſcopatûs Antverpienſis hîc terminatum fuit, anno decimo poſt completam erectionem ejus Romæ. In Abbatia S. Bernardi.

Sequenti die 28. aprilis prodiit Regium diploma, quo mandabatur, quatenùs omnes inhabitantes loca deſignata pro Epiſcopatu Antverpienſi, imposterùm Epiſcopum *Sonnium* recognoſcerent, eique ſoli tamquàm tali obedientiam præſtarent, ſicut anteà reſpectivis ſuis Epiſcopis præſtiterant. Diploma illud integrum refertur *Edic. Brab. Tom* 1. *Lib.* 1. *Tit.* 1. *Cap. XI.*, unde illud contractum ſubjungo. Rex mandat ut omnes Ep. Sonnio obediant.

PHILIPPUS *by der gratie Godts Conink van Caſtillien... Allen den genen, die deſen onſen brief ſullen ſien ofte hooren leſen ſaluyt.* Diploma ejus deſuper.

Alſoo ſekere jaeren gheleden onſen heylighen Vaedere den Paus PIUS de vierde van dien naeme heeft een nieuwe Biſdom gheirſtitueert in onſer Stadt van Antwerpen, ende aldaer voor Biſchop geſtelt den eerweerdighen Vaeder in Gode Heer Franciſcus Sonnius... *ende dat deſen Biſchop dien achtervolgende is in de voorſchreven Kercke van Antwerpen behoorlijck geintrodu-*

Anno 1570. *introduceert ende ingheleyt geweeſt . . . Doen te weten , dat Wy . . . hebben ghewilt ende ghe-ordinneert , willen ende ordineren uyt onſer Princelijcke macht by deſen , dat alle onſe onderſaten , inwoonderen ende ingheſetenen der voorſchreven onſer ſtadt van Antwerpen ende Markgraeffſchap van Ryen , ook mede die van den anderen Steden , Vryheden , Dorpen ende andere plaetſen onder't voorſchreven Biſdom ende Dioceſe van Antwerpen begrepen , ende in de voorſchreven Bullen naementlijck gheſtelt ende gedeſigneert , van wat conditie die zyn ofte mogen weſen , het ſy geeſtelijcke oft weerlijcke , den voorſchreven Heer* Franciſcum Sonnium *van nu voortaen kennen , houden ende obedieren voor hueren gherechtigen* Biſchop *ende gheeſtelijcken* Overheer , *ende hem alle behoorlijcke eer ende reverentie bewyſen ende byſtant doen in allen't ghene , dat ſijnder voorſchreven digniteyt , officie ende adminiſtratie van ſijn voorſchreven Kercke van Antwerpen ende juriſdictie der Stadt competeert ende eenighſiens aengaen mach , ghelijck ſy , ende ieghelijck van hun in't ſijne , hueren anderen voorgaenden Biſchop , daer onder ſy plagen te weſen , hebben bewcſen ende ghedaen ghehadt , oft behoort hadden te bewyſen ende te doene , ſonder iemanden anders voor hueren Biſchop oft Dioceſaen te kennen ofte te aenſien.*

Ontbieden daeromme . . . Want ons alſoo gelieft. . .

Ghegheven in onſer ſtadt van Bruſſel den achtentwintighſten dagh in april in't jaer ons Heeren duyſent vyf hondert ende't zeventich . . . Onderteekent *De Langhe.*

à Quibus dioeceſibus deſumpta loca pro dioec. Antv. Loca, in quibus publicari debebat hoc diploma, dedi ſuprà *tom. IV. p.* 206. ex originali Pontificis Bulla. Deſumpta autem erant omnia ex dioe-

ceſibus

ceſibus Cameracenſi & Leodienſi, ad quorum Epiſcopos *Sonnius* juxtà Inſtructiones ſuprà relatas habebat litteras. Quales autem præciſè fuerint limites diœceſis Leodienſis & Cameracenſis ante erectionem hujus Epiſcopatûs, non planè liquet. Hoc ſcitur, quod Bergæ-ad-Zomam, Eekeren, Weſt-weſel, Breda & loca retrò illa fuerint ſub Leodienſi. Santvliet autem, Hooghſtraten, Turnhout, Herendalium, Gela & Tongerloo ſub Cameracenſi: hinc aliqualis ſeparationis illius idea formari poteſt. Anno 1570.

Ex prærogativis Epiſcopi Cameracenſis habuit Epiſcopus Antverpienſis in illis locis Collationem plurium Paſtoratuum, item octo Canonicatuum Turnholti (vide *Dipl. Belg. tom. III. P. II. cap.* 154.) & duorum beneficiorum in Duffel (vide *Miræi Don. belg. lib. II. cap.* 133.) quæ hodiè ſunt incorporata ſeminario Epiſcopali, & fortè aliorum. Perſonatus ab Epiſ. Cam. devolutu ad Epiſc. Antv.

Cum autem in Inſtructionibus pro novis Epiſcopatibus ſtatutum eſſet, ut captâ poſſeſſione Epiſcopus quamprimùm ingreſſum ſuum faceret: & ut reciperetur per Prælatos, Paſtores & Clerum civitatis, obviam euntes proceſſionaliter uſque ad portam civitatis, cum Gubernatore Provinciæ aut ejus Locum-tenente, Officiariis, Burgimagiſtris, Scabinis & Concilio civitatis, ſicque duceretur ad primariam Eccleſiam; ſtatuta fuit pro hac ſolemni receptione dies lunæ 1. may. Et cum Brabantia alium Gubernatorem non haberet quàm Gubernatorem totius Belgii, Dux Albæ, prædictis Inſtructionibus ſe conformare volens, Antverpiam venit 29. aprilis, ut huic ſolemnitati intereſſet, hoſpitium capiens in Abbatia S. Michaëlis. Statuitur dies pro receptione Epiſcopi.

Suprà

Anno 1579.

Ordo Proceſſionis inverſus.

Suprà ad annum 1399. vidimus ordinem in proceſſionibus tunc obſervatum. Præcedebant feminei ſexûs communitates, ſequebatur clerus ſeu Capitulum B. Mariæ, & Capitulum ſequebantur religioſi Ordines, primò Abbatia S. Michaëlis tamquam antiquiſſimus in civitate Ordo, dein FF. Prædicatores, qui ſeriùs advenerant. Hic ordo in Proceſſionibus adhuc hodie in aliquibus locis obſervatur: Lovanii enim tres Abbatiæ cum ſuis Abbatibus ſequuntur proceſſionem. Cum autem novus Epiſcopus recipiendus eſſet, æquum viſum eſt, ut Epiſcopus clauderet ordinem totius Cleri. Hinc ordo hactenùs in proceſſionibus obſervatus inverſus eſt, & ſtatutum, ut religioſi ordines, qui anteà ſequebantur jam Capitulum præcederent ſecundùm ſenioritatem; ut nempe immeditatè ante Capitulum procederet Abbatia S. Michaëlis & ante eam FF. Prædicatores &c. Ordo autem hic hactenùs in proceſſionibus obſervatur. Quod autem hâc occaſione iſta inverſio facta ſit, conſtat ex fœdis FF. Prædicatorum, inter quas id atteſtatum vidi per Abbatem S. Michaëlis.

Recipitur Epiſcopus Sonnius.

Tali itaque ordine ſtatuto die 1. may proceſſum eſt obviam novo Epiſcopo ad portam civitatis, comitante univerſo Senatu & Gubernatore Belgii Duce Albano cum pluribus Nobilibus. Cum autem eò perveniſſent Mr. *Joannes Gillis* Penſionarius civitatis nomine Senatûs Epiſcopum ſalutavit, eique congratulatus eſt hâc Oratione, quam communicavit D. Verduſſen Scabinus.

Congratulatur ei Penſionarius.

„POSTQUAM ſummo Pontifici D. N. „PIO quarto & Regi noſtro Catholico placuit, „ut in hac civitate nova ſedes Epiſcopalis eri„geretur, pergratum nobis eſt, Reveren„diſſime & Ornatiſſime Præſul, ſuam Sancti„tatem & regiam Majeſtatem reverendiſſimam tuam

„ tuam Amplitudinem ad hoc munus, ad hunc „ honorem & ad prima in hac Urbe funda„ menta Epiſcopalia jacienda elegiſſe & ſele„ giſſe, ut quæ omnibus animi & naturæ, „ ſcientiæ, doctrinæ & in ſecularibus atque „ eccleſiaſticis negotiis ſolertiæ, reliquiſque do„ tibus, quæ ad hanc dignitatem requiruntur, „ ſit ornata atque inſignita; cujus ſpecimen „ dedit anteacta vita atque arduæ eccleſiaſticæ „ functiones, & poſtremò Buſcoducenſis Ec„ cleſia, cui Præſul fuiſti. Anno 1570.

„ Quapropter huc acceſſimus, ut cum de„ debita ac ſumma reverentia obviam venien„ tes, adventum congratulemur, Deum opt. „ max. rogantes, ut omnia ex voto ſuccedant „ ad potentiſſimi Regis noſtri & reverendiſſimæ „ Amplitudinis tuæ honorem, Civium, In„ colarum ac populi ſalutem, Reipublicæ „ quietem & publicam tranquillitatem; de quo „ optimam ſpem concepimus exemplo docti: „ non dubitantes quin reverendiſſima tua Amplitu„ do Privilegia civitatis à Principibus noſtris ju„ rata & approbata, nec non Conventiones „ cum prædeceſſoribus Rmis Epiſcopis Came„ racenſibus initas firmiter ſit obſervatura. Nos „ viciſſim publico quo fungimur officio, ac pri„ vato nomine offerimus & pollicemur omne „ obſequium, quod catholicus Magiſtratus, „ omnemque obedientiam, quam pius ſubdi„ tus ſuo Præſuli ac Patri ſpirituali exhibere „ & præſtare tenetur."

Poſt hæc Epiſcopus Cleri ordinem claudens ſequente Magiſtratu &c. ductus eſt ad Eccleſiam cathedralem, ubi ſolemnitates præſcriptæ in Inſtructionibus obſervatæ ſunt.

Ordo hic obviam eundi & introducendi Epiſcopum per Clerum & Senatum hactenùs obſervatur: niſi quod ampliùs non procedatur ad

Anno 1570. ad portam civitatis, ſed ad eccleſiam illi proximiorem; ex qua recipitur & deducitur Epiſcopus ad Cathedralem. Dum autem aliquis Epiſcopus deſumptus fuit ex quodam ordine religioſo, habente monaſterium in civitate, vidimus eum receptum & deductum ex eccleſia ſui ordinis.

Concio in introductione Epiſcopi. Quantùm ad ſolemnitates in Eccleſia Cathedrali occaſione introductionis novi Epiſcopi peractas, nihil uſquam determinatè inveni: Papebrochius autem in *Annal. Mss. ex hiſtoria domeſtica* hæc refert. „ Morabatur tunc Antverpiæ *P. Robertus Clayſſonius* ex Societate „ Jeſu cum ſociis paucis, adeoque concionibus ſatisfaciebat, ut rogatus à Capitulo „ ſit concionari in honoraria primi Epiſcopi „ introductione, quæ fiebat in frequenti celeberrimoque cœtu Ordinum totiùs Patriæ. „ Sed patre *Clayſſonio* valetudinem excuſante „ id muneris delatum eſt à Reverendiſſimo „ Atrebatenſi ad patrem *à Coſta* Clayſſonii collegam." Jam autem à memoria hominum concio hæc non habetur in introductione novi Epiſcopi. Verùm Brugis & fortè alibi adhuc in uſu eſt.

Epiſcopatus diviſus in ſex Decanatus. Epiſcopatus Antverpienſis extrà civitatem & ſuburbium mox diviſus fuit in ſex Decanatus, pro totidem Decanis Chriſtianitatis: quatuor in locis deſumptis ab Epiſcopatu Camaracenſi, nempe Antverpienſis, Liranus, Herendalenſis & Hoogſtratanus, & duo in locis deſumptis ab Epiſcopatu Leodienſi, nempè Bredanus & Bergizomenſis. An omnes iſti Decanatus anteà ſubſtiterint ſub prioribus reſpectivis Epiſcopatibus, neſcitur: ſaltem diviſio illorum non ſic ſtetit; nam plura loca, quæ olim ſub Epiſcopatu fuerunt Leodienſi, hodie ſunt ſub Decanatibus Antverpienſi & Hoogſtratano

ſtratano. Vide loca ſingulis Decanatibus attributa ſuprà *Tom. IV. pag.* 209.

Anno 1570.

Dignitates non ſtatim admiſſæ in Capitulo.

Quantùm ad Dignitates ſimul cum Epiſcopatu erectas; ad Archidiaconatum, qui tantùm debebat erigi poſt obitum Archidiaconi Antverpienſis in eccleſia Cameracenſi, primum anno 1573. nominavit Epiſcopus *Jacobum de Campo* J. C. L. nepotem ſuum; qui tamen poſt multas deſuper difficultates demùm tamquàm talis admiſſus fuit in Capitulo anno 1575. An autem Epiſcopus ſtatim nominaverit ad Archipresbyteratum & Pœnitentiariam, non liquet. Hoc autem ſcitur, Dignitates iſtas in Capitulo admiſſas non fuiſſe ante annum 1601. ut infrà ſuis locis dicetur.

Epiſcopus excipit Eleemoſynarios.

Novus noſter Epiſcopus, tertio poſt receptionem die, volens ſe exhibere patrem pauperum, invitavit ad menſam quatuor civitatis Eleëmoſynarios, quibus indictum erat, ut ſecum ducerent triginta pauperes, quos Epiſcopus humaniter & lautè excepit; & poſt menſam Eleëmoſynariis ad opus pauperum donavit centum florenos, & prædictis triginta pauperibus ſingulis nummum argenteum quindecim ſtuferorum.

Hugo Favolius medicus Poëta.

Occaſione ingreſſus primi noſtri Epiſcopi *Hugo Favolius* Middelburgenſis, medicus & poëta, familiaris ejus amicus confecit & edidit in folio patenti *Acroſtichon in Luſtrationem urbis Antverpianæ à Franciſco Sonnio primo ejus Epiſcopo factam.* Antv. Anton. Tilenius 1570. Favolius fuit Doctor medicus Antverpiæ & illic obiit tempore obſidionis paucis diebus ante reductionem civitatis 10. aug. 1585. de eo plura Foppens *Bibl. Belg. pag.* 491. & D. Paquot *Mem. litt. tom. VII pag.* 388.

Epiſcopus prædicat in Cathedrali &c.

Poſtridiè 4. may in feſto Aſcenſionis primâ vice concionem habuit Epiſcopus in Cathedrali ad

Anno 1570. ad altare S. Catharinæ, ductus ad ſuggeſtum per Canonicos; habebatque copioſum auditorium. Poſt concionem interfuit Miſſæ in choro celebratæ per D. Decanum & ſimiliter poſt meridiem interfuit Veſperis. Vigeſimâ menſis contulit majores ordines, & ſequenti die in feſto SS. Trinitatis in Pontificalibus comitatus eſt ſolemnem annuam proceſſionem S. Præputii.

Decretum Senatûs circà Proceſſionē S. Præputii.

Occaſione autem præſentiæ novi Epiſcopi punctum unum circà hanc Proceſſionem mutatum eſt in Ceremoniali civitatis; in eo enim ſic legitur: *Item ſoo placht-men van oudts te requireren van Stadts wegen s'daechs te voren by den joncxſten Secretaris den* Apt *van S. Michiels, dat hem ſoude gelieven de Hoogmiſſe te celebreren ende de Proceſſie met ſijne religieuſen te decoreren: maer gemerckt nu den Eerw. Heer* den Biſchop *preſent is, ſoo is men gewoonelijck ſijne Eerw. daer toe te requireren.*

In quali habitu Epiſc. comparuerit in Choro.

In quali habitu novus Epiſcopus frequentaverit Chorum, nullibi notatum inveni. Interim hodie Epiſcopi noſtri comparent in Choro eo habitu, qualem Epiſcopus Tornacenſis primò aſſumpſit anno 1606. quod deſcribit *J. Couſin* Canonicus Tornacenſis in *Hiſtoria* quam dedit *De Rebus Tornacenſibus* hoc modo.

A la Touſſaint de la meſme annèe 1606. *le Rme Evecque de Tournay commença à venir à l' Egliſe accouſtrè de violet à la Romaine: auparavant l'Eveque portoit en temps d'hyver chappe & chaperon noire & de meſme façon que les chanoines; differant ſeulement en deux choſes, l'une que luy ſeul avoit le chaperon garny d'armines, les chanoines garny de menus vers (vairs) l'autre que la queue de ſa chappe*

(*cum*

encore aujourd'huy) eſtoit portée par un page: & en temp d'eſté il partoit un roquet & ſurplis avec une aulmuce d'armines. Habitus Epiſ. certè mutatus fuit, dum aſſumptus eſt uſus romanus, quod hìc factum eſt 1599. ut infrà dicetur. Anno 1570.

Jeſuitæ, qui jam ab octo annis in hac civitate reſederant, ſperantes aliquando in ea obtinere Collegium, hactenùs deſuper nihil obtinuerant: imò, cum pauci hactenùs fuiſſent, nempè tres aut ad ſummum quatuor, needum fixum domicilium habuerant; ſed modò ſibi vixerant, modò apud alios victum emerant. Interim quia ſtabilis fundi poſſeſſionem ab *Albano* obtinere non poterant, dum commodiora expectantur tempora, hoc anno communi conſilio domum conduxerunt, quæ quandoque videbatur idonea fore extruendo Collegii ædificio; in eamque tranſmigrârunt. Cum autem in illa domo ſufficientem commoditatem haberent, numerus eorum auctus eſt ad quatuordecim, quibus titulo *Superioris* præſibebat Pater *à Coſta*. Cumque domus illa aptata eſſet habitationi, tandem etiam in ea ſacellum deputaverunt ad rem divinam faciendam. Papeb. *Annal. Mss.* Non determinat autem, quæ fuerit iſta domus, quam ſic inhabitârunt Patres. Inferiùs indicat, fuiſſe domum magnificam, partem illius ſolùm occupâſſe Patres, & ſitam fuiſſe è regione domûs, in qua Albanus aliquando hoſpitabatur. Jeſuitarum numerus augetur.

Archiepiſcopo Mechlinienſi ob cauſas Romæ agente, celebrata eſt Mechliniæ Synodus provincialis per Epiſcopos comprovinciales. In ea præſedit MARTINUS RYTHOVIUS Epiſ. Iprenſis nomine Archiepiſcopi; interfuit & novus noſter Epiſcopus FRANCISCUS SONNIUS. Inchoata eſt Synodus 11. junij hoc anno 1570. & poſt plures ſeſſiones terminata & publicata Celebratur Synodus Provincialis Mechliniæ.

 15. jul-

Anno 1570. 15. julij ejuſdem anni. Decreta hujus Synodi referuntur in collectione Synodalium vulgata typis plantinianis anno 1680.

Forma recipiendi Conc. Trid. Statutum eſt in ea, ut omnes præſentes acceptent decreta Concilii Tridentini ſub hac forma: „Ego N. omnia & ſingula, quæ à „ſancta Synodo Trid. ſtatuta & definita ſunt, „palam recipio, necnon veram obedientiam „ſummo romano Pontifici ſpondeo & profi„teor; ſimulque hæreſes omnes à ſacris ca„nonibus & generalibus Conciliis, præſer„timque eadem Synodo Tridentina damna„tas, deteſtor & anathematizo."

Ad receptionem hanc faciendam debebant abſentes ad eam ſuo nomine faciendam procuratoribus ſuis intrà decem dies commiſſionem mittere: ſi qui autem defectuoſi fuiſſent ſtatuit Synodus, ut id faciant in proximè celebranda Synodo diœceſana.

De aſſumendo Breviario Romano. Tit. *De Officio & cultu divino* Cap. 16. „Mandat etiam Synodus, ut omnes ſe ac„commodent in lectione horarum tenori Bullæ „apoſtolicæ per PIUM PP. quintum editæ & „hic publicatæ." Agitur hic de Bulla edita per prædictum Pontificem anno 1568. præfixâ Breviario romano; quâ mandabatur, ut uterentur dicto Breviario Romano omnes, qui ducentis annis in contraria poſſeſſione non fuerant. Eccleſia autem Antverpienſis ob turbas & alias fortè rationes huic mandato demùm paruit anno 1598., ut infrà dicetur.

Feſti dies in provincia Mechlinienſi. Tit. *De Feſtis* cap. I. hæc decernuntur celebranda per totam Provinciam: „Præter dies „Dominicos feſtum Nativitatis Chriſti, Stephani „protomartyris, Joannis Apoſtoli & Evange„liſtæ, SS. Innocentium, Circumciſionis Do„mini, Epiphaniæ, Converſionis Pauli, Puri„ficationis B. Mariæ, Cathedræ Petri, Mat„thiæ apoſtoli, Annuntiationis Mariæ, feſtum

„Paſchæ

„ Paſchæ cum feria ſecunda & tertia ſequente, Anno
„ Marci Evangeliſtæ, Philippi & Jacobi, In- 1570.
„ ventionis S. Crucis, feſtum Aſcenſionis Do-
„ mini, feſtum Pentecoſtes cum feria ſecunda
„ & tertia ſequentibus, Trinitatis, Venerabi-
„ lis Sacramenti, Nativitatis S. Joannis Bap-
„ tiſtæ, SS. Petri & Pauli, Viſitationis B.
„ Mariæ, Magdalenæ, Jacobi, Laurentii,
„ Aſſumptionis B. Mariæ, Bartholomæi, Nati-
„ vitatis B. Mariæ, Matthæi apoſtoli, Mi-
„ chaëlis, Lucæ, Simonis & Judæ, om-
„ nium Sanctorum, Martini, Catharinæ,
„ Andreæ Apoſtoli, Nicolai, Conceptionis
„ B. Mariæ & S. Thomæ apoſtoli" *Cap. II.* additur feſtum principalis Patroni Parochialium Eccleſiarum. Adeoque præter feſta, quæ ſemper celebrantur in Dominica, celebrabantur in populo feſta quadraginta tria.

Celebrati fuerunt Antverpiæ.

Feſta iſta omnia obſervata fuerunt in Diœceſi Antverpienſi, ut patet ex Synodo Antv. an. 1576., in qua *tit. de feſtis* remittitur ad præmiſſum Articulum. Verùm ſicut alibi, ſic & hic feſta in populo ſæpiùs multiplicata & abrogata fuerunt pro ratione temporum & locorum.

Celebrati Antverpiæ ante hanc Synodum.

Ante hanc determinationem Antverpia cum diœceſi Cameracenſi, ſub qua agebat, tantùm celebrabat feſta in populo triginta tria, quæ referuntur in Synodo Cameracenſi celebrata an. 1550. *edit. Paris.* 1551. *pag.* 148., nempe in Circumciſione, Epiphania, Purificatione B. M. Annuntiatione dominicâ, in Paraſceve ante totum officium completum, feria ſecunda Paſchæ, in die Philippi & Jacobi, Inventionis S. Crucis, Aſcenſionis, in feria ſecunda Pentecoſtes, in die SS. Sacramenti, Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli, Magdalenæ, Jacobi, Laurentii, in Aſſumptione B, M., Exaltatione S. Crucis, in die Matthæi apoſt.,

Anno 1570. Michaëlis, Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, Martini, Catharinæ, Andreæ apoſt., Nicolai, Conceptionis B. M., Thomæ apoſt., in die Nativitatis D., S. Stephani, Joannis apoſt., in die Patroni eccleſiæ & in die dedicationis eccleſiæ. Hinc habemus, Synodum provincialem Mechlinienſem pro nobis multiplicaſſe feſta in populo.

Abrogati Cameraci manente obligatione ad miſſam.

Verùm prædicta Synodus Cameracenſis magnam tunc fecerat reductionem Feſtorum: in ea enim tit. *de feſtis* pag. 53. legitur hoc decretum. „Statutum, per prædeceſſores noſtros de minoribus feſtis editum, certis rationabilibus „de cauſis adducti, ita duximus moderandum, ut in omnibus minoribus Feſtis liceat „unicuique audito ſacro & ſermone (ſi modo „fiat) ſe ad operas ſuas, quibus ſuam ſuorumque alimoniam quærere cogitur, conferre." In antiquis ſtatutis correctis *ibidem pag.* 149. enumerantur minora iſta feſta ſeptemdecim, nempe Converſio Pauli, Cathedra Petri, in die Matthiæ apoſt., Marci Evang., Petri ad vincula, Decollationis Joannis Bapt., Lucæ Evang., Nicaſii &c., SS. Innocentium, feria tertia & quarta paſchalibus, feria tertia & quarta Pentecoſtalibus, in die Vincentii, Aycardi peregrinis, Giſleni & Dionyſii &c., in die S. Eligii peregrinis. Ab obligatione hàc audiendi miſſam iſtis diebus ſolvit nos ſynodus Mechlinienſis, de ea enim nullam mentionem facit.

Abrogationes dein factæ Antverpiæ.

Itaque Antverpia poſt Synodum Mechlinienſem obſervavit præter feſta, quæ ſemper celebrabantur in Dominica, feſta quadraginta tria; quamdiu autem omnia iſta obſervaverit non liquet. Anno 1625. menſe martio prædictis adjunctum eſt feſtum S. Joſephi juxtà litteras Nuntii apoſtolici ad inſtantiam ſereniſſimæ Infantis ISABELLÆ Guberna-

Gubernatricis Belgii. Patet ex *Actis Capituli*, ubi notatur Capitulum tunc obſervationes congeſſiſſe contrà multiplicationem feſtorum. Notatur inſuper majorem partem civitatis feſtum illud antea ſponte celebraſſe. Anno 1570.

Anno 1652. 15. novembris abrogata ſunt feſta undecim & ſurrogata tria nova. conſtat ex iiſdem *Actis*, ſed nec abrogata nec ſurrogata nominantur. Reſtabant itaque tunc feſta celebranda in populo triginta ſex. Anno 1736. tantum celebrabantur feſta triginta & unum, inter quæ erant duo diœceſana, nempe S. Annæ & S. Silveſtri; unde clarum eſt, alias adhuc factas fuiſſe reductiones; quandonam autem factæ ſint, non inveni.

Interim vidimus anno 1737. abrogari feſta S. Annæ, S. Silveſtri & SS. Innocentium, ſic tamen ut in feſtis S. Annæ & SS. Innocentium maneret obligatio ad miſſam. Feſtum autem S. Annæ vidimus reſtitui anno 1739. vi decreti Clementis PP. XII. dati 3. octob. 1738. Conſtant hæc ex annuis *Directoriis* vulgo *Cartabellis* eccl. cathedralis.

Poſt hæc Benedictus PP. XIV. per Bullam directam ad Epiſcopos Belgii auſtriaci datam 3. aprilis 1751. abrogavit ad inſtantiam Mariæ Theresiæ Reginæ Hungariæ &c. Principis noſtræ ſeptemdecim feſta, manente obligatione ad miſſam. Nempe feriam tertiam Paſchatis & Pentecoſtes, feſta S. Matthiæ, Joſephi, Philippi & Jacobi, Inventionis S. crucis, SS. Jacobi, Annæ, Laurentii, Bartholomæi, Matthæi, Michaëlis, Simonis & Judæ, Andreæ, Thomæ, Joannis Evang. & Innocentium. Pontificium Breve deſuper vulgavit Epiſcopus noſter 4. auguſti ejuſdem anni. Novum non eſſe abrogare feſta manente obligatione ad miſſam ſuprà vidimus ex ſynodo Cameracenſi, in

Abrogatio per Benedictum PP. XIV.

Anno 1570. in qua anno 1550. eodem modo feſta totidem abrogata fuerunt.

Abrogatio per Clementem PP. XIV.

Deinceps poſt viginti annos, id eſt anno 1771., CLEMENS PP. XIV. 22. junii ſimile Breve dedit ad eoſdem Epiſcopos inſtante ſupradictâ Principe noſtrâ, per quod præmiſſis abrogatis feſtis adjunxit feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & ſuſtulit obligationem ad miſſam omnibus prædictis diebus, ac tranſtulit jejunium, quod ſervandum erat in quibuſdam vigiliis prædictorum feſtorum, nempe Nativ. S. Joan. Baptiſtæ, SS. Laurentii, Matthæi apoſt., Simonis & Judæ & S. Andreæ apoſtoli ad quartas & ſextas ferias Adventûs Domini. Verba Bullæ ſic ſonant.

„Retineantur ac celebrentur feſtivi dies Reſurrectionis cum ſequenti, Pentecoſtes item cum ſequenti, aliique per annum dies Dominici necnon Nativitatis D. N. J. C., Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis & Corporis Chriſti; tum quinque dicati B. Mariæ virgini, videlicèt, Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, Nativitatis & Conceptionis; ac prætereà retineantur feſtum SS. apoſtolorum Petri & Pauli, omnium Sanctorum, S. Stephani Protomartyris & unius tantùm principalioris Patroni. In his igitur omnibus feſtivis diebus pro veteri Eccleſiæ catholicæ inſtituto Chriſti fideles ſacris adeſſe, à ſervilibus operibus abſtinere, & jejunium in eorumdem vigiliis, quibus adnexum ſit, obſervare debeant ac teneantur.

„In reliquis verò diebus feſtivis, non ſolum laborioſas artium exercitationes & ſervilia opera, quemadmodum BENEDICTUS PP. XIV. conceſſerat, permittimus & indulgemus; ſed inſuper eoſdem Chriſti-fideles à quocumque Vigiliæ ſeu jejunii diebus præcedentibus... & audiendi miſſam in prædictis Feſtis obliga-

„tione

„tione abſolvimus & liberamus. Sed Sanc- „torum ac Solemnitatum Officia & miſſas, „tam in iiſdem abrogatis feſtis quàm in eorum „Vigiliis, retineri & ſicut priùs in quacumque „eccleſia celebrari mandamus. Sacrum verò „jejunium, quod in prædictis Vigiliis habeba- „tur, ad quartas & ſextas ferias Adventûs „transferendum, ibidemque ſervandum edi- „cimus & conſtituimus...“ Anno 1570.

Pontificium hoc decretum vulgavit Illuſtriſſimus noſter Henricus Gabriel 6. novembris ejuſdem anni cum Epiſtola paſtorali circà piam obſervantiam Dominicarum & Feſtorum.

Reſtant feſta ſedecim.

Reſtant itaque nunc in Belgio Auſtriaco, præter Dominicas & feſta, quæ ſemper in dominicis celebrantur, tantùm Feſta ſedecim. Sicut autem priſtinis temporibus feſtorum numerus ſæpè auctus fuit aut imminutus, ſic & fiet poſt hæc pro neceſſitate aut pietate temporum & locorum.

Scholæ Dominicales.

Tit. *De ſchola Dominicali* decernitur, ut ultrà ſcholas Parochiales (quæ Antverpiæ in uſu erant) inſtituerentur ſcholæ Dominicales, in quibus proles pauperum gratis diebus dominicis & feſtivis docerentur principia Religionis, ac legere & ſcribere. Tales ſcholæ plurimæ habentur uſque in hodiernum diem in variis Capellis per civitatem Antverpienſem, & earum inſtitutio adſcribitur Epiſcopo Joanni Miræo, qui demùm anno 1604 conſecratus eſt Epiſcopus.

Erectio Seminarii.

Tit. *de Seminariis* ſtatuit Synodus, ut, ubi hactenùs erecta non erant, Seminaria erigerentur in proxima Synodo diœceſana, nec differretur inſtitutio ultrà ſex menſes. Antverpiæ autem, indubiè ob ſubſecutas turbas, Seminarium demùm inſtitutum eſt per Epiſc. *Joannem Miræum* anno 1605, quando *Lau-*

Anno 1570. *rentius Beyerlinck* in eo inſtitutus eſt primus Præſes.

Nominati pro judicibus Synodalibus. Tit. *De litteris apoſtolicis & judicibus delegatis* Synodus juxtà Conc. Trid. nominat perſonas ex ſingulis diœceſibus aptas & idoneas, quibus, præter Ordinarios locorum, poſthac cauſæ Eccleſiæ & ſpirituales ac ad forum eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ, à ſua Sanctitate committantur. Nominati ex epiſcopatu Antverpienſi referuntur hoc ordine.

D. ac M. Rogerus à Taxis J. U. Licentiatus Decanus Eccleſiæ cathedralis & Officialis.

Reverendus Pater D. Guilielmus de Greva Abbas monaſterii S. Michaëlis Antverpienſis.

D. Cornelius Cornelii Cantor ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ.

D. Godefridus Veuſels J. U. Doctor & Canonicus ejuſdem Eccleſiæ.

Franciſcus Doncker Canonicus & Scholaſter ejuſdem Eccleſiæ ſacræ Theologiæ Baccalaurius.

Si autem quis prænominatorum obiiſſet ante proximam Synodum provincialem aut diœceſanam, concedebatur, ut alium cum conſilio Capituli ſubſtitueret Epiſcopus, mittendum ad Pontificem. Statuta hujus Synodi prælo excuſa & vulgata ſunt typis Plantinianis anno ſequenti 1571. de conſenſu Regis & Concilii Brabantiæ.

Generalis condonatio promulgatur. Sequenti die poſt terminatam hanc Synodum, id eſt 16. julij, cum maxima ſolemnitate Antverpiæ publicata fuit ex parte Regis generalis condonatio omnium delictorum, in præcedentibus turbis commiſſorum. Signata fuerat à Rege condonatio iſta 16. novembris

ann

anni præcedentis, adeoque ante octo menſes. Anno 1570.
Albanus, ut promulgatio hæc cum magna pompa perageretur, met Antverpiam venerat cum Concilio Regis & turba Nobilium ac ſatellitum; aderant etiam *Maximilianus de Bergis* Archiepiſcopus Cameracenſis & *Franciſcus Richardot* Epiſcopus Atrebatenſis, qui iteratam Pontificis Indulgentiam promulgarent.

Itaque manè FRANCISCUS SONNIUS Epiſcopus noſter cum univerſo Clero, tam regulari quàm ſeculari, proceſſionaliter è Cathedrali proceſſit ad domum Markgravii viâ *het Kipdorp*, indeque exceptos Archiepiſcopum & Epiſcopum deduxit ad Cathedralem, in qua ante Odeum paratum erat ſumptuoſum Altare. Et primò habita fuit concio flandrica per Epiſcopum *Sonnium*; dein ad Miſſam ſolemnem de Spiritu ſancto venit Dux Albæ prætioſis veſtibus & aureo vellere ornatus, tamquam repræſentans Hiſpaniarum Regem, ſecum ducens tres aurei Velleris Equites, D. de Barlemont, Ducem Archotanum & Comitem de Overſtyn, cum pluribus aliis Nobilibus, inter quos magnus Melitenſis Prior filius Ducis Albæ & D. Vitelly Caſtellanus Antverpienſis, & multitudine ſatellitum. Miſſa coram ipſis & maximâ confluentium multitudine celebrata eſt per MAXIMILIANUM DE BERGIS Archiepiſcopum prædictum aſſiſtentibus ſex Canonicis & quatuor Capellanis. Finitâ miſſâ per Clerum inſtituta eſt Proceſſio intrà Eccleſiam; prætioſam Crucem pertinentem àd Ducem Brabantiæ geſtabat Archiepiſcopus, quem ſequebantur prædicti tres Equites aurei Velleris, dein Dux Albæ cum Nobilibus & ſatellitibus. Finitâ Proceſſione *Franciſcus Richardot* Epiſ. Atrebatenſis gallicam dixit orationem, populum adhortans, ut

Ex parte Pontificis.

Anno 1570. ut grates Deo ageret pro eâ Pontificis Regiſque clementiâ & Albani Gubernatoris operâ : quæ, inquit Strada, dum pluribus extolleret, repentinis doloribus correptus & è ſuggeſto ſublatus, multis ad ſuperſtitionem omnia trahentibus inauſpicatò dixiſſe, ſucceſſuque non favente ſuſcepiſſe cauſam, viſus eſt. Oratio hæc inter opera ejus prelo vulgata refertur. Poſt hæc Capellanus Archiepiſcopi prælegit Bullam PII V., quâ tribuebat indulgentiam plenariam, & facultatem Confeſſariis abſolvendi hæreſi implicitos verè pœnitentes. Deinde decantato hymno *Te Deum laudamus* Archiepiſcopus dixit collectam de Pace, & ſalutato Albano finita fuit hæc ſolemnitas.

Ex parte Regis.

Poſt meridiem autem circà horam Laudum veſpertinarum venit ad forum magnum, infinitâ hominum multitudine oppletum, ALBANUS ſacro accinctus gladio & Galero tectus, quos religione gemmiſque prætioſos à PIO miſſos ante memoravi, cum Equitibus aurei velleris & pluribus Nobilibus, Cancellario, Præſide *Viglio* & Conſiliariis Privati Concilii, ac tribus ſignis militum Hiſpanorum & ſatellitibus. Sic, inquam, venit Albanus ad publicandam generalem Regis condonationem. Unde conſcenſo ligneo theatro, erecto ante Curiam, conſpicuum auro ſolium ſublimis inſedit. Tum præconem juſſit propè ſtantem recitare Diploma Regis, ſibi exhibitum in eum finem per Præſidem Viglium; quo præteritorum oblivio turbarumque venia Belgarum populis tribuebatur; quod ille gallicè flandricèque præſtitit. Lecto autem Diplomate, clangentibus buccinis ad commonſtrandam lætitiam; Albanus è theatro deſcendit in Curiam, in qua cum comitatu cœnavit.

Fam.

Fam. Strada dicit, obſervatum, pleroſque incolas domum ſuſpenſo animo rediiſſe, nec ullum feſtis in nocte facibus ignibuſque, contrà quàm Albanus ſibi perſuaſerat, edidiſſe gratulationis argumentum; idque ideò, quòd plurimi à generali hac condonatione excepti eſſent, & quòd malevoli beneficium Regis occultâ operâ extenuarent. Verùm Diploma condonationis hujus habemus apud P. Bor. *fol.* 230. *verſo.* in eo certè multi excepti leguntur: ſed hæc differentia tantùm erat inter exceptos & non exceptos, quod non excepti eam haberent omninò gratuitò: excepti verò in aliqualem delicti pœnam condonationem illam deprecari deberent per libellum ſupplicem, offerendum etiam per procuratorem, cum firma ſpe eam obtinendi. Jam autem, ut aſſerit P. Bor. beneficium illud regium religioſè obſervatum fuit ergà non exceptos redeuntes in Belgium; unde non dubitandum, quin etiam religioſè obſervatum ſit ergà exceptos, beneficium illud per oblatos libellos deprecantes: ſaltem non ſcitur, illud alicui fuiſſe denegatum. Unde meritò regia illa condonatio dicta fuit *generalis.* Hinc etiam Cives ab errore reducti per totam civitatem 25. menſis per tres dies continuos regium hoc beneficium celebravit feſtivis facibus & ignibus. Vide Strada *pag.* 384. Ab Iſſelt. *hiſt. ſui temp. pag.* 207. P. Bor. *fol.* 231. & Antw. Chron, *pag.* 209.

Anno 1570.

Condonatio hæc generalis erat.

Franciſcus Sonnius novus noſter Epiſcopus 30. julij in Cathedrali in navi Eccleſiæ concionem habuit ad populum, in qua iterùm prædictam Indulgentiam publicavit, ſeu potiùs populum ad non negligendam oblatam gratiam excitavit. *Antw. Chron.*

Epiſc. eam iterum promulgat.

Hoc menſe Albanus Edictum dedit, in quo deſcribit, qualiter ſe gererent Officiarii in

Juramentum præſtandum per Officiarios.

jure

Anno 1570. jure dicendo per totum Belgium, requirens, ut omnes, qui conſtituerentur judices, aut in aliis principalioribus officiis, ante omnia inter alia jurarent ſequentia: Quod nempe ſint in communione ſanctæ catholicæ & romanæ Eccleſiæ, nullam participationem habentes cum ulla ſecta vel hæreſi; quibus reſiſtent, quantùm poterunt, & nulli permittent prædictis ſectis aut hæreſibus adhærere. P. Bor. *fol.* 228. Exactum fuit hoc juramentum, nè occultè perverſi ad officia aſſumerentur: ab illis enim his turbulentis temporibus maximè timendum erat.

Anna ſponſa Philippi II. Hiſp. Regis per Belgium in Hiſp. tendit.

Menſe auguſti in belgium venit ANNA filia Maximiliani II. Imperatoris, ſponſa & futura quarta conjux PHILIPPI II. Hiſpaniarum Regis Principis noſtri, cum duobus fratribus Archiducibus ALBERTO undecim annorum, qui deinceps fuit Belgarum Princeps, & WENCESLAO novem annorum infantibus & ſelectâ Nobillitate, tendens in Hiſpaniam ad ſponſum. Cum Noviomagum appuliſſet ſolemni ritu in Albani manum tradebatur. Illic Gelriæ, Hollandiæ, Ultrajecti, Friſiæ, Tranſiſalaniæ, Groeningæ Legatos obvios habuit, qui matrimonium novæ nuptæ gratulati egregia quoque munera obtulerunt.

Recipitur Antverpiæ.

Indè Albano deducente Antverpiam ingreſſa eſt 26. menſis, ubi regio planè apparatu eſt excepta. Tribus diebus antè Senatus edictum publicaverat, ut Nationes, opificum collegia, Gildarum viri, omneſque civitatis Vici omnia pararent ad eam debitè recipiendam & adventum ejus feſtivis ignibus celebrandum. Per plateas & in locis publicis diſpoſita erant artificioſa ſpectacula famoſi Circuitûs vulgò *den Ommeganck*, & erecti in pluribus locis per Nationes arcus triumphales & varia pegmata.

Clerus

Clerus pretioſiſſimis Cappis indutus proceſſionaliter obviam ivit uſque ad portam Rubram, ubi eam excepit & ſalutavit cum univerſo Senatu deducendam ad Cathedralem. Viri autem Gildarum geſtabant faces ardentes. Ad Capellam S. Eligii erectum erat theatrum, ex quo Virgo repræſentans civitatem, cum aliis pluribus virginibus, rythmo eam ſalutavit & honorificum munuſculum obtulit. Sicque equo inſidens ſub baldachino honorificè deducta eſt ad Cathedralem, ubi dictis precibus eam ſalutavit Epiſcopus Sonnius. Dein deducta eſt ad Aulam ſibi paratam in Mera in domo Hieronimi Del Rio. Veſperi per totam civitatem viſi ſunt feſtivi ignes & lucernis illuminatæ turres. Sequenti die dominicâ 27. menſis cum omnibus Nobilibus venit Regina ad Cathedralem, ubi devotè interfuit ſolemni Miſſæ celebratæ per Epiſcopum Sonnium. Poſt meridiem ſimiliter excepta fuit in novo caſtro. Die 10. ſeptembris habita fuit generalis Proceſſio cum Venerabili pro proſpero itinere Reginæ, quæ cum fratribus & nobilibus deceſſit in Zelandiam, undè in Hiſpaniam ſolvit 27. ſeptembris. Quare 1. octobris in eundem finem è Cathedrali habita fuit Proceſſio ſicut & ex omnibus Parochiis & monaſteriis. Dum Antverpiæ morabatur, cæterarum Provinciarum Legatos excepit, qui itidem ei vota & munera obtulerunt. *Haræus*, *P. Bor*, *Strada*, *Fleury*, *Antw. Chron.* Anno 1570.

Inter illos autem legatos fuit *Philibertus Bruſſelius* Mechlinienſis ſecretioris Concilii aſſeſſor & archivorum Artheſiæ cuſtos, de quo refertur, quod Orationem ad eam dixerit in navi ſub dio, nudoque vertice; undè contracto morbo diebus dumtaxat XIV. ſupervixerit, & obierit Antverpiæ menſe octobris, ſepultus

Philibertus Bruſſelius.

Anno 1570.

ſepultus Mechliniæ in monaſterio Blyenberg. Fop. *Bibli. Belg. pag.* 1021.

Petitur & negatur ereƈt. Collegii Soc. Jeſu.

Indicat Auƈtor *Imag. prim. ſec. Lib. VI. cap.* 2. prædiƈtam Regis ſponſam, antequam Antverpiâ diſcederet, ab Albano petiviſſe, quatenùs permitteret ereƈtionem Collegii Societatis Jeſu in hac civitate, eumque id illi negaſſe. Papebrochius autem *Annal. Mss.* dicit Patrem *à Coſta* Superiorem ſociorum in hac civitate, reliƈto regimine *P. Clayſſonio*, cum prædiƈta Regina deceſſiſſe in Hiſpaniam. Apparenter ad deprecandum à Rege, quod hic ab Albano obtineri non poterat. Conſtat interim, Patres toto tempore, quo gubernavit Albanus, Collegium in hac civitate non obtinuiſſe.

Epiſcopus reconciliat Eccleſias.

Epiſcopus Sonnius 26. ſeptembris cœpit reconciliare Eccleſias profanatas extrà civitatem. Et primùm reconciliavit Eccleſiam S. Willibrordi in ſuburbio. *Antw. Chron.*

Franciſcus Floris pictor

Primâ Octobris obiit *Franciſcus Vrint* aliàs *Floris* Piƈtor famoſus, qui penicillo ſuo Eccleſias in hac civitate & alibi decoravit. Sepultus eſt Antverpiæ in cemeterio apud Minoritas, ubi Epitaphium ejus legitur. De eo fusè Papebrochius *Annal. Mss.*

Chorus FF. Minorum conſecratur.

Vigeſimâ nonâ ejuſdem menſis, tunc Dominicâ, conſecratus eſt novus chorus FF. Minorum per novum Epiſcopum Daventrienſem ejuſdem Ordinis *Ægidium de Monte*, coram Antverpienſi Epiſcopo *Sonnio* & Mechlinienſis Epiſcopi ſuffraganeo Doƈtore Laurentio Parocho Bruxellis in Sabulone, Canonicis Antverpienſibus & Conſulibus Daventriæ. Ita Papebrochius *Annal. Mss.* Verùm Miræus *Not. Eccl. belg. cap.* 228. *in notis* dicit prædiƈtum *Ægidium de Monte* illo die 29. octobris conſecratum fuiſſe Epiſcopum.

Primâ

Primâ novembris in feſto omnium Sanctorum tanto pelagus ferbuit æſtu, ut veſperi circà horam nonam hìc ruptis aggeribus novam urbem aliaque loca aquæ inundarent, & cellaria locaque decliviora intrà & extrà urbem latè implerent. Hinc pecora & homines multi miſerè ſubmerſi. Summo damno tota paſſim civitas horribili hâc inundatione affecta. Detrimentum in mercibus marinâ aquâ corruptis æſtimatum centenis florenorum millibus & ampliùs; in ſtructuris Reip. Antverpianæ, utpote cataractis, actis, crepidinibus, urbis muris, publiciſque ædificiis, centenis quoque ut minimùm millibus: non tantùm tamen ex hoc caſu Brabantia damnum tulit, quantùm reliqua Belgii loca mari vicina: creditur enim præter reliquam jacturam centum hominum millia abſumpſiſſe. Hiſpani juſtæ Sanctorum iræ, his ſuis feriis ſe vindicantium, rem imputabant, utpote quorum Imagines & templa Belgæ violâſſent. Interim multum ea res Principis Orangii, reditum in Belgium parantis, conſilia perturbavit; & quia tempeſtas plures naves afflixerat, dilatum neceſſariò propoſitum eſt. Haræus *Annal. tumul. belg. pag.* 112. Addit Strada pag. 387. Albanum hâc maritimâ Belgii jacturâ permotum, menſes aliquot abſtinuiſſe à ſuſcepta contentione quoad exactionem nummi X. XX. &c. Anno 1570. Inundatio adſcribitur Iconomachiæ

Vigeſimâ nonâ novembris horâ tertiâ pomeridianâ fulmine incenſa fuit Turris parochialis eccleſiæ S. Georgii, undè timebatur tùm turris tùm totius eccleſiæ ruina; nam ignis poſt ſex demùm horas extinctus fuit: ita autem extinctus fuit, ut turris conſervata ſit & nè crux quidem deciderit. *Antw. Chron.* Turris S. Georgii fulmine icta.

Menſe decembris die 1. Epiſcopus SONNIUS in Eccleſia Cathedrali conſecravit, ſanctæque Altare S. Luciæ in B. M. conſecratur.

Luciæ

Anno 1570. *Lucia* dedicavit Altare ſellariorum. Papeb. *Annal Mſs.*

Mandatum Epiſcopale quoad tabernas &c.

Idem Epiſcopus, quò meliùs divina officia frequentarentur inhibuit, nè quis ante finitum ſummum ſacrum ad potitandum tabernas intraret, aut domus in quibus luditur chartis, aut choreæ ducuntur. Mandatum hoc Epiſcopale è Podio publicatum eſt 15. decembris, ſub pœna ſuperioris veſtis. *Antw. Chron.*

1571.

Rebelles capti & Antverpiæ morte plexi.

Cum Orangius tùm per ſe, tùm per ſibi fidos continuò Belgas excitaret ad rebellionem; quidam Hermannus Ruyterus ſylvæducenſis, pridem mercator, fine anni 1570. in ejus favorem audax edidit facinus. Is ſub veſperam circà Chriſti natalem Loveſtenium, arcem propè Gorcomium in inſula Bommellenſi ſitam, tribus ſolùm comitatus, habitu Franciſcano ingreſſus ceperat, ac Præfecto cæſo aliquamdiu tenebat. Verùm miſſo milite ex Sylvaducis expugnata fuit Arx. Interiit Ruyterus; & è ſociis 17. capti ducti ſunt Antverpiam, ubi mox 15. ſunt ſuſpenſi & duo in rota excarnificati.

Albanus queritur de Weſenbeek retento in Clivia.

Sciens autem Albanus, quid Sonoïus, Haeſtrechtius, Weſembecius quondam Penſionarius noſter, & alii in Cliviam profugi, pro Orangio quotidiè molirentur, apud Ducem clivienſem ejuſque Senatum per literas queritur, homines noxios & turbarum contrà Regem incitatores in ſua ditione foveri, rogans ut pœnâ crimen compeſcerent. Hinc timens Clivienſis, quoſdam, ſed fruſtrà, apprehendi juſſit. Hæræus *Annal. pag.* 114. An autem etiam proſecutus ſit Weſembecium noſtrum, non liquet.

Anabaptiſtæ hoc anno combuſti.

Hoc anno 1571. plures iterum Anabaptiſtæ hìc morte plexi ſunt. 27. feb. in foro combuſti ſunt quinque, inter quos eorum prædicantius

dicutius & filia una : cum illis autem combuſti ſunt libri apud illos reperti, dum apprehenſi ſunt. Eodem loco 9. may cumbuſti ſunt vir & uxor. Item 17. aug. cumbuſti ſunt ſimiliter filiola cum prædicutio & civis capite truncatus, qui in domo ſua prædicationes habuerat. Et unus 10. ſeptembris, ac tandem una 20. octobris, omnes propter anabaptiſmum. *Antw. Chron.* Hinc patet, Senatum Antverpienſem hactenus religioſiſſimè obſervaſſe regia Edicta. Anno 1571.

Hoc anno 1. februarii edidit Epiſcopus Sonnius Inſtructiones pro paſtoribus ſuæ diœceſis, juxtà quas inſtruerent oves ſuas circà ſeptem eccleſiæ Sacramenta. Prelò datæ ſunt hoc anno vernaculo idiomate typis *Anthonii Tilens*. Libellus iſte rarò hoc tempore invenitur. Unum exemplar vidi in Bibliotheca Dñi J. B. Verduſſen Scabini hujus civitatis. Si autem de novo typis vulgaretur, etiam nunc perutilis & gratus foret omnibus curam paſtoralem exercentibus. Sonnius Epiſ. edit inſtructiones paſtorales.

Præfixa eſt dicto libello latina epiſtola Epiſcopi ad Paſtores ſuæ diœceſis : unde eam ſubjungo. Epiſtola deſuper.

„ Ad Paſtores diœceſis noſtræ Antver„ pienſis.

„ PATRES in Concilio provinciali Mechli„ nienſi perpendentes, alienum magis quàm „ oportet, imò penè averſum eſſe populi „ affectum à venerabilibus Sacramentis eccleſiæ, „ nec id aliundè provenire, quàm ex inſuffi„ cienti doctrina & explicatione eorumdem; „ ordinarunt juſtâ ſanè de causâ, ut compro„ vinciales Epiſcopi ederent ſuis Paſtoribus for„ mulam quandam ſuccinctam in lingua verna„ cula docendi populum de ſingulis Sacramen„ tis, quæ omnibus ſcitu neceſſaria ſunt,

Anno 1571. „ quoties adminiſtranda forent, aut in con-„ cionibus declarandi eadem ſeſe offerret oc-„ caſio.

„ Nos igitur volentes obtemperare, ut par „ eſt, offerimus Paſtoribus diœceſis Antver-„ pienſis, cooperatoribus noſtris in vinea Do-„ mini, hanc formulam ſubſcriptam: non quòd „ debeant iiſdem addicti eſſe verbis, aut om-„ ninò totum, quod collegimus, in qualibet „ adminiſtratione exponere: verùm ut habeant „ eam velut ſpeculum, in quod oculos ſæpè „ conjicientes accipiant inde prout loco & „ tempori congruum videbitur.

„ In ſingulorum verò explicatione ſingulis „ penè clauſulis adjecimus ſcripturarum loca, ex „ quibus Sacramenta eccleſiæ velut è fontibus „ profluunt, ut in promptu ſit Verbum Dei, „ ſi lubeat de eiſdem aut fuſiùs agere aut „ exactiùs. Primâ februarii An. 1571.

Diverſi ſtyli in uſu. Epiſcopus in hâc datâ ſequitur ſtylum communem ſeu Romanum. Cenſor autem, qui erat Canonicus cathedralis approbationem ſuam ſignat *kal. febr.* 1570. *ſtylo Braban.* Hinc patet, hic hoc tempore varios ſtylos in uſu fuiſſe, unde tandem confuſio, quæ occaſio fuit, ob quam poſt paucos annos *ſtylus Brabantinus* ſeu *Cameracenſis*, juxtà quem annus inchoabatur in Paſchate, totaliter decreto Regis abolitus ſit, ut infrà ſuo loco dicetur.

Epiſcopus celebrat coram Albano. Sequenti die in feſto Purificationis epiſcopus Sonnius coram Duce Albano ejuſque Aula in æde Cathedrali benedictionem diſtributionemque cereorum, ac dein Miſſam quàm ſolemniſſimè celebravit. Ita Papebrochius *Annal. Mss.*, ubi & ſequentia ſic refert.

Prima Synodus diœceſana. Die quartâ ejuſdem menſis auſpicatus eſt dictus Epiſcopus Concilium diœceſanum in bibliotheca capitulari intrà ipſius Eccleſiæ clau-

ſtrum

ſtrum ; poſt invocatum in Choro Spiritum ſanctum ; præſentibus Abbate S. Michaëlis in habitu ſuo ſolemni cum mithra & pedo ; Canonicis autem omnibus ſervientibus in cappa chorali circà ſummum altare ; Parochis aliis & Curatis ruralibus in toga presbyterali cum ſuperpelliceis ; nec non cœnobiorum utriuſque ſexûs Superioribus aut Directoribus ; ac Senatu civitatis , congruum cuique locum occupantibus : quibus poſt dictum hymnum de Spiritu ſancto propoſitum eſt juramentum ſuper obſervationè Conciliorum Tridentini & Mechlinienſis : & hoc præſtito D. *Franciſcus Donckers* , tamquam ſupremus ſigilii epiſcopalis cuſtos atque Canonicus ſcholaſticus totum diem continuavit lectionem ſacri Concilii Mechlinienſis anno ſuperiore celebrati ; & totum exactè obſervandum edixit Epiſcopus SONNIUS , adhibitâ etiam , quantùm opus foret ; poteſtate brachii ſecularis. Tertiò autem die D. *Philippus d'Almarai* in majori choro Miſſam decantavit de SS. Trinitate , & D. *Donckers* præfatus inſignem ad omnes habuit Orationem. Conciliumque ſolvens Epiſcopus cunctos cum ſua benedictione dimiſit. Ita Papebrochius.

Anno 1571.

Proponuntur acceptanda Conc. Trid. & Synodus Mechl.

In hac enarratione nulla fit mentio *Statutorum* in hac Synodo publicatorum. Habemus autem *Statuta* Epiſcopi SONNII per modum Epiſtolæ Paſtoralis edita & typis vulgata , quæ videntur publicata in hac Synodo ; & quæ equidem certò ſunt edita circà hoc tempus. In illis autem Epiſcopus ſupprimit conſueta concilia Decanalia , & indicit quotannis in hac civitate celebrandam Synodum diœceſanam feriâ tertiâ poſt Dominicam quartam poſt Paſcha : & ultrà habentur decem circà varias materias ſalutaria decreta. Exemplar unum editionis iſto-

An ibi ea vulgata ſint Statuta.

Anno 1571. rum Statutorum vidi, ſed deerat titulus; undè non patebat, quo anno aut cujus typis excuſa eſſent. Verùm cum in eadem forma & iiſdem caracteribus impreſſa eſſent, quibus hoc anno typis Plantinianis vulgata erant Statuta Synodi provincialis Mechlinienſis, dubitari non poteſt, quin iiſdem typis hoc tempore vulgata ſint. Quia autem Decreta iſta hodie rarò inveniuntur, nec inter collectiones Synodalium reperiuntur, ea hic ſubjicio ex dicto exemplari.

Decreta Sonnii ad Clerū.

„ FRANCISCUS SONNIUS Dei & apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Antwerpienſis „ omdibus membris Cleri ſui majoribus & „ minoribus ſalutem in Domino ſempiter- „ nam.

„ Cum ſtatutorum multitudo ſubinde inducat „ magis confuſionem, quàm aptam guberna- „ tionem; conſultum putavimus, veſtris hu- „ meris nihil aliud pro hac vice imponere, „ quàm quod in ſacris Canonibus & venerabili- „ bus Conciliis œcumenico Tridentino & pro- „ vinciali Mechlinienſi decretum eſt omnibuſ- „ que præſcriptum, his pauciſſimis, quæ „ ſubſequuntur, tantùm adjectis.

Ut ſinguli habeant Conc. Trid. & Mechl.

„ 1. In primis quòd ſinguli habeant apud ſe „ libellos tam œcumenici Concilii Tridentini, „ quàm provincialis Mechlinienſis: eoſque ſic „ legant & relegant, ac annotatiunculis memo- „ riæ ſuæ aptent, ut in illis ſeriò ſtuduiſſe „ videantur.

De concionatoribus.

„ 2. Deinde quòd ſinguli Paſtores aliique „ verbi divini Concionatores anteà tempeſtivè „ deſcribant ſuas conciones, prinſquam eas „ faciant; aut ſaltem capita & notabilia in iiſdem „ declaranda: idque de hebdommada in heb- „ dommadam, non in chartis rejectitiis, ſed „ in libello papyraceo ad hoc aptato.

„ 3. Tert

„3. Tertiò, quòd paſtores in principio concionum ſuarum recitent populo linguâ vernaculâ tractim & intelligibiliter Orationem dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum fidei & decem Præcepta Decalogi in fine autem Confeſſionem generalem, quam vocant: *die 'naebiecht*.

Anno 1571.

De frequentatione tabernarum.

„4. Item quòd nemo de Clero ſe immiſceat potatoribus in popinis vel tabernis vinariis aut cereviſiariis ſub pœna unius floreni, dum inventum fuerit pro primo, dupli pro ſecundo, pro tertio majori arbitrio Ordinarii decernendâ; quia admodùm ſeriò dicit Salvator: *Cavete nè graventur corda veſtra crapulâ aut ebrietate.* Et reverà vileſcit Clerus, dum ſe ſecularibus ad ebrietates aliaſve ineptias pertractandas commiſcet.

De reſidentia beneficiatorum.

„5. Quòdque ſinguli beneficiati reſideant in loco beneficii ſui, aut ad minùs per reſidentem ſacerdotem officium ſuum impleri curent. Si verò plures ſint beneficiati in eodem loco, curent inter ſe per unum aut alterum reſidentem officium impleri: nè Paſtor loci ſolus ac ſine adjutorio relinquatur. Alioqui nos idem curaturi ſumus ad communem Reipub. neceſſitatem, eorum fructibus ad hoc reſervatis & confiſcatis; etiamſi in loco ſtudii privilegiati ſe contineant.

De computu Fabricæ & menſæ S. Spiritûs.

„6. Ad hæc quòd Paſtores diligenter moneant magiſtros fabricæ & menſæ S. Spiritûs ac hoſpitalium parochiæ ſuæ, ut faciant exactum computum ſingulis annis de adminiſtratione, quam habuerunt, abſque fautis ſive reſtantiis. Pro reſtantiis autem è multis elapſis annis, curent primarii loci invenire aliquem receptorem, qui illas diligenter exigat & colligat, ſalvo honeſto & ſufficienti ſtipendio.

Anno 1571. „ 7. Item quòd in ſingulis parochiis ſit ſcho-
„ la pro juventute inſtituenda ex libellis ad hoc
De ſcholis. „ convenientibus, cujuſmodi jam recens edidi-
„ mus duos, alterum teutonicè, alterum latinè per
„ modum dialogiſmi: ut ſciant præceptores,
„ quid debeant interrogare, diſcipuli verò quid
„ reſpondere ſecundùm exigentiam Religionis
„ catholicæ: & cogantur canere ſingulis diebus
„ in ſchola ante egreſſum, ſub certis cantûs
„ notulis, orationem dominicam, ſymbolum
„ Apoſtolorum & decem præcepta in lingua
„ vernacula.

„ De ſcholis autem dominicalibus juxtà Con-
„ cilium mechlinienſe erigendis, fiet ordinatio
„ tempore viſitationis, prout ſingulis locis con-
„ gruum erit.

De teſtamentis. „ 8. Item cum dicat Apoſtolus: *Nemo mili-
„ tans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*,
„ diſtrictè præcipimus, nè quis Paſtorum mu-
„ nus notarii ſeu tabellionis publici deinceps ex-
„ erceat, præterquam in caſibus à jure per-
„ miſſis. In teſtamentis autem ac piis legatis
„ deſcribendis formulas à benè peritis viris fac-
„ tas accurarè ſequatur.

„ Meminerint autem legatum, quod Eccleſiæ
„ Cameracenſi aſſcribi ſolet, deinceps aſſcri-
„ bendum Antwerpienſi, tamquam matrici hu-
„ jus Diœceſis.

De adminiſtratione ſacramentorum. „ 9. Denique quòd in adminiſtratione ſingu-
„ lorum Sacramentorum præmittant aliquam in-
„ ſtructionem, juxtà formam à Nobis præſcrip-
„ tam: non quòd illam totam qualibet vice
„ debeant præmittere, ſed ſaltem aliquam ex
„ ea clauſulam, deducendo ſuam inſtructiun-
„ culam ad Scripturam ibidem annotatam: nè
„ populus exiſtimet ſacramenta Eccleſiæ ab ho-
„ minibus excogitata eſſe, & non in ſacris

„ ſcripturis

„ ſcripturis fundata , prout plerique autu- „ mant. Anno 1571.

„ 10. Poſtremò quòd nulla nutrix ſuſcipiat „ prolem alienam ad enutriendum ſive lactan- „ dum , niſi anteà conſtet per atteſtationem „ Paſtoris parochiæ ipſius prolis eandem bapti- „ zatam eſſe. De nutricibus.

„ 11. Synodum autem diœceſanam Epiſcopatûs „ noſtri Antwerpienſis decernimus exinde ſingu- „ lis annis habendam Antverpiæ feriâ tertiâ poſt „ Dominicam *Cantate* , conſuetis Conciliis De- „ nalibus ſuppreſſis , quouſque experientia aliud „ ordinandum docuerit. De celebrandis Synodis diœceſ.

„ 12. Volumus autem & diſtrictè præcipimus „ quod Archipresbyteri ſive Decani Chriſtiani- „ tatis præveniant biduo dictam feriam ter- „ tiam , ut cum Epiſcopo aut ejus Vicariis „ conferant ſuper defectibus , abuſibus & ex- „ ceſſibus in clero populoque ſuæ ditiunculæ , „ per ipſos animadverſis & annotatis. "

Licèt autem Epiſcopus in hac epiſtola paſtorali indicat ſingulis annis celebrandam Synodum diœceſanam ; non ſcitur tamen id ad effectum ductum fuiſſe : malignitas temporis indubiè obſtitit. Si autem quotannis celebrata fuerit , equidem Decreta prelo edita non habemus niſi illius , quæ celebrata eſt menſe mayo anno 1576. , cujus Decreta habentur in collectione Synodalium vulgata typis Plantinianis anno 1680. Dubium num ſingulis annis celebrata ſit Synodus

Die 11. februarii Epiſcopus SONNIUS in Conventu FF. Prædicatorum conſecravit GODEFRIDUM à MIERLO ejuſdem Ordinis S. T. D. in Epiſcopum Harlemenſem : qui poſtridie ibidem reconciliavit & ubi opus erat conſecravit altaria ejuſdem Prædicatorum eccleſiæ , ab hæreticis aut profanata aut diffracta Ita Papeb. *Annal. Mss.* Suprà ad an 1538. re- Sonnius conſecrat Epiſc. Harlemenſem.

 tul

Anno 1571. tcli ex *Chron. Mſs.* & *Chor. Præd. apud Sanderum*, tunc cœptum fuiſſe ædificari novum Prædicatorum templum, illudque hoc anno per prædictum *Godefridum* conſecratum fuiſſe.

Qui Poſtridie conſecrat novam Eccleſiam Prædicatorum.

Die 15. martii horâ 9. matutinâ ingens tumultus in Eccleſia Cathedrali fuit occaſione luſitani hiſpanique, qui cum in foro mulieri, iſtic ficus venales habenti, eripuerit aliqua; ipſaque reſiſtere volens, accepto in caput vulnere deliquium patiens cecidiſſet in terram; ad tumultum accurrentes juſtitiæ miniſtri cum eos comprehendere vellent, fugam illi cœperunt in Eccleſiam & chorum Ven. Sacramenti, ubi tum Miſſa celebrabatur. Hâc finitâ, cum nullus inde pateret exitus, obſervantibus oſtia miniſtris, voluerunt ſtrictis gladiis viam ſibi per obſtantes facere. Ita mox octo vel novem gladii exerti micuerunt, læſique ſunt aliqui; & accurrente in auxilium miniſtrorum plebe, intortilia & candelabra arripiente atque impetum in reos faciente, unus eorum in terram proſtratus eſt, alter etiam graviter fauciatur in capite, ſic ut chorus ſanguine aſpergeretur.

Tumultus in Cathedrali.

Polluitur Eccleſia.

Re examinatâ juſſit Epiſcopus die XVII. in ſabbato ceſſare ſacra & eccleſiam claudi, affixâ ad valvas chartâ, quæ cauſam indicaret. Sequenti autem die idem Epiſcopus, cum ſummo mane Eccleſiam expiaſſet, horâ 6. reſerata illa fuit cum ſolemni compulſatione campanarum; & cœpit Epiſcopus pollutum ſanguine chorum Venerabilis, aſſiſtente ſibi univerſo Clero reconciliare benedictione & lotione conſuetis, ductâque intrâ Eccleſiam proceſſione, pontificali in habitu populum luculento ſermone docuit, quæ reverentia locis ſacris habenda eſſet, & monuit ab eis violandis cavere

Interdicitur & reconciliatur.

cavere ſub pæna capitis & bonorum : ſuam denique omnibus impertitus eſt benedictionem cum indulgentia quadraginta dierum. Ita Papeb. *Annal. Mss.* Anno 1571.

Paſtor & Vicepaſtor in Berchem crudeliter trucidantur.

In feſto Paſchatis 15. aprilis horrendum facinus perpetratum eſt in Berchem juxtà Antverpiam in domo Paſtoris. Veſperi circà undecimam plures graſſatores benè armati domum invaſerunt, & D. *Bernardum Gerardi* Paſtorem ac Decanum Chriſtianitatis & Capellanum ejus D. *Petrum* lecto decumbentes, inflictis pluribus vulneribus, horribili modo trucidârunt, ita ut ſtatim mortui ſint. Hoſpitem, qui nuper Româ advenerat & decumbebat in cubiculo Capellani, nudum duxerunt ad caveam, & interim ſpoliis onuſti aufugerunt. Duo autem ex illis latronibus dein capti pro merito morte plexi ſunt 30. junij. *Antw. Chron.*

Inde edictum pro ſecuritate Eccleſiaſticorum in pagis.

P. Bor. *lib. 5. fol.* 241. facinus hoc referens, dicit famam tuliſſe, illud perpetratum fuiſſe per Geuſios, de quo tamen, inquit, nihil compertum fuit. Fama indubiè ferebat, illud perpetratum fuiſſe per *Geuſios ſilveſtres*, qui ab annis graſſati fuerant in Flandria occidentali, & notanter ſeviebant in eccleſiaſticos. Hinc timebant ſibi omnes foris Paſtores & eccleſiaſtici. Ideo, inquit Bor, Albanus, ad præveniendum malum quod timebatur, 19. ejuſdem menſis Edictum regio nomine publicandum dedit, per quod in protectionem aſſumebat omnes Paſtores & alios eccleſiaſticos in pagis reſidentes, mandans omnibus ſubditis, ut illis auxilio ſint & defendant contrà quoſcumque malefactores aut ſectarios, idque vel ſtatuendo vigilias catholicorum virorum ſingulis noctibus in domibus illorum, aut juxtà; vel alio oportuno modo ſub pœna arbitrali, &

inſuper

Anno 1571. inſuper quod habendi ſint ſuſpecti & participantes, & quod pagus ipſe reſtituat omne damnum illatum: licentiam cuique tribuens, eos tamquam graſſatores publicos occidendi; & prohibens, nè quis dictos graſſatores in domum recipiat ſub pœna mortis &c.

Statua Albani erigitur in Caſtro.

Albanus Statuam ſeu trophæum, quod ſibi confici juſſerat ex tormentis æneis hoſti in Friſia ademptis, hoc anno perfectum, dudum à ſe Belgium domitum credens, erigi curavit in Caſtro Antverpienſi, ſtetitque ibidem 19. may. Statua ipſum Albanum formâ & ſtaturâ planè referebat, nudo capite & cætero corpore armis induto. Sub pedibus calcabatur homo gemino capite, manibus quatuor, in quarum primâ fax accenſa, in ſecundâ malleus fractus, in tertiâ clava nodoſa, in quartâ ſecuris: è collo ejus appenſa bulga, è qua ſerpentes prorepebant: ſupter larva conſpiciebatur, ad cujus aures mendicorum duæ ſcutellulæ. Legebantur hæc inſcripta: *Jungelingi opus ex ære captivo.* Et inferiùs paulò in lamine topho inixa: *Ferdinando Alvarez à Toledo Albæ Duc., Philippi* II. *Hiſp. Regis apud Belgas Præfec., quòd extinctâ ſeditione, rebellib. pulſis, Religione procuratâ, juſtitiâ cultâ, pacem firmavit, Regis optimi Miniſtro fideliſſ. poſitum.* Univerſi operis altitudo pedes 15. tenebat. Utrimque tamquam belli ſpolia variæ armorum ſpecies cingebant. Ab altera parte varia emblemata cum hac inſcriptione græcè: *Aurora fugans mala.* Hujus ſtatuæ ingens invidia apud multos fuit, etiam Hiſpanos quoſdam, & conjecturæ de ea variæ pro ingenio cujuſque aut adfectu. Haræus *Annal. Tumult. pag.* 116.

Index Expurgatorius perfectus & excuſus Antv.

Cùm Prælati & Univerſitates, quibus diſtributi erant libri expurgandi, tempore novem men-

menſium examen perfeciſſent & notas ſuas tranſmiſiſſent; Concilium Cenſorum, quod Antverpiæ inſtitutum erat, in quo præſidebat Epiſcopus auctoritate eccleſiaſticâ & aderat *Arias Montanus* auctoritate Regiâ, rem etiam cordi habuit, & frequenter conveniens notas tranſmiſſas contulit cum ipſis libris, & communi judicio expurganda annotavit ac inde Catalogum fecit, quem intitulavit INDEX EXPURGATORIUS. Index autem iſte perfectus fuit 1. junij hoc anno 1571., quo die *Arias Montanus* ſignavit præfationem ſuam eidem præmiſſam. Monet autem in ea *Montanus*, non omnes libros, qui corrigi expurgarique poterant, in eo complexos; ſed eos tantùm, quorum uſum lectoribus frequentiorem, expectationem moleſtiorem, expeditionem verò graviorem fore arbitrabantur. Complectitur autem Index ille univerſim 96. Auctorum opera. Anno 1571.

Index ille excuſus eſt typis Plantinianis ſumptibus reglis, non ut vulgaretur, ſed ut diſtribueretur Cenſoribus per Epiſcopos conſtitutis & conſtituendis, ut juxtà dictum Indicem libros corrigerent, antequam lectio aut venditio permitteretur. Indici ſic excuſo præfixum eſt Regium diploma ſignatum ult. julij hujus anni, quod ex originali editione contractum ſubjungo.

PHILIPPE par la grace de Dieu Roy de Caſtille... à tous ceulx, qui ces preſentes verront ſalut. Diploma Regis eidem præfixum.

Comme pour le meilleur ſucces & avancement de la ſaine & pure doctrine, tant en noz pays de pardeça, que des autres, vers ou s'envoyent livres de nos ditz pays, Nous ayons en l'an MD, ſoixanteneuf dernier paſſe par deux catalogues, publiez ſur le fait des

livres

Anno 1571. *livres deffenduz, nettoyè les librairies publicques & privèes des livres, que pour lors & le temps preſent l'on jugeoit dangereux ou ſcandaleux, ſuyvant en ce l'ordonnance eccleſiaſticque & legitime, & ce que par le S. Concille de Trente & les decretz & catalogues d'iceluy à eſtè ſtatuè & declairè.*

Et parce que entre les livres ſuſditz on à trouvè pluſieurs en toutes facultez, leſquelz eſtans repurgez d'aucunes choſes de mauvaiſe doctrine, ou autrement mal ſentans, pourroyent au demeurant, & pour la plus grand part, eſtre prouffitables : & ne veulans laiſſer perdre une ſi grande ſomme, à quoy montera la valeur de ſemblables livres au grant dommaige des marchans d'iceulx, & avec perte de toutes perſonnes ſtudieuſes : Nous avons commandè bruſler les livres des hereſiarches & autres eſtans totalement pernicieulx, que l'on à trouvè en nos ditz pays de pardeça, les quels (graces à Dieu) n'ont eſtè en grant nombre : ayans auſſi commandè, que les autres, qui pourroyent admettre & recevoir repurgation, fuſſent amaſſez & depoſitez par toutes les villes & bourgades de nos ditz pays.

Et depuis... avons, ſuyvant l'ordre ſur ce donnè par le dit S. Concille de Trente & les decretz & catalogues d'iceluy, fait repartir la lecture & viſitation des ditz livres au Prelatz, Univerſitez & hommes lettrez & ſçavans de nos ditz pays de pardeça...

Et après avoir reçeu les Indices memorianlz & advis d'iceulx reſpectivement, avons fait eſtablir ung College de Cenſeurs en noſtre ville & citè d'Anvers; ouquel à preſidè par auctoritè eccleſiaſticque ung Eveſque ſçavant & religieulx, & ung autre perſonnaige, qualifiè pour le dit fait, à ce deputè de noſtre part :

les

les quelz... ont fait une cenſure convenable, & eſcript ung livre intitulè : Indice Expurgatoire *: le quel avons fait imprimer à noz propres deſpens par noſtre Prototypographe, non pour eſtre vendu ou diſtribuè publicquement, ains pour eſtre reparti aux Viſitateurs à ce denommez ès villes & bourgades de nos ditz pays par les Prelatz Eccleſiaſticques, & pour ceulx qui de nouveau ſe denommeront à ce, ſi beſoing eſt. Et deſirans què la repurgation des ditz livres ſoit effectuèe ſelon la cenſure & Indicè ſuſdit.* Anno 1571.

Pour ce eſt il, que ces choſes conſidèrees avons, par la deliberation & advis de noſtre... le Duc d'Alve... *& de noz amez & feaulx les gens de noſtre Conſeil ordonnèlez luy, ordonnè & ſtatuè, ordonnons & ſtatuons par ces preſentes.*

Que les dits Viſitateurs... auront doreſenavant à viſiter les livres contenuz au Catalogue *ou* Indicè *ſuſdit..., & à l'inſtance des proprietaires corrigeront & en retrancheront tous les lieux & paſſaiges declairez au dit Indice, ſuyvant l'ordre & inſtruction donnèe par iceluy : & eſtans les ditz livres ainſi corrigez & repurgez & ſoubzſignez du nom & ſignature du Viſitateur ou Correcteur, ſe rendront aus ditz proprietaires...: & en ceſte fachon l'on pourra uſer & faire trafficq des livres eſtans expurgez en la maniere ſuſdite & non autrement, à paine que la perſonne... tumbera ès paines contenues en noz lettres de Placcart publiées ſur le fait de la Religion....*

Donnè en noſtre Ville de Bruxelles le dernier jour de juillet l'an de grace MD. ſoixante unze... D'Overloepe.

Franciſcus Junius, qui anno 1565. aliquo tempore Antverpiæ fuerat miniſter Walonum Receſſus in Germania. & dein

Anno 1571.

& dein ſucceſſivè miniſter & Profeſſor Heidelbergæ, Indicem hunc expurgatorium in contemptum ibidem recudi curavit anno 1586. Et deinceps alibi in Germania pluries prelo vulgatus fuit.

Alexiani novam Eccleſiam conſtruunt.

Fratres Cellitæ ſeu Alexiani noſtri hoc anno multa paſſi ſunt à malevolis, tùm in plateis tum ad portas monaſterii ſui; aliqui jactis lapidibus læſi inde obierunt. Providit autem illis Senatus decreto dato 26. aprilis, ut notat *Chron. Ms.* Inſuper cum dicti Fratres in translatione monaſterii pro oportunitate modicam tantùm ſibi Capellam conſtruxiſſent, majorem hoc anno erigere cœperunt. Primum lapidem poſuit 8. junij dominus *Gerardus Deſpomereaux* Proviſor domûs, & alterum poſuit Fr. *Petrus Willemſen* tamquam ejuſdem domûs Pater. Monaſterium autem dein ſucceſſu temporis ſplendidè reædificatum eſt.

Capitulum érigit ſex parvos Canonicatus.

Cum Eccleſia matrix, anteà ſolùm collegiata, jam in Cathedralem erecta eſſet; Capitulum, quo venerabiliùs & exactiùs perſolveretur officium Chori, ultrà viginti tres Canonicos, qui Capitulum conſtituebant, ſex novos fundavit ſub nomine *parvorum Canonicorum* ſeu *ſecundæ fundationis*: quorum ſinguli haberent parvam Præbendam centum florenorum annuè, recipiendorum in diſtributionibus, præter emolumenta omnia Capellanorum, quæ ipſis ratione ſuarum Capellaniarum manerent. Fundationem hanc confirmavit Epiſcopus SONNIUS in ordinationibus ſuis prælectis in Capitulo die 15. junii 1571., quarum extractum circà hanc fundationem refertur *Dipl. belg. Tom. II. pag.* 1104. In eo autem hæc leguntur.

Epiſcopus fundationem hanc confirmat.

„Erunt deligendi & inſtituendi ad hujuſ„modi Canonicatum... per... Capitulum con„junctim

„junctim... & non per ſingulos majores Anno
„Canonicos turnatim, ut fieri ſolebat; inſti- 1571.
„tuendi, inquam, ex Capellanis hujus Ec-
„cleſiæ, qui laudabiles habent voces & in
„cantu ſint periti ac honeſtæ converſationis.
„Sic autem inſtituentur, ut omnem habitum,
„violaceo bireto excepto, habeant, & locum
„canonicalem, in choro quidem retrò pul-
„pitum in ſuperioribus ſedilibus, majoribus
„Canonicis retinentibus ſibi ſedilia viciniora
„ſummo altari juxtà ordinem honoris & ſe-
„nii ſui; in Proceſſionibus ſuper omnes Ca-
„pellanos & immediatè infrà omnes Cano-
„nicos majores: verùm in Capitulo nec lo-
„cum nec vocem conſultativam aut definiti-
„vam habebunt; neque per ſe conſtituent
„collegium aut capitulares vocabuntur....

„Ad antedictas Præbendas ex nunc electi
„ſunt per Reverendiſſimum Dominum De- primi parvi Canonici.
„canum & Capitulum infraſcripti domini Ca-
„pellani. Dominus *Carolus de Toerme*, do-
„minus *Carolus de Foſſa*, dominus *Joannes*
„*Roſa*, dominus *Joannes Moens*, dominus
„*Martinus Geele* & dominus *Joannes Ma-*
„*leprat* vel veriùs dominus *Joannes Bulle*,
„ſub conditione quòd honeſtè vivant & in
„habitu corporali veſtitu quoque decenter
„ſe gerant, ſine barbis, capillis capitis ex-
„creſcentibus uſque ad aures, tonſurâ raſâ,
„ut antiquitùs fieri ſolebat: alioquì aliiſque
„de cauſis à ſuis canonicatibus amovendi...

Additur loco citato *in notis*, Epiſcopum Augetur eorū dos & numerus.
Guillielmum de Bergis anno 1600. prædictis ſex
Canonicatibus annexuiſſe quinque *Capellanias*
ejuſdem Eccleſiæ, dictas *Animarum*. Item
Joannem Malderum quintum Epiſcopum ad
opus eorundem Canonicorum anno 1612. in-
corporâſſe duas Capellanias, *S. Nicolai* primæ
funda-

Anno 1571. fundationis in Cathedrali & *S. Joannis apud Bogardos.* Item numerum parvorum Canonicorum adauctum fuiſſe ad octo anno 1639. dum diviſâ Plebaniâ ad hoc applicatæ ſunt duæ Capellaniæ duorum Paſtorum. *Dipl. belg. tom. II. pag.* 1115.

Sonnius Epiſ conſecrat in Arce fundum erigendæ Parochiæ.

Die 21. julii novæ Arci benedixit Epiſcopus SONNIUS & conſecravit fundum, in quo erat extruenda Eccleſia Parochialis ſub titulo S. Philippi. Ita Papeb. *Annal. Mss.* Eccleſia in dicto fundo erecta ſtabat anno 1574. quandò idem Epiſcopus eam conſecravit & in parochialem erexit ſine interventione Capituli, ſub cujus Juriſdictione tota Arx ſubſiſtebat. Agitatâ autem deſuper lite coram Abbate S. Gertrudis Lovanii, Capitulum demùm in erectionem conſenſit anno 1575. ſub certis conditionibus deſuper initis cum Paſtore & Gubernatore Arcis, ut infrà ſuis locis dicetur.

Peſtis Antverpiæ.

Graſſabatur hoc tempore peſtis tum intrà tum extrà civitatem: & plures inde moriebantur quàm à centum annis. Obiit inde *Mercelis van Breugel* Parochianus S. Andreæ, ſimiliter Parochianus S. Georgii & Paſtor ac Cuſtos in Cathedrali. Quo autem impediretur hujus calamitatis progreſſus, adhibita ſunt media tum naturalia tum ſpiritualia. Et in

Media Naturalia ad impediendum progreſſum.

primis quia malevoli ſordes è domibus peſtiferorum affricabant portis divitum, conſenſit Senatus, ut ſimiles deprehenſi aut trucidarentur aut ad carcerem ducerentur. Inhibuit inſuper initio augusti, nè Ludimagiſtri tum intrà tum extrà civitatem ſcholas aperirent intrà ſex ſeptimanas. Inhibuit nè Veteramentarii per ſubhaſtationes ullibi mobilia venderent, nec forum haberent, nec vetera mobilia aut veſtes venum exponerent. Inhibuit nè Gildarum viri aut

aut opificum Collegia etiam in diebus Proceſſionum in Cameris ſuis congregarentur aut jentacula inſtituerent ; nè convivia , etiam nuptialia , inſtituerentur inter plures quam duodecim perſonas. Cemeterium etiam pro peſtiferis deputatum fuit in nova civitate. Hæc & alia ſimilia naturalia media adhibita ſunt ad præveniendam contagionem. Anno 1571.

Jacobus Gheerinus medicus.

JACOBUS GHEERIS ſeu GHEERINUS Reipublicæ Antverpienſis medicus eà occaſione hoc anno iterum correctum & auctum vulgavit, & dedicavit Senatui Antverpienſi, libellum ſuum vernaculè *de præſervatione & curatione Peſtis* , quem anno 1566. conſcripſerat & vulgaverat juxta experientias à ſe ſumptas , dum anno 1555. peſtis graſſabatur Gorcomii , Worcomii & Ultrajecti. Libellus iſte dein iterum reimpreſſus fuit 1597. in 8°. Antv. typis Guill. à Tongris. Vide Fop. *Bibl. Belg. pag.* 514.

Spiritualia media.

Spiritualia etiam media adhibita fuerunt , quibus placaretur Deus , qui jam tot diverſis modis peccata populi ſui viſitaverat. Summa pietas cernebatur inter cives ; continuò celebrabantur ſolemnes Miſſæ votivæ , & 5. auguſti habita fuit è Cathedrali ſolemnis proceſſio cum Venerabili. *Antw. Chron.* Inſuper hoc tempore & hac occaſione inſtituta fuit in Cathedrali Confraternitas S. Rochi patroni contrà peſtem. Confraternitas hæc dein diu ſubſtitit ; dum autem deſiit , nè pietas ergà dictum Sanctum periret , onus procurandi ordinaria dictæ confraternitatis officia in ſe ſuſcepit Confraternitas *ven. Sacramenti* in eadem eccleſia , in cujus Capella adſervantur honorificè dicti Sancti Reliquiæ.

Confraternitas S. Rochi inſtituta in Cathedrali.

Citantur fugitivi.

Iterùm 23. auguſti Antverpiæ circiter centum fugitivi & hæretici publicè citati ſunt ad juſtificationem ; & ni ſtatuto tempore comparerent ,

Anno 1571. declarati exules in perpetuum è dominio Regis ſub pœna vitæ & bonorum. *Antw. Chron.*

Victoria relata de Turcis. Pius PP. V., Philippus Hiſpaniarum Rex, Veneti & Italiæ Principes ſacrum fœdus contrà Turcam chriſtianos infeſtantem inierant, copiiſque navium, triremium & militum ſimul junctis præfecerant *Joannem Auſtriacum*, cujus ætatem adhuc minorem gubernabat *Ludovicus Requeſenius*, qui poſteà Gubernator Belgarum factus in belgio obiit. Hi 6. octobris ad Corcyram Inſulam inſignem Victoriam de Turcis reportârunt, deſtructâ eorum claſſe trecentarum triremium naviumque.

Celebratur Antverpiæ. Victoria hæc Antverpiæ celebrata fuit die dominicâ 18. novembris. Epiſcopus Sonnius manè concionem habuit ad populum, denuntians dictam victoriam & exponens quantam Turcarum clades Chriſtianis ſecuritatem conferret, adhortans populum quatenùs Deo debitas deſuper grates referret. Id & alii Paſtores è cathedris ſuis eodem die fecerunt. Poſt concionem Epiſcopus in Choro ſolemnem Miſſam celebravit, & poſt miſſam habita fuit generalis proceſſio comitantibus omnibus tum cleri tum populi ordinibus, faces ardentes manu geſtantibus. Venerabile geſtabat Epiſcopus aſſiſtente ſibi Abbate S. Michaëlis. Veſperi viſæ ſunt turres Cathedralis & S. Jacobi illuminatæ lucernis & per totam civitatem feſtivi ignes: Nationes multa pauperibus diſtribuenda contulerunt. Poſtridiè in Choro celebrata fuit Miſſa pro chriſtianis principibus & militibus, qui in prælio occubuerant, præſentibus Gubernatore & Senatu, ac veſperi perſeverârunt feſtivi ignes. *Antw. Chron.*

Dubium num nati ex Chriſtianis non baptizati ſubjiciantur Eccleſiæ. Conſultaverat Pontificem Albanus, num nati in Belgio, quorum non tantùm parentes ſed & alii anteceſſores chriſtiani fuerant, ſubjicerentur correctio-

correctioni & punitioni judicum eccleſiaſtico- Anno
rum, licèt baptizari non eſſent. Reſpondit 1571.
ad hoc dubium PIUS PP. V. 17. novembris
hoc an. 1571. per Breve ad Albanum miſſum; Reſolvit Pontifex.
in hæc verba: „ Reſpondemus eoſdem non
„ modò poſſe ſed omninò debere, à venerabili-
„ bus fratribus noſtris Epiſcopis & Inquiſitori-
„ bus cæteriſque locorum Ordinariis, in car-
„ ceres conjici ac pro exceſſuum gravitate ſe-
„ cundùm canonicas leges & ſacras conſtitutio-
„ nes damnari & puniri, prout damnantur &
„ puniuntur hæretici: & ubi in eorum malitia
„ ſeu impœnitentia perſiſtunt, etiam uti hæ-
„ reticos Curiæ ſeculari dimitti & relaxari. Cer-
„ tum enim est ac volumus, natos & edu-
„ catos in patria Chriſtianorum, & ex paren-
„ tibus chriſtianis habitis, quicquid de ſuo bap-
„ tiſmo aſſerant, eſſe Eccleſiæ ſubditos;
„ ſicque ab omnibus Judicibus & Com-
„ miſſariis judicari & definiri debere."

Declarationem hanc Pontifex non tantùm
tranſmiſit ad Albanum, ſed & ad omnes in
Belgio Epiſcopos, Inquiſitores & alios Ordi-
narios, mandans, ut eam ſic exequi curent.
Dipl. Belg. Tom. III. P. II. cap. 244.

Hoc anno menſe junii obiit *Joannes Godſcal-
cus* Antverpienſis; qui ibidem per annos ferè 40. Joan. Godſcalcus ludimagiſter.
ludum aperuit litterarium; optimè de juventu-
te urbeque meritus, probus, bonarumque
artium ſummè præditus. Edidit *Antverpiani
Emporii Topographiam* carmine, & alia quæ
refert Fop. *Bibl. Belg. pag.* 648. ubi & re-
fertur epitaphium illi poſitum in eccleſia D.
Jacobi, in qua conditus eſt; & D. Paquot
mem. litt. XII. pag. 99.

Obiit etiam hoc anno *Joannes Garetius* Ca-
nonicus regularis ad S. Martini Lovanii, qui, Joannes Garetius Can. regul.
licèt Lovanienſis, Antverpiæ tamen & juxtà

 diu

Anno 1571.

diu ſedit. Anno enim 1566., ut ſuprà vidimus, tom. IV. p. 352. cum *Joan. Porthaiſe* minorita gallo ibidem publicam non ſine fructu diſputationem habuit cum miniſtris germanis, & præfectus fuit Monialium in *Mishagen* vico ſub *Ekeren*, donec rebus inibi turbatis deceſſerit Gandavum ad ejuſdem inſtituti moniales. Plura prelo dedit, quæ refert Foppens *Bibl. belg.* pag. 645.

Jeſuitis interdicitur uſus Capellæ domeſticæ.

Jeſuitæ domum, quam conduxerant, inhabitabant numero quatuordecim, quibus, menſe ſeptembris anni præcedentis, diſcedente in Hiſpaniam P. à *Coſta*, aliquo tempore præfuerat tamquam Superior P. *Clayſſonius*: & huic ſuffectus eſt P. *Petrus Trigoſus*. In dicta autem domo aptaverant Capellam, eam aperuerant & concurſum pœnitentium militum habebant. Papebrochius *Annal. Mss.* ex *hiſtoria domeſtica* ſubjuncta refert: Ad initium, inquit, regiminis P. *Trigoſi* inhibebat Reverendiſſimus, ne domi ſuæ celebrarent miſſam Patres in altari portatili; fecitque id Epiſcopus animo tam obfirmato, ut à ſententia neque amicorum precibus neque ullis rationibus abduci potuerit. Auctor dictæ hiſtoriæ adſcribit inhibitionem iſtam invidis, qui incitaſſent Albanum ad eam ab Epiſcopo petendam. Verùm ſi Capella iſta aptata & aperta fuiſſet cum prærequiſito conſenſu, certè interdicta non fuiſſet. Ad erigendam aperiendamque Capellam, & ad in ea agendum vel minimum, quod ſpectabat ad juriſdictionem eccleſiaſticam, non tantùm requirebatur conſenſus Epiſcopi ſed etiam Capituli, quod in tota civitate & ſuburbio habebat juriſdictionem paſtoralem & Archidiaconalem: & eum conſenſum prærequiſiverat etiam Rex in admiſſione Jeſuitarum in Belgium; imò ipſi Jeſuitæ ſub ea conditione dictam admiſſionem

nem petierant, ut ſuprà ad annum 1556. tom. IV. p. 159. vidimus. Jam autem de petito aut obtento tali conſenſu nullam facit mentionem Auctor dictæ hiſtoriæ, nec aliunde de eo conſtat. Anno 1571.

Poſt interdictam Capellam Jeſuitæ in parochialibus eccleſiis peragebant Divina, nunc in una nunc in alia, quod indicat prædictus Auctor dicens: Accidebat frequenter, ut Parochi, in quorum Parochiis ſua Patres obibant munia, mutarentur; cumque eorum plurimi minùs rectè afficerentur Societati, fiebat ut identidem mutandus eſſet noſtris miniſteriis locus.

Divina peragunt in variis Parochiis

Cæterùm non diu poſt hæc accidit, quod idem Auctor narrat Patres paſſos circà domum, quam inhabitabant. Cum, inquit, D. *Ferdinandus Frias* Societatem præcipuâ benevolentiâ proſequens & liberalitate ſuſtentans id ſollicitè ageret, ut Patres perpetuò Antverpiæ poſſent ſtabiliri; contranitebantur, quantum poterant, æmuli, eòque profecerant Ducis Albani (ut ferebatur) operâ, ut locus, quem ex parte inhabitant ſocii, architypographiæ & bibliothecæ Regiæ applicaretur; hujuſque applicationis inſtrumentum publicum Regio nomine jam confectum erat, non ſine magno eorum ſenſu, qui pridem oculos illuc conjecerant in locum inſtituendo Collegio maximè idoneum. Sed nunc æmulorum conatum Deus vertit in melius; nam licet *Chriſtophorus Plantinus* nullâ ratione induci potuerit, ut munus hoc à Rege oblatum ſuſciperet cum incommodo Patrum; fuerunt tamen animi mercatorum Collegii appetentium ad alium locum inquirendum traducti. Ita Auctor *ibidem*. 1572.

Coguntur deſerere domum, quam inhabitabant

Licèt autem non ſciatur, num Architypographia Regia erecta ſit in dicto loco, certum

Habitant in Ba kcley.

Anno 1572. interim eſt; Patres domum iſtam dereliquiſſet; imò Auctor *Prim. Secul. Lib. VI. cap. 2.* dicit, eos per Albanum coactos fuiſſe eam deſerere, & quærere aliam minùs oportunam. Auctor *hiſtoriæ domeſticæ* refert, eos dein anguſtè habitaſſe in loco *de Ba keley*: & dum ibidem habitabant ad functiones ſuas uſos fuiſſe eccleſiâ Carmelitarum. Papebrochius putat viam *de Ba keley*, à porcis dictam, ſitam fuiſſe ad mœnia, objectam muris à Coriariorum turri verſùs kipdorpiam tendentibus: ubi, inquit, habitantes Jeſuitæ ſatis propinqui erant Carmelitanæ Eccleſiæ, ad quam tunc temporis, quo ſolus Chorus perfectus ſtabat, accedebant per Wapperam, contrariâ quàm nunc viâ.

Divina peragunt apud Carmelitas.

Theodorus Tilmannus Rector ſcholarum.

Cæterùm inter adverſitates, quas Societas ſuſtinuit in ſollicitanda erectione Collegii in hac civitate, hanc refert Auctor *Hiſt. domeſt. apud. Papeb.* Denique, inquit, Antverpiam venit novum Patrum profectui impedimentum; obtulit quidam *Theodorus Tilmannus* ex noſtro Viennenſi collegio profugus; qui, cum Reginæ in Hiſpaniam proficiſcenti ſe quaſi Jeſuita inſinuaſſet, eâ quâ pollebat affabilitate ab ipſaque impetraſſet pecuniam pro ſuſcipiendo Lovanii Doctoratu, & hunc aſtu quodam *ſub Camino* (ut dicitur) impetraſſet; factus hiſpanorum quorumdam adoleſcentum pædagogus, viſus eſt æmulis Societatis idoneus, tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus, qui ad Epiſcopale Seminarium promoveretur, effecturus ſcilicèt, juventutem ſeminario adſcriptam docendo, ut Patrum opera minùs neceſſaria videretur. Hâc ſpe conduxit è regione Seminarii magnificas ædes, & edidit ſpecioſum librorum à ſe explicandorum catalogum. Incedebat autem magno cum faſtu Feſtis præſertim diebus, holoſericam togam talarem indutus, cùm tribus

famulis

famulis & quinque præceptoribus, quorum ſe Rectorem dicebat. Sed contracto brevì alieno ære fecit, ut Epiſcopus, Capitulum & Senatus, quorum auctoritate fulciebatur, citò agnoverint ſe deceptos; maximè cum etiam concubinarius eſſet, ut graviora ejus ſcelera in Seminarium inducta taceantur. Tenuit tamen ad biennium perſonam aſſumptam, & modò ad Paſtoratum, modò ad Canonicatum aſpirans, ac denique etiam medicum affingens, non deſinebat Societatem ejuſque Inſtitutum traducere, quædam ſibi nota perperàm interpretando & multa peſſimè comminiſcendo. Anno 1572.

Idem Auctor de eodem ad annum 1575, poſt apertas Jeſuitarum ſcholas hæc refert: Captant inter ſe Conſilia *Theodorus Tilmannus* & Religioſi duo, primæ celebritatis concionatores, quorum & ordinis nominibus parco: conveniunt cum altero Conſulum, agunt de penſione aſſignanda ſuper vectigali cereviſiæ, quâ publicarum ſcholarum Profeſſores ſuſtentarentur, præfecto eis *Theodoro*. Sperabant, inquit, iſti, ſe poſſe hâc viâ Jeſuitarum labefactare Gymnaſium, quod ſibi magno eſſe detrimento cenſebant. Sed nihil effectum eſt. Ità dictus Auctor.

In hac enarratione nonnulla attentionem merentur. Reflectiones. In primis dicitur, *Tilmannum* Lovanii aſtu quodam Doctoratum *ſub camino* impetrâſſe. Datur quidem Lovanii promotio, quæ vulgò dicitur *ſub camino*: & hæc in eo conſiſtit, quod, quando aliquis, qui curſum Philoſophiæ abſolvit, deſiderat promoveri, ſed non in generali promotione, quæ fit in concurſu quatuor Pædagogiorum, tunc Facultas Artium nominet examinatores, qui candidatum examinent & idoneum repertum promo-

Anno 1572. veant ad gradum Licentiæ in Artibus. Et hæc promotio Lovanii vulgò dicitur *ſub camino*. Promotio autem ad alios gradus in Artibus, aut ad gradus in aliis Facultatibus numquam facta dicitur *ſub camino*. Interim de *Tilmanno* non fit mentio in Faſtis academicis.

Secundò dicitur *Tilmannus* promotus ad Rectoratum Seminarii Epiſcopalis. Non poteſt hoc intelligi de Seminario Theologorum, quia illud demum erectum ſcitur anno 1605, quando *Laurentius Beyerlinck* in eo conſtitutus eſt primus Præſes: adeoque intelligi debet de ſeminario, in quo docebantur humaniora; ſed de talibus ſcholis, dictis *Seminarium Epiſcopale*, nihil uſquam legitur. Fortè *Tilmannus* præfectus fuit alicui ex ſcholis Parochialibus: præpoſiti enim in illis dicebantur Rectores & ſub ſe habebant Præceptores ſeu Submonitores, ut ſuprà vidimus; qui in illis docebant literas latinas & græcas, quas extrà eas docere inhibitum erat Edicto publico. Fortè etiam cum *Tilmanno* in hâc lege diſpenſatum fuit, ut potuerit extrà dictas ſcholas linguas iſtas docere & novum Seminarium ſeu Collegium erigere.

Cæterùm non video, quomodò promotio *Tilmanni* potuerit impedimentum eſſe profectui Patrum; cum prædictus Auctor. *Hiſt. domeſt.* dicat, quod Patres poſt obtentum in hâc civitate Collegium ægrè inducti ſint ad aperiendas ſcholas, licèt anteà promiſiſſent. Apparenter impedimentum afferebat ex eo, quod Societatem traduceret, ſibi notà peſſimè interpretando.

Jeſuitæ quærunt domum pro Collegio

Dum hæc aguntur, inquit Auctor *Hiſt. domeſticæ* invaluit rumor, Albanum Ducem ex Belgio in Hiſpaniam revocandum. Quare D. *Ferdi-*

Ferdinandus Frias ei conatur perſuadere, permittendum Patribus, priuſquam abiret, ſtabile in civitate domicilium. Eum verò jam minùs contrarium expertus, ſtatim obtulit quatuor ducatorum millia ad locum emendum, & alii quidam cives duo adjunxerunt. Quare fautotores aliqui omnem dederunt diligentiam in loco apto quærendo, qui toto hoc anno inveniri non potuit. Anno 1572.

Anno hoc 1572. Rex, quòd ei natus eſſet filius hæres Regni & ob alias rationes, generalem condonationem, anno 1570. menſe julio hìc ſolemniter promulgatam, tam pro captivis quam fugitivis, qui in præcedentibus turbis deliquerant, prorogavit ad tres menſes à die publicationis Litterarum deſuper datarum Matriti 22. febr. hujus anni. Referuntur hæ litteræ apud *P. Bor. fol.* 132. Generalis condonatio prorogatur.

Sed interim urgebat Albanus ſuam decimam & vigeſimam, licèt cum quibuſdam in ſpeciem ſplendidis moderationibus ſignatis 24. & 26. febr., unde iterùm totum Belgium commotum. Nulla civitas exactionem prima exequi audebat, metuens popularem tumultum & cædes. Notat Auctor. *Antw. Chron. pag.* 238. quod Commiſſarii Antverpiæ cœperint 2. martii colligere decimam, ſed non notat quo ſucceſſu. Albanus Bruxellis, ubi præſens erat, rem tentandam cenſet: ſed commoti Bruxellenſes tabernas & officinas ſuas claudunt; unde mox turbæ ingentes oriuntur. Hinc Albanus violentiùs ſtatuit agere, & præcipuos cives hâc ratione ſibi obſiſtentes in ædium januis ſuſpendere. Jam lictor cum 17. laqueis & ſcalis præſto erat, in armis miles & ſententia prolata, dum allatum nuntium de captâ 1. aprilis à Geuſiis Brilâ conſilium cruentum impedivit. Exigitur nummus X. & XX.

Orangia-

Anno 1572.

Orangius bellum reſumit.

Orangiani, qui poſt cladem ſuam lentè vires undique collegerant, captantes occaſionem turbati & ob rigoroſam exactionem exacerbati Belgii, bellum hoc tempore reſumpſerunt, quod multis annis duravit & Belgium penè abſumpſit. Et quidem primùm Geuſii aquatici, qui hactenùs refugium habuerant in Angliæ portubus, interdicto agente Albano apud Reginam refugio, mari ſe committunt verſùs Hollandiam, & in Moſam acti contrà Brilam claſſem applicant eamque ſuperant kal. Aprilis; Vliſſingâ pelluntur Hiſpani & advocantur Orangiani, quibus civitas traditur, ſicut & dein Enchuſa & alia loca plurima. Interim Ludovicus Orangii frater cum armatis ex Gallia accurrens 24. may Montes Hannoniæ intercipit & Valençenas ſuperat. Cum autem plurimæ civitates in Hollandia ſe Orangianis dediſſent, Orangium ipſum menſe Julio Status recognoſcunt Gubernatorem Hollandiæ & Zelandiæ, Friſiæ orientalis & Ultrajecti, eique pecunias offerunt & tradunt ad perficiendum cœptum contra Albanum bellum. Orangius itaque cum exercitu collecto in Germania accedit & Ruremundam occupat 4. auguſti, in qua crudeli militum ſevitiâ plurimi ſunt trucidati, etiam in loco ſacro, inter quos Prior & œconomus Carthuſianorum & alii ſacerdotes. Inde in Brabantiam Lovanium verſùs copias ducit, ubi cum cives & litterarum candidati plateas aliquàmdiu defendiſſent, oblatis triginta duobus florenorum millibus & commeatu vim redemerunt: Mechliniam intercipit; Teneramunda, Aldenarda, Dieſta, Tillemontium &c. capiuntur: ita ut totum Belgium hoc tempore bello agitaretur, Albano viciſcim agente ad recipienda loca ablata.

Interim

Interim toto hoc anno ſalva manſit Antverpia & fidelis Regi : non tamen ſine anxietate fuit. Menſe Majo timebatur proditio ex parte depravatorum, qui ſtatuerant tempore feſtivitatis civitatem ſuperare. Inde 26. menſis adducta ſunt ex Bergis ad Zomam quindecim ſigna hiſpanorum, & prædicta eorum adventûs cauſa publicata fuit. Inhibitum, nè quis poſt nonam veſpertinam armatus aut ſine lumine incederet per plateas ſub pœnâ centum florenorum ſingulis vicibus & jejunandi in pane & aquâ. Die 28. menſis in quatuor temporibus portæ ad ſchaldim clauſæ manſerunt, & forum equorum habitum fuit extrà civitatem in Dambrugge ; & alia ſimilia media adhibita ſunt, nè in civitate haberetur congregatio exterorum, idque ad præveniendam proditionem, quæ timebatur. *Antw. Chron. pag.* 224. Anno 1572. Antverpia ſibi timet.

Sicut autem Antverpia fidelis manſit Regi, ſic & perſeveravit Senatus fideliter executioni mandare ejus Edicta : nam 12. martii ante Curiam quidam Joannes de Moe, faber lignarius combuſtus eſt, quia deliquerat contrà edicta régia Religionem concernentia. Propter eandem rationem tres nati Montibus, qui Antverpiæ domicilium habuerant, Bruxellis combuſti ſunt 9. julij. *Antw. Chron.* Turbulenti ſectarii puniti.

Reclamabant interim continuò Sectarii, & plebem omni modo concitare conabantur. Inter alia occaſionem captabant hoc anno ex ſubitanea morte *Franciſci Donckers* Canonici, Scholaſtici ac Sigilliferi Epiſcopatûs, quæ acciderat 4. februarii. Obierat non confeſſus nec adminiſtratus. Hinc malevoli ſpergebant inter plebéos, eum ſepeliri debere ſub patibulo : idque ideo, quòd ipſe, prout vî officii Sigilliferi tenebatur, urſiſſet Edictum, quo ſtatutum Franc. Donckers Can. moritur.

Anno 1572. tum erat, quod morientes non adminiſtrati, qui in fine vitæ Sacramenta contempſerant, ſepelirentur in loco juſtitiæ; ſicut & ſubitaneè mortui, niſi parentes docerent eum ultimum Paſcha celebraſſe. Antw. Chron. *pag.* 237.

Martyres Gorcomienſes. Quantùm ad Martyres Gorcomienſes hoc anno crudeliter necatos ſic ſcribit Haræus pag. 128. Vigeſimâ ſextâ junii arte eorum, qui Orangio favebant, geuſii pauci intromiſſi ſunt in urbem, qui dein biduo poſt, arcem cum iis, qui eò confugerant eccleſiaſticis & aliis vî ad deditionem compulerunt, incolumitate omnibus promiſſâ ſed nequaquam ſervatâ: uti prolixè docet Guilielmus Eſtius Gorcomianus ab oculatis & auritis teſtibus omnia depromens in Libro de immani crudelitate in viginti & unum (l. novemdecim) Martyres, majori parte Gorcomienſes eo tempore à 27. junii uſq: 6. julii in eadem arce exercitâ, ac deinceps à 7. julii uſque ad noctis medium poſt octavam ejuſdem Brilæ conſummatâ, quando intempeſta nocte ſine ulla judicii forma, jubente Lumejo, dicti martyres (quibus in arce Gorcomiana cum cæteris fuerat jurata vita ſalva) extrà opidum Brilenſe in horreo, ubi pridem Ruggenſe Regularium monaſterium fuerat, crudeliter ex trabibus duabus ſuſpenſi ſunt. P. Bor. famoſus heterodoxus hiſtoricus hæc referens *Tom. I. fol.* 266. fatetur dictam immanitatem peractam fuiſſe abhorreſcentibus bonis civibus.

Strada Lib. 7. de barbara Geuſiorum immanitate hic & alibi peracta agens hanc addit reflectionem: *Quamquàm*, inquit, *alicubi regii milites, ſi Sacrorum injuriam excipias, inclementer & ipſi victoriis poſtmodum uſi ſunt; quia tamen id à geuſiis ad Brilam eſt cœptum,*

hiſpano-

hiſpanorum ferocia quaſi ab exemplo veniam mereri aliquam videri potuit. Ita Strada. Anno 1572.

Gorcomienſes hos martyres colit Eccleſia Antverpienſes per totam diœceſim ſub ritu duplici, quotannis 9. julii ab anno 1714., concedente Pontifice ad preces *Petri Joſephi* Epiſcopi Antverpienſis. Colit Antverpia.

Albanus, inquit Strada *pag.* 401., quidquid erat in *Flandria* Brabantiaque ab Orangio captum, majori celeritate quàm clementiâ recuperat: opidorum aliis pecuniâ mulctatis, aliis populabundo militi permiſſis. Sortem horum tulit Mechlinia, recepta 2. octobris: per triduum enim à regiis militibus direpta fuit, & ſpolia viliſſimo, ut fieri aſſolet, pretio vendenda Antverpiam allata ſunt. Celebrat hic Strada pietatem mercatorum Antverpienſium, qui ſpolia iſta à militibus redemerunt, eodem pretio dominis reſtituenda, & quorum domini non comparerent diſtribuenda in egentes; inſuper iidem mercatores collato ære magnam alimentorum copiam compararunt, & navi Mechliniam egentibus tranſmiſerunt. Pietas Antverpienſium ergà ſpoliatos Mechlinienſes.

Circà hoc tempus Bogardi noſtri gratum nuntium Româ obtinuerunt. Vidimus ſuprà *pag.* 109. eos à tribus annis cum reliquis fratribus tertii ordinis S. Franciſci vî Bullæ PII. PP. V. ſubjectos fuiſſe Provinciali & Generali FF. Minorum de obſervantia, eoſque tamen, licet vi adacti fuerint, ſeſe in jure huic ſubjectioni oppoſuiſſe & rem Romam detuliſſe, contendentes rationes allegatas in pontificia bulla locum non habere in Provincia belgica. Sed interim, donec vixit PIUS V. nihil Romæ obtinuerunt. Cum autem aſſumptus eſſet GREGORIUS PP. XIII., iterùm expoſuerunt firmam apud omnes de exacta in monaſteriis ſuis diſciplina perſuaſionem, & in majorem rei fidem petiverunt Bogardi liberantur à ſubjectione ſub Minoritis.

Anno 1572. runt noſtri ab Epiſcopo SONNIO, à Capitulo cathedrali & à Senatu Antverpienſi deſuper teſtimonia, quæ obtenta exhibitioni ſuæ adjunxerunt, cum teſtimoniis, quæ alia hujus provinciæ monaſteria ſimiliter ſibi obtinuerant. GREGORIUS itaque his motus, circà finem hujus anni 1572. revocavit, quæ deſuper ſtatuerat PIUS V., & Bogardos noſtros liberos declaravit à dictâ ſubjectione: ſuntque uſque in hodiernum diem ſui juris cum reliquis ejus Provinciæ fratribus, perſeverantes in laudabili obſervantia. Moens *Priv.* 3. *Ord. S. Franc. pag.* 111.

Papebrochius *Annal. Mss.* putat Bogardos noſtros, ad obtinendam à Pontifice hanc libertatem, ſeſe hoc tempore ſubjeciſſe Capitulo Zeppirenſi: verùm ſuprà ad an. 1472. vidimus eos illo anno Capitulo iſti ſe ſubjeciſſe, & ſubjectionem iſtam tunc à SIXTO PP. IV. fuiſſe confirmatam cum communicatione omnium privilegiorum.

Collegium Præmonſtratenſe Lovanii. Plures Abbates ordinis Præmonſtratenſis, conſiderantes neceſſarium his turbulentis temporibus, ut Religioſi ſanis imbuerentur principiis, convenerunt & ſimul hoc anno Lovanii erexerunt Collegium Theologicum, quò ſinguli ſuos mitterent in Theologia inſtituendos. *Chor. Abb. Parc. cap.* 16. *Faſti acad. pag.* 31. In eo Collegio partem habet Abbas S. Michaëlis, qui hactenus ſuos eò mittit: & illud memorabile eſt, inquit *Valerius Andr.*, ex ſolo Conventu Antverpienſi Lovanii anno 1645. promotos fuiſſe ad gradum Licentiæ uno eodemque die, quinque, numero.

Joan. Goropius Becanus moritur. Hoc anno obiit famoſus JOANNES GOROPIUS vernaculè *van Gorp*, qui licèt Hilvarenbecæ in Brabantia natus, Antverpienſibus

tamen

tamen accenſendus venit, eo quod apud eos per plures annos medicinam tractaverit & Antverpiam ſcriptis illuſtaverit. Natus 1518. in Philoſophia Lovanii anno 1539. inter multos eminuit promotus inter magiſtros artium tertius. Divinarum atque humanarum rerum, bonarumque artium, ac linguarum Latinæ, Græcæ atque Hebraicæ peritiſſimus fuit; exactiſſimam dein Medicinæ ac Matheſios ſcientiam aſſecutus Italiam, Hiſpaniam & Galliam peragravit, dein annis multis Antverpiæ ſedit. Scripſit *Origines Antverpianas* quas *Becceſelana* inſcripſit typis plantinianis 1569. fol., quibus & alia acceſſerunt à morte Auctoris edita iiſdem typis 1580. fol. Vide *Bibl. belg. pag.* 649. Obiit autem Trajecti ad Moſam hoc anno 18. junii, ſepultus apud Minoritas marmoreo tumulo procurante *Levino Torrentio* dein Epiſc. Antverp. & *Gaſpare Surcio*, inſcriptionis quoque auctoribus, quam vide *ibidem*. Anno 1572.

Totum annum 1573. occupat bellum inter Orangianos & Regios in Hollandia & Zelandia geſtum. Utrimque ſtrenuè actum & non ſine crudelitate. Hanc expertus eſt inter alios Antverpienſis unus CORNELIUS POLDERMANS religioſus ciſtercienſis ad *S. Salvatoris* in hac civitate, ſed inde aſſumptus in Priorem monaſterii *Aulæ B. Mariæ* in Zierixzea. Is enim ibidem à Geuſiis 14. feb. immaniter occiſus eſt. De eo legitur in manuſcripto authentico cœnobii S. Salvatoris. „Die S. Valentini, quæ eſt „14. februarii obiit in monaſterio in Zirixzea „Venerabilis Pater D. *Cornelius Poldermans* Rec„tor ſeu Prior ejuſdem monaſterii & quondam „Cellarius hujus Cœnobii, qui ab infidelibus ob „Chriſti fidem immaniter occiſus, martyrii coronâ „redimitus, migravit ad cœlum anno 1572." ſtylo

1573. Cornelius Poldermans à Geuſiis trucidatus.

Anno 1573.

ſtylo Brabantiæ, id eſt ſtylo hodierno 1573. Ita Auctor *Chor. S. Salvat. apud Sanderum Cap. 9.*

Geuſii capiunt Antv. 7. naves juxtà civitatem

Interim Antverpia toto hoc anno ſtetit fidelis Regi & bellum non ſenſit; niſi quod illic claſſes paratæ ſint ad ſubveniendum civitatibus Zelandiæ, quæ adhuc fideles erant Regi; & ad recuperandas eas, quæ à geuſiis captæ erant. Et quod geuſiorum naves ex Zelandia advenientes 13. januarii mediâ nocte ceperint è ripa *het Bierhooft* ſeptem naves, eaſque ſine obſtaculo in Zelandiam abduxerint.

Sonnius Epiſ benedicit Claſſi.

Cum autem prædictæ naves paratæ eſſent, proceſſit 16. aprilis poſt meridiem Epiſcopus *Sonnius* ſolemniter cum Canonicis & Senatu in novam civitatem ad portam aquaticam propè *Timmer-zaet*, ibidem navibus & militibus benedictionem impertitus eſt, deprecans, quatenùs proſperum expeditionis ſucceſſum concederet Deus. Antw. Chron. *pag.* 149.

Jeſuitæ emunt domũ Aquenſem alieno nomine.

Cum Jeſuitæ jam dudum domum ſibi opportunam quæſiiſſent, tandem una venalis inventa eſt. De ea ſic Auctor. *Hiſt. domeſt. apud Papeb.* Erat ea domus in media civitate facilè primaria, ante annos 40. ex fundamentis ædificata à potenti mercatore *Eraſmo Schetz*, eo loco ubi Aquiſgranenſes ſuarum mercium ſtapulam aliquando habuerant, unde uſque modò nomen manet *Domus Aquenſis*. Significatum eſt Domino *Frias* aliiſque amicis, qualis oportunitas offerretur; qui adeò rem approbârunt, ut cæteros in quærenda domo laborantes quieſcere juberent. Ratio pecuniæ inveniendi priùs inita fuit, quàm emptio inſtitueretur: tametſi de extremo pretio conſtaret, quod erat 17000. coronatorum, quorum

quorum ſex millia in promptu habebantur, & Dominus regiæ pecuniæ diſtributor (*Pagodorem* vulgò nuncupant) mille coronatos pollicebatur; alii centum, ducentos, trecentos, quingentos offerebant: adeò ut computus abiret ad 11000. ducatorum, qui præciſè conficiebant capitalem ſummam, ob quam erat domus oppignorata. Alia ſex millia, quibus inſuper gravabatur, ſic erant conſtituta; ut annuum cenſum conficerent quadringentorum ducatorum. Quare D. *de Frias* clam convenit cum domino domûs D. *Gaſpare Schetz* Toparchâ de Grobbendonck. Ipſe autem, ut intellexit, domum ſuam pro eis quæri, adeò ad ipſis eam vendendam animatum ſe oſtendit, ut & particeps eſſe vellet fructuum ſpiritualium condonando de pretio quingentos ducatos. Manſit tamen ſecretum aliquantiſper negotium; verebantur enim Patres, nê Senatus ſe difficilem præberet in eximenda tali domo ab humano commercio & amortizationi aſſentiendum. Denique placuit emptionem confici alieno nomine, ſub quo D. Frias cum D. Grobbendonkio pactus eſt pro ſeptemdecim millibus; & codicilli confecti ſunt. Ut autem conſenſus Senatorum obtineretur, civitatis Gubernator rem tentans reſponſum à Senatu accepit, nullam eſſe in urbe ſua domum tam ſplendidam, etſi aurea eſſet, quam non ſtatueret ſe ſocietati debere: atque adeò ſi nullæ ædes amplæ ſatis & commodæ invenirentur, voluntatem ſibi non deeſſe ad eas comparandas, ſi facultas non deeſſet civitati nimio ære alieno gravatæ. Porrò viſum eſt negotium celare, quoad Dux abiiſſet: abiit autem pridiè kal. Decembris. Ita Auctor *Hiſt. domeſt.*

Anno 1573.

Cum bellum turbaret totum belgium, reſpirabant ſectarii, etiam Anabaptiſtæ, licèt per ſe

Anabaptiſtæ capti & puniti.

Anno 1573. ſe morti adjudicati. Hi præ cæteris audaciores reſumpſerunt conventicula ſua. Unum detectum eſt in hac civitate 14. Janu. centum circiter perſonarum, virorum & mulierum, famulorum & filiarum, qui convenerant ad prædicationem. Conventiculum habebatur in loco *den Oever*, propè domum *Joan. de Cordes*, in domo quadam interiori, quæ non reſpiciebat plateam. Acceſſit Marckgravius cum officiariis ſuis & captivos duxit triginta quinque. Si autem paulò tardaſſet & plures officiarios habuiſſet, plures & fortè omnes apprehendiſſet. Sed cum in ſuperiori loco, in quo conventiculum habebatur, audiretur Marckgravium inferiùs adeſſe, Prædicutius & reliqui per feneſtras fugerunt & evaſerunt. Triginta quinque capti ad carcerem ducti ſunt, & in decurſu hujus anni, duodecim diſtinctis diebus, ferè omnes in foro combuſti ſunt, aut aliàs juxtà Edicta regia necati. *Antw. Chron.*

Ordines Belgii ſollicitantur contrà Regem.

Status Hollandiæ menſe ſeptembri cœperunt requirere Status reliquarum Provinciarum, quatenùs junctis viribus bellum ſimul gererent contrà Albanum, deſuperque epiſtolam ad eos ſcripſerunt Delfis 12. ſeptembris hujus anni 1573., quæ eodem tempore prelo vulgata fuit & refertur apud P. Bor. *Lib. VI. pag.* 338. In ea rationem aſſumpti belli refundunt in crudelitatem & exactionem Albani, non in Regem, cujus veneratio & auctoritas apud ipſos adhuc in verbis ſubſiſtebat: ſed revocato poſt pauca Albano, & in ejus locum ſubſtituto alio Gubernatore, perſeverârunt ut ante contrà regios bella gerere. Interim hæc ſollicitatio hactenùs effectum non habuit.

Requeſenius Gubernator Belgii.

LUDOVICUS REQUESENIUS, qui Albano à Rege in regimine Belgii ſucceſſor datus fuerat,

tat, 17. novembris Bruxellas venit, & honorificè ibidem eſt receptus. Vigeſimâ nonâ menſis, oſtenſo Statuum Concilio diplomate Regio, Gubernator dicto ſacramento admittitur: ac ALBANUS depoſitâ in ejus humeros poteſtate, ſacramento liberatur, & 2. decembris in Hiſpaniam abit.

Anno 1573.

Albanus diſcedit.

Vi Bullæ erectionis Epiſcopatûs Archidiaconatus in Eccleſia Antverpienſi inſtitui debebat, ſed non niſi poſt ceſſum aut deceſſum Archidiaconi Antverpienſis tunc exiſtentis in Eccleſia Cameracenſi. Hoc autem tempore obierat D. *Balduinus Wolſaert*, qui dictum Archidiaconatum in Eccleſia Cameracenſi poſſederat. Hinc Epiſcopus SONNIUS, ſtatutum dictæ Bullæ ad effectum ducere volens, primum ad Archidiaconatum Antverpienſem nominavit *Jacobum de Campo* aliàs *van den Velde* nepotem ſuum J. C. L., eique deſuper Litteras expediri curavit. Is cum dictis litteris comparuit in Capitulo die 11. decembris hujus anni 1573. & petivit in vim nominationis ſuæ admitti in Capitulo tamquam Archidiaconus Antverpienſis. Verùm Capitulum eum non ſtatim admiſit; ſed reſpondit ſe deſuper deliberaturum.

Epiſc. nominat primùm Archidiaconum.

Poſt maturam autem deliberationem exhibuit Capitulum Epiſcopo, ſibi ab antiquo competere jus Archidiaconale in tota civitate & ſuburbiis; jus illud per Bullam erectionis Epiſcopatûs non eſſe abolitum, quin potiùs confirmatum: cum Archidiaconatus in ea inſtituatur „Ita, quòd Archidiaconus Antverpienſis... „juriſdictionem per univerſam diœceſim præfatam *adinſtar aliorum*, qui nunc ſunt in „ulla parte ejuſdem Diœceſis Antverpienſis, „omninò habere, eamque perpetuò exercere „debeat." Contendebat Capitulum Pontificem

Qui non admittitur in Capitulo.

 per

Anno 1573. per illa verba ſuppoſuiſſe in diœceſi Antverpienſi alios Archidiaconatus ſubſiſtere, quos non tantùm non volebat annullare, ſed perſeverare; ita ut Juriſdictio inſtituendi Archidiaconatûs commenſuraretur juriſdictioni, quam habebant alii Archidiaconi in dicta diœceſi. Hinc concludebat, ſe nominatum Archidiaconum in capitulo ſuo non admiſſurum, niſi Epiſcopus declararet jus ſuum fore ſalvum. Quæſtio hæc ultrà annum agitata fuit, & tandem Epiſcopus Romam ſcripſit ad habendam interpretationem dictæ clauſulæ *Adinſtar aliorum &c.*, quam & accepit, ut infrà dicetur.

Joan. Schalk ſcribit contra Iconomachos

Cæterùm cum geuſii à tempore, quo anno præcedenti bellum reſumpſerant, ubique imagines confringerent, templa ſpoliarent, ac ecclеſiaſticos perſequerentur, quidam JOAN. SCHALCK Antverpianus, Bogardus tertii ordinis S. Franciſci, hoc anno hìc typis vulgavit *Orationem lugubrem de ſeditione Antiochena anno* 319., *ad Iconomachorum ſeditionem Belgicam accommodatam*. Fop. Bibl. Belg. *pag.* 724.

Petrus Heynſius.

Florebat hoc tempore PETRUS HEYNSIUS à Guicciardino annumeratus inter claros Antverpienſes, ubi ſcholam moderatus fuit. Commendatur ab affabilitate & rythmis quà gallicè quà belgicè componendis. Gallico Rythmo hìc exhibuit hoc anno *Vitam & Paſſionem Jeſu Chriſti*. Item *Speculum mundi* ſive *Epitomen theatri Orteliani* vernaculè. 1579. typis Plantini.

1574.

Bellum perſeverat.

Per totum annum 1574. iterùm acriter inter Regios & Orangianos actum eſt bellum in Hollandia & Zeelandia ac in quibuſdam extremitatibus Brabantiæ, non obſtante quod Albanus jam revocatus eſſet, & Requeſenius novus Belgii Gubernator condonationem generalem ſolemniter

lemniter publicaſſet : non enim hæc quærebant rebelles. Anno 1574.

Condonatio hæc generalis data erat à Rege 8. martii anno 1574. & publicata eſt ſolemniter Bruxellis 6. junii ejuſdem anni. Ab hac tamen generali condonatione in ſingulis Provinciis & civitatibus quidam excipiebantur. P. Bor *tom I. Lib. VII. fol. 27. & ſeqq.* refert diploma Regis & Bullam Pontificis ſuper hac condonatione confectis & refert nomina excluſorum in provinciis hollandicis, dicitque ſibi ignota eſſe nomina excluſorum in aliis Provinciis. Vidi ego catalogum continentem nomina excluſorum in ſingulis Provinciis & civitatibus, conſcriptum, ut apparebat, eodem ipſo tempore. Inde ſubjungo nomina excluſorum è civitate noſtra Antpienſi.

Condonatio generalis.

Excluſi à condonatione Antverpienſes.

Me Hermannus le Predicant.
Me Jaques van Weſembeke.
Anthoine de Bomberghe.
Me Charles van Bomberghe.
Me Cornille van Bomberghe.
Jehan Carlier.
Francoys Deſmares.
Jehan Deſmares.
Jehan de Werve.
Lucas Hally.
Cornille Huſelmans.
Jehan Daneels.
Me Cornille Retins.
Me Herman van der Meren.
Pierre Servaes.
Francoys Biſcop.
Pierre de ſt. Vaaſt.
Paſquier Flemingny.
Gillis van Herven.
Jehan à barbe Blanche.
Henry van Herſen.
Jehan - - - ude.

Ultimò hìc nominatum invenio Jacobum Weſembeke, quondam Penſionarium noſtrum : unde neſcimus, qualem finem habuerit infelix iſte.

Jacob. Weſenbeke, cujus finis neſcitur.

Antverpia hoc anno belli incommoda non ſenſit. Sed duæ hoc anno detectæ ſunt conjurationes directæ per Orangium, per quas con-

Conjurationes ad tradendam civitatem Orangio.

 cluſum

Anno 1574. cluſum erat civitatem tradere in poteſtatem illius ; una menſe aprilis, altera menſe decembris. Qui autem ex conjuratis capti fuerunt, pro merito ſunt puniti. De his conjurationibus latè agunt *P. Bor.*, *Haraus*, *Strada* & *Antw. Chron.*

Tumultus militum Hiſpanorum. Plurimùm inſuper paſſa eſt Antverpia ab hiſpanis militibus, qui poſt relatam ad moſæ-trajectum victoriam tumultuabantur ob non ſoluta ſtipendia. Hi, cum per plures dies portæ civitatis clauſæ fuiſſent, 25. aprilis vî ingreſſi ſunt Antverpiam per mœnia ad portam Begginarum, hoſpitium ſinguli vî adeuntes in quascumque civium domus, præferentes ſe inde non deceſſuros ante ſoluta ſibi debita ſtipendia. Ob non ſoluta ſtipendia. Die 27. dicti hiſpani tumultuantes curſitârunt cum tympanis per plateas convocantes omnes hiſpanos milites, horribiliter inclamantes *Fuera villiaco* (quæ verba dein aſſumpta fuerunt ad denotandum tumultum hujus anni) ita ut incolæ ſummâ anxietate premerentur & crederent ſe omnes ipſâ nocte trucidandos. Similiter & 28. de nocte, quandò Curiam occupârunt &, excluſis extrà civitatem capitaneis ſuis, novas inter ſe leges condiderunt. Die 29. Gubernator Antverpienſis ob inſolentias ipſorum cum Walonibus ſuis civitatem exivit. Dein indies tumultuabantur, nulli, nequidem REQUISENIO, parentes & ſemper ſolutionem urgentes.

Eligunt ſibi Gubernatorem. Die 10. may de nocte elegerunt ſibi novum Ducem ſeu Gubernatorem, quem *Electum* dixerunt. Erat is apoſtata hiſpanus, qui militiæ nomen dederat. Reſidebat in Curia, ſtipatus ſemper pluribus excubitoribus, & nihil ſine ejus conſenſu diſponebatur ſive in eccleſiaſticis ſive in civilibus. Die 11. in foro erexerunt Altare, in quo Capellanus quidam hiſpanus Miſſam celebravit, præſente, vî eo adducto

ducto, D. *Rogerio de Taxis* Capituli Decano, & Jeſuita ibidem concionem habuit; poſt quam *Electus* & novi inſtituti Capitanei ſuo modo juramentum præſtiterunt. Patibulum etiam erexerunt in foro pro illis, qui peccarent in leges à ſe conditas. Anno 1574.

Die 14. cœperunt violentiùs urgere ſolutionem, quam tandem REQUESENIUS die 16. ipſis brevî dandam promiſit. Hinc à 17. uſque ad 21. coacti ſunt cives, quiſque ſecundùm ſtatum, mutuare pecunias uſque ad ſummam quadringentorum millium florenorum, pro qua Commendator ſe obligavit, & argentea ac monilia contulit ad cudendos nummos. Similiter Epiſcopus SONNIUS ad ſubveniendum civitati in hac extremitate argentea ſua & mobilia diſtraxit, ut inter ſcedas Capituli notatum vidi.

Promittitur eis ſolutio.

Itaque 27. 28. & 29. may ſolutio hiſpanis militibus facta eſt in Abbatia S. Michaëlis, ubi in area & hortis ad hoc plures menſæ diſpoſitæ erant. Ad hoc ſpectaculum plurimi accurrunt. Adfuerunt etiam Eleëmoſynarii, Religioſi mendicantium Ordinum & omnes penè mendici, ſtipem corrogaturi à militibus, qui in magnâ tunc nummorum affluentiâ ſummè liberales ergà ſupplices fuêre. Non aderant Jeſuitæ, quibus, ob ſervitia ſibi præſtita, ſe maximè debere putabant milites. Miſſi ſunt ad eos, ut venirent & eleëmoſynas colligerent. Renuerunt Patres. Tandem milites ipſi inter ſe quoſdam ſtatuerunt, qui pro ipſis colligerent; ſed ſic ſpontè oblatas pecunias acceptare noluerunt, dicentes eas impendendas eſſe ad ſatisfaciendum hoſpitibus, quos vexaverant & læſerant. Hinc Patres plurimùm laudati ſunt, ut aſſerit *Strada* & *Papeb. Annal. Mss.*

Quæ fit in S. Michaëlis.

Anno 1574. Ultrà ſolutionem prædictam Requeſenius tumultuoſis his militibus condonare debuit omnia in hoc tumultu peracta, quod publicatum eſt 30. menſis. Tandem 2. junii deceſſerunt, cum jam ultrà menſem Incolis Antverpienſibus intolerabiles fuiſſent. Strada *pag.* 420. Antw. Chron. *pag.* 255.

Diſcedunt.

Synodus Provincialis celebrata Lovanii.

Secunda Synodus provincialis Mechlinienſis celebrata fuit hoc anno menſe may, præſidente *Martino Rithovio* Epiſcopo Iprenſi in abſentia Archiepiſcopi cum aliis Comprovincialibus, & interfuit *Franciſcus Sonnius* Epiſcopus noſter. Celebrata autem fuit Lovanii, non Mechliniæ, indubiè quia civitas iſta nuper per milites hiſpanos direpta necdum ſufficienter eſſet reſtituta. Miſſa ſolemnis celebrata fuit die 9. may in eccleſia D. Petri per dictum Epiſcopum Iprenſem: & habitæ fuerunt congregationes Epiſcoporum in Sacello collegii Sabaudici uſque ad diem 19. may. Tùm poſtridiè, qui dies erat Aſcenſionis Domini, cantata fuit Miſſa in gratiarum actionem per Epiſcopum Ruremundenſem ac dein ſecuta Proceſſio ſolemnis Cleri, quam ſex Epiſcopi & Rector ac Univerſitas Lovanienſis comitati ſunt. Acta hujus Concilii hactenùs latentia primùm luce donata fuerunt per PP. Benedictinos congregationis S. Mauri *Tom. IV. Theſauri Anecdotorum pag.* 447., ſed deſiderabantur litteræ convocatoriæ, quæ referuntur *Dipl. Belg. Tom. III. P. I. cap.* 245.

Franc. Panigerolla.

Concionatorem mercatoribus Italis in hac civitate hoc tempore agebat FRANCISCUS PANIGEROLLA Minorita Italus, facundiâ ſuâ famoſiſſimus, qui dein Epiſcopus Aſtenſis & ſcriptis clarus obiit anno 1594. *Chor. FF. Minorum* apud Sanderum *Cap.* 11. *pag.* 4.

Confrater-

Confraternitas ſub titulo SS. Petri & Pauli inſtituta refertur hoc anno in hac civitate in parochiali Eccleſia S. Georgii, primaque ſolemnia peracta ſunt in feſtivitate dictorum ſanctorum 29. junii. Tribus conſiſtit membris, quæ ſunt quaſi totidem diſtinctæ Confraternitates: prima conſiſtit inter eos, qui limina Apoſtolorum viſitârunt; ſecunda inter eos, qui aſſumpſerunt titulum zelatorum Parochiæ; tertia denique titulum fert Doctrinæ chriſtianæ. Subſiſtit hæc confraternitas uſque in hodiernum diem.

Anno 1574.

Confraternitas SS. Petri & Pauli in S. Georgii.

Epiſcopus Sonnius hoc anno conſecravit novum & magnificum Chorum Eccleſiæ parochialis S. Walburgis. Ita refert Papeb. *Annal. Mss. ad an.* 1572. ex Caukerkio.

Novus Chorus S. Walburgis.

Requesenius novus Belgii Gubernator ſub initium hujus anni Antverpiam venerat tendens Bergas ad Zomam. Tunc autem, ut refert Auctor *Hiſt. domeſt. apud. Papeb.*, dictus Gubernator rogavit Epiſcopum, ut Jeſuitis, quibus ipſe addictiſſimus erat, reſtitueret libertatem ſacra faciendi in domeſtico ſacello. Additque: mox ergò ut civitatem ingreſſus eſt Gubernator, miſit ſuum confeſſarium ad ædes Patrum, ut primus ibi audiret Miſſam.

Jeſuitæ petunt libertatem pro ſacello domeſtico.

Hinc habemus, Patres poſt interdictum in priori domo ſacellum domeſticum, dein novum ſibi in domo, quam jam auguſtè in loco de *Ba keley* inhabitabant, aptâſſe. Ceterùm dicit quiden Auctor petitam fuiſſe libertatem, & Gubernatorem miſiſſe confeſſarium, ut primus ibidem Miſſam audiret: ſed non affirmat, eum Miſſam audiviſſe, neç petitam libertatem ab Epiſcopo obtentam fuiſſe. Interim idem Auctor indicat, Patres poſt ſex menſes, quando inhabitabant domum Aquen-

ſem

Anno 1574. ſem, adhuc ſacra peregiſſe in templo Carmelitarum.

Petunt & obtinent amortizationem domûs Aquenſis.

Dubitat Papebrochius, nùm Jeſuitæ hac occaſione, dum Gubernator Antverpiæ morabatur, vel priùs vel aliquantò poſteriùs, uſi ſint benevolo reſponſo, quod diximus dediſſe Senatum in cauſa emendæ domûs, id eſt, conſenſu ejus in amortizationem domûs Aquenſis, quam jam alieno nomine emerant. Dubitat itaque, nùm tunc vel ante vel ſeriùs petierint aut obtinuerint à Gubernatore dictam amortizationem. Dubitari autem non poteſt, quin eam obtinuerint, antéquam publicarent eam pro ſe emptam, aut ſaltem antequam in eam tranſmigrarent.

In eam tranſmigrant.

Cum ſic res ſe haberet, inquit Auctor *Hiſt. Domeſt.*, profectus Bruxellas eſt Commendator, & Jeſuitæ jam notiores & gratiores populo in ædes, quas emerant, præpurgatas immigrârunt ipſo die *SS. Petri & Pauli*: priùs cum Capitulo conditiones pacti non incommodas, quià earum concipiendarum arbitrium commiſſum erat hominibus Societati benevolè affectis. Ita dictus Auctor.

De conditionibus occaſione hujus tranſmigrationis cum Capitulo pactis nullibi conſtat. Nec etiam opus erat, quia Capituli nullatenùs intereſt, quam domum inhabitent eccleſiaſtici ſive regulares ſive ſeculares, modò nihil attentent, quod ſpectat ad juriſdictionem paſtoralem aut archidiaconalem. Quod autem hâc occaſione quoad dictam juriſdictionem pacta non ſint inita, ſufficienter patebit ex infrà referendis.

iſicant iam.

Cum jam dictam domum inhabitarent Jeſuitæ, dœmon, inquit idem Auctor, per quoſdam minùs benè affectos Societati effecit apud

apud Carmelitarum Viſitatorem, nè Jeſuitis poſt hoc liceat in eorum Eccleſia concionari & confeſſiones audire, prout eatenùs fecerant. Graviter perculit ea denunciatio Patres; Patrono ſuo D. *de Frias* rem indicant: hic bono eſſe animo jubet; velle ſe, ajit, ædificare Eccleſiam eorum uſibus aptam: & mox admoveri manum operi fecit. Ita Auctor. Anno 1574.

Sine interventione Capituli.

Domum Aquenſem itaque inhabitabant Jeſuitæ; & illis in ea, ſicut in derelicta, tamquàm Superior præerat R. Pater Dñus *Petrus Trigoſius*. In ea autem domo cœperunt in autumno jacere fundamenta Sacelli, in quo divina peragerent. Verùm prælaudatus Auctor nullam facit mentionem de obtento prærequiſito conſenſu: imò ipſi Patres in libello infrà referendo, quem dein deſuper obtulerunt Capitulo, tantùm commemorant, illud inchoatum cum beneplacito Gubernatoris, nullâ factâ mentione de conſenſu Capituli aut Epiſcopi. Requiſierunt interim conſenſum Epiſcopi eumque obtinuerunt, ut patet ex litteris infrà referendis. Verùm conſtat ex aliis litteris Abbatis S. Gertrudis infrà itidem referendis, quòd Patres cœperint conſtruere dictum ſacellum neglectâ Decani & Capituli auctoritate & non requiſito eorum conſenſu.

Capitulum ſe ſe erectioni opponit.

Itaque cum Capitulum reſciſſet erectionem iſtam intrà limites juriſdictionis ſuæ ſine ſuo interventu ſeriò attentari; eidem ſeſe opponere cœpit & Patribus inſinuari curavit, qualiter hoc facto agerent contrà jura ſua. Cum autem Patres intellexiſſent hanc oppoſitionem & rationibus moti eſſent, obtulerunt Capitulo libellum ſupplicem, in quo, nullam mentionem facientes de conſenſu Epiſcopi, ſed tantùm de beneplacito Gubernatoris

Anno 1574. toris & magnorum quorumdam hominum ; ſupplicant , quatenùs Capitulum in dicta erectione ipſis favorabile ſit. Libellum iſtum ex originali ſubjungo.

Offerunt Capitulo deſuper libellum ſupplicem.

Ex Archivio Capituli.

„ JHUS. Rdi ac Venerandi Domini , D. „ DECANE & CAPITULUM Eccleſiæ cathedralis „ Antverpienſis , cum nobis à Sede apoſto„ lica conceſſa ſit facultas quævis loca & do„ mus acceptandi in ditione Regis catholici , „ eaque in uſum & miniſterium Societatis no„ ſtræ accommodare : factum eſt liberalitate „ & munificentiâ benefactorum , ut de qua„ dam domo nobis in hac urbe proſpectum „ fuerit , amplâ ſanè & commodâ , ad exer„ cendas functiones noſtræ religionis in ſolatium „ animarum oportuno loco ſitâ. In ea nunc „ Sacellum ædificamus : ſic enim viſum eſt „ Illuſtriſſimo D. Gubernatori & magnis qui„ buſdam hominibus , nos meliùs incumbere „ poſſe in ſalutem proximi , ſi intrà domeſti„ cos parietes Sacellum haberemus , in quo , „ quæ noſtri inſtituti ſunt , liberè juxtà ac li„ beraliter exerceamus.

„ Quod cum ita ſit , Rdi Domini , roga„ mus D. V. , ut noſtros in Domino conatus „ favore atque gratiâ veſtrâ proſequamini , quos „ ad commune bonum cupimus impendere ; „ eſt enim opus laudabile & favorabilie impri„ mis pluribus prodeſſe. Id autem , quò „ agitur cum pace majore omnium , eò ſolet „ habere ſolidiorem progreſſum. Dominus Je„ ſus concedat D. V. quæ maximè ſalutaria „ ſunt & ad ipſius honorem augendum maximè „ ſpectant.

„ Antverpiæ. Venerandi Dñi , Dominatio„ num veſtrarum ſervi in Chriſto. ✠ Patres „ Societatis Jeſu ✠ „

Capitulum

Capitulum his precibus motum ſtatuit conſentire in erectionem, modo Patres acceptarent conditiones præſcribendas. Intendebat quidem Capitulum eis concedere plura privilegia, ſed non omnia, quæ deſiderabant. Conſcriptæ ſunt itaque conditiones eiſque ſunt oblatæ; ſed Patres conditiones illas non ſatis favorabiles exiſtimantes, eas rejecerunt & neglectâ Capituli auctoritate, fulti auctoritate Gubernatoris & quorumdam aliorum, ac conſenſu quem obtinuerant ab Epiſcopo, in incepto opere proceſſerunt, & ita accelerârunt, ut ſex ferè menſium ſpatio curâ D. FRIAS ſteterit conſummata prædicta Capella.

Anno 1574.

Capitulum proponit conditiones.

Rejiciuntur.

Circà idem tempus Epiſcopus SONNIUS, novam Eccleſiam, quæ conſtructa erat in novo Caſtro in loco, cui, ut ſuprà diximus, eum in finem benedixerat, erexit in Eccleſiam Parochialem ſub titulo SS. Philippi & Jacobi, eique conceſſit Fontem baptiſmalem & alia parochialia jura, deſignans ei parochianos omnes inhabitantes dictum Caſtrum; & conſequenter Caſtrum ipſum dimembrabat à Parochia S. Georgii, ſub qua anteà comprehendebatur. Verùm erectionem hanc & dimenbrationem fecerat Epiſcopus ſine interventu Dominorum de Capitulo, & non conſervato matrici Eccleſiæ ſuo honore. Hinc contendit Capitulum eas factas fuiſſe contrà juris ordinem & in præjudicium juriſdictionis ſuæ.

Parochia Caſtri erigitur.

Capitulum itaque volens conſervate ſua jura & præeminentias, & conſiderans ea tùm ab Epiſcopo tùm à Jeſuitis ſperni aut negligi, ſtatuit eos convenire in judicio. Hunc in finem recurrit ad Abbatem S. Gertrudis Lovanii, qui erat auctoritate apoſtolicâ & regiâ Iudix & Conſervator bonorum & jurium

Capitulum vocat Epiſcopum & Jeſuitas in judicium.

Capituli

Anno 1574. Capituli : & conqueritur apud eum de indebito modo procedendi tùm Epiſcopi in erectione Parochiæ Caſtri , tùm Jeſuitarum in erectione Collegii & Eccleſiæ infrà limites juriſdictionis ſuæ ; ac petit , quatenùs mandet Epiſcopo, ut contrà juris ordinem acta redintegret ; Jeſuitis autem ut ceſſent ab incepto opere. Et inſuper cum timeret , nè fortè Epiſcopus procederet ad Jeſuitarum Capellam jam penè conſummatam conſecrandam , petit, ut Epiſcopo inhibeat , nè procedat ad dictam conſecrationem. Abbas autem cenſens querelas Capituli rationabiles duas dedit litteras citatoriales 5. jan 1575. , alteras ad Jeſuitas, per quas illos citat ad ſuum tribunal , & interim eis prohibet ſub pœna ſuſpenſionis à divinis , nè in inchoato opere pergant. Literas illas ex originali ſubjungo.

1575.

Litteræ citatoriales deſuper.

Ex Archivis Capituli.

„JOANNES VAN DER LINDEN per„miſſione divina Abbas monaſterii ſanctæ Ger„trudis Lovanienſis , Ordinis Canonicorum „regularium ſancti Auguſtini , Mechlinienſis dio„ceſis ; Judex , Executor & Conſervator ju„rium , bonorum , privilegiorum , juriſdic„tionum , exemptionum , libertatum & „immunitatum venerabilium Virorum DECANI „ſeu Vicedecani & CAPITULI olim collegia„tæ nunc cathedralis Eccleſiæ beatæ Mariæ „Virginis civitatis Antwerpienſis , ſanctæ Sedi „apoſtolicæ immediatè ſubjectæ , ab eâdem „ſanctâ Sede apoſtolicâ in vim certarum Lit„terarum apoſtolicarum felicis recordationis „Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Dñi LEO„NIS, dum viveret , papæ decimi ſic incipien„tium : *Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei* „*ad perpetuam rei memoriam , conſtituit Nos* „*Dominus &c.* & in data earumdem ſic ter„minantium : *Datum Romæ apud ſanctum* „*Petrum*

Placetum Principis quoad hanc Bullam refertur ſuprà ad an. 1521.

„ *Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo viceſimo primo, tertio kalen. ſeptembris, Pontificatûs noſtri anno nono*, ſic ſubſcriptum : *F. Bernardus*, & ſic in plombo : *Leo PP. X.*, in Actis & apud Acta Curiæ noſtræ regiſtratarum, Nobis præſentarum & hìc brevitatis causâ inſeri omiſſarum, unà cum quibuſdam aliis noſtris in ea parte Collegis cum illa clauſula *Quatenùs vos vel duo vel unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios &c.* ſpecialiter datus & deputatus. Anno 1575.

„UNIVERSIS & ſingulis Dñis Presbyteris, Notariis & Tabellionibus publicis quibuſcumque dictæ ſanctæ Sedi apoſtolicæ ſubjectis Salutem in Domino & noſtris hujuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis, firmiter obedire mandatis.

„Nobis pro parte præfatorum Dominorum DECANI & CAPITULI dictæ Eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis principalium gravi cum querela ſignificatum exiſtit, quod licèt penès dictos Dños Decanum & Capitulum ſit cura animarum totius civitatis Antwerpienſis, præſcripſeritque dictum Capitulum, nè aut eccleſia aliqua aut monaſterium in ulla parte civitatis ædificetur vel extruatur, niſi de conſenſu eorumdem Dominorum Decani & Capituli, prævioque aliquo tractatu cum ipſis præmiſſo.

„Verùm JESUITÆ ſeu Patres de Societate Jeſu neglectâ auctoritate dictorum Dominorum Decani & Capituli, neque illorum conſenſu requiſito, rejectis conditionibus ipſis Patribus ex parte præfatorum Dominorum Decani & Capituli propoſitis, Eccleſiam ædificare & Collegium erigere præſumunt, ubi Sacramenta eccleſiaſtica adminiſtrare,

Anno 1575. „ ſtrare ; Confeſſiones audire aliaſque functio-
„ tiones paſtorales obire intendunt in dicto-
„ rum Dominorum ſignificatorum & juris eo-
„ rum læſionem, præjudicium non modicum ;
„ damnum & gravamen.

„ Quare fuimus pro parte præfatorum Do-
„ minorum Decani & Capituli debitâ cum
„ inſtantiâ requiſiti, quatenùs ipſis ſuper præ-
„ miſſis oportunè providere, Litteraſque noſ-
„ tras monitoriales ſpeciales & in eventum
„ citatoriales infraſcriptas contrà & adverſùs
„ dictos Patres de Societate Jeſu decernere
„ & concedere vellemus & dignaremur.

„ Nos igitur JOANNES Abbas, judex ;
„ executor & conſervator antedictus, atten-
„ dentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam
„ & rationi conſonam, quodque juſta pe-
„ tentibus non venit denegandus aſſenſus : hinc
„ eſt, quod vobis omnibus & ſingulis ſu-
„ prà dictis & veſtrum cuilibet in ſolidum
„ in virtute ſanctæ (*obedientiæ*) diſtrictè præ-
„ cipiendo mandamus, quatenùs vigore præ-
„ ſentium & poſtquam pro parte dictorum
„ Dominorum ſignificatorum deſuper fueritis ;
„ ſeu aliquis veſtrum fuerit requiſitus, moneatis
„ & attentè requiratis Patres dictæ Societatis Jeſu ;
„ in dicta civitate Antwerpienſi reſidentes, &
„ dictam Eccleſiam & Collegium ibidem extrue-
„ re volentes, in eorum & cujuſlibet ipſorum
„ propriis perſonis, ſi eorum præſentias habe-
„ re poteritis, alioquin in ædibus habitationum
„ ſuarum cum dimiſſione veræ Copiæ præſen-
„ tium in eiſdem, quos & eorum quemlibet
„ Nos etiam tenore præſentium ſic monemus
„ & requirimus ſub pœna ſuſpenſionis à divinis
„ officiis, nè in ſuo inchoato opere pergant ;
„ vel ſaltem ad conſecrationem dictæ Eccle-
„ ſiæ non procedant, donec ipſi cum dictis
„ Dominis

„ Dominis Decano ſeu Vicedecano & Capitulo „ tranſegerint. Anno 1575.

„ Alioquin ad dictam ſuſpenſionem à divi- „ nis officiis aliaſque graviores pœnas & ſen- „ tentias procedere curabimus juſtitiâ median- „ te : niſi tamen cauſam aliquam rationabi- „ lem & efficacem allegare voluerint, cur ad „ præmiſſa minimè teneantur. Quam ſi alle- „ gare prætenderint, citetis ſeu aliquis veſ- „ trum citet eoſdem ſic monitos & requiſi- „ tos, quos Nos etiam tenore præſentium „ ſic citamus, quatenùs octavo die executio- „ nem præſentem immediatè ſequente, ſi dies „ ipſa octava juridica fuerit & Nos pro tri- „ bunali ſederimus, alioquin primâ die juri- „ dicâ ex tunc proximè & immediatè ſe- „ quente, quâ Nos Lovanii in aula abba- „ tiali dicti noſtri monaſterii manè horâ au- „ diendi cauſarum conſuetâ ad jura reddenda „ & cauſas audiendas pro tribunali ſedere „ contigerit; compareant in judicio, pro tunc „ coram Nobis cauſam hujuſmodi allegaturi, „ oſtenſuri, ac juri, in quantum debuerint, „ pariturí cum intimatione debitâ & con- „ ſuetâ.

„ Et quid indè feceritis Nobis liquidè reſcri- „ batis.

„ Datum Lovanii in dicto noſtro monaſterio „ ſub ſigillo noſtro ad cauſas anno à Nati- „ vitate Domini milleſimo quingenteſimo ſep- „ tuageſimo-quinto; menſis januarii die „ quintâ."

Notandum hìc, quod, cum Litteræ relatæ, ſicut & ſubſequentes, datæ notentur 5. jan. 1575.; id intelligi debeat ſtylo romano, non ſtylo brabantiæ aut cameracenſi : quia ſtylo brabantiæ annus 1575. habiturus non erat januarium nec februarium; cum

Anno 1575. juxtà illum ſtylum menſes illi eſſent in fine anni, & menſe junii illius anni Edicto regio abolitus ſit ſtylus Brabantiæ, ita ut proximâ 1. januarii univerſim inchoari deberet annus 1576., ut infrà dicetur.

Epiſcopo inhibetur, nè Eccleſiam Jeſuitarum conſecret.

Per ſecundas Litteras, dicto die datas, mandat dictus judex Epiſcopo ſub pœna interdicti eccleſiaſtici, ut jura Capituli violata in erectione Parochiæ Caſtri redintegret; & prohibet nè ad conſecrationem eccleſiæ Jeſuitarum procedat, alioquì compareat ad ſuum tribunal &c. Literas illas ex originali ſubjungo.

Ex Archivis Capituli.

„JOANNES VAN DER LINDEN „permiſſione divinâ Abbas monaſterii ſanctæ „Gertrudis Lovanienſis Ordinis Canonicorum „regularium ſancti Auguſtini, Mechlinienſis „dioceſis, Judex, Executor & Conſervator „jurium, bonorum & privilegiorum, juriſ-„dictionum, exemptionum, libertatum & „immunitatum venerabilium virorum DECANI „ſive Vice-decani & CAPITULI olim collegiati, „nunc verò cathedralis Eccleſiæ beatæ Mariæ vir-„ginis civitatis Antwerpienſis, ſanctæ Sedi apoſ-„tolicæ immediatè ſubjectæ, ab eadem ſancta Sede „apoſtolica in vim certarum Litterarum apoſ-„tolicarum felicis recordationis ſanctiſſimi in „Chriſto patris & Domini LEONIS dum vi-„veret Papæ decimi, ſic incipientium: *Leo* „*Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam* „*rei memoriam. Conſtituit Nos Dominus &c.* „Et in data earumdem ſic terminantium: *Da-*„*tum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incar-*„*nationis dominicæ milleſimo quingenteſimo vi-*„*ceſimo-primo, tertio kalen. ſeptembris Ponti-*„*ficatûs noſtri anno nono* . . . Nobis præſentata-„rum & hìc brevitatis cauſâ inſeri omiſſa-„rum, unà cum quibuſdam aliis noſtris in „ea parte Collegis cum illa clauſula: *quatenùs*

„ *vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel* Anno
„ *alium ſeu alios &c.* ſpecialiter datus & de- 1575.
„ putatus.

„ UNIVERSIS & ſingulis Dominis Presbyte-
„ ris , Notariis & tabellionibus publicis qui-
„ buſcumque ; dictæ ſanctæ Sedi apoſtolicæ
„ ſubjectis , ſalutem in Domino & noſtris
„ hujuſmodi , imò veriùs apoſtolicis , firmiter
„ obedire mandatis.

„ Gravem pro parte dictorum Dominorum
„ DECANI & CAPITULI accepimus queremo-
„ niam continentem , quod cum penès dictos
„ Dominos Decanum & Capitulum ſit cura
„ animarum totius civitatis Antwerpienſis ; præ-
„ ſcripſerintque dicti Domini Decanus & Ca-
„ pitulum , nè aut Eccleſia aliqua aut monaſte-
„ rium in ullâ parte civitatis ædificetur vel con-
„ conſtruatur , niſi de conſenſu dictorum Do-
„ minorum de Capitulo , prævioque aliquo
„ tractatu cum ipſis præmiſſo : nihilominùs
„ tamen præmiſſis non obſtantibus Reverendiſſi-
„ mus Dominus EPISCOPUS Antwerpienſis , non
„ ſervato ordine juris . . . non conſervato ma-
„ trici Eccleſiæ ſuo honore ; neque vocatis
„ dictis Dominis Decano & Capitulo , quorum
„ intereſt , diſmembravit Eccleſiam , in Caſtro
„ Antwerpienſi ſitam ; à ſua parochiali eam-
„ que in Baptiſmalem erexit.

„ Prætereà Jeſuitis ſeu Patribus de Societate
„ Jeſu in dicta civitate Antwerpienſi commo-
„ rantibus , dictis Dominis Decano & Capitu-
„ lo ignorantibus , imò contradicentibus , eccle-
„ ſiam ſuam ædificandi facultatem dedit , & ad
„ conſecrationem ejuſdem , uti dicti ſignificantes
„ metuunt , procedet , niſi tempeſtivè occurra-
„ tur , in dictorum Dominorum ſignificantium
„ & juris eorum læſionem , præjudicium non
„ modicum , damnum & gravamen.

 „ Quare

Anno 1575.

„ Quare fuimus pro parte præfatorum Do„ minorum ſignificantium debitâ cum inſtantiâ „ requiſiti, quatenùs ipſis ſuper præmiſſis opor„ tunè providere, Litteraſque noſtras monito„ riales, & in eventum Citatoriales & in formâ „ ſubſcripta contrà & adverſùs dictum reveren„ diſſimum Dominum Epiſcopum Antwerpien„ ſem decernere & concedere vellemus & digna„ remur.

„ Nos igitur JOANNES Abbas Judex, Executor „ & Conſervator antedictus, attendens requiſi„ tionem hujuſmodi fore juſtam & rationi con„ ſonam, quodque juſta petentibus non venit „ denegandus aſſenſus: hinc eſt quod vobis „ omnibus & ſingulis ſupradictis, & veſtrum „ cuilibet in ſolidum in virtute ſanctæ obedien„ tiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quate„ nùs vigore præſentium & poſtquam pro parte „ dictorum Dominorum ſignificantium deſuper „ fueritis requiſiti, ſeu aliquis veſtrum fuerit „ requiſitus, moneatis & attentè requiratis dic„ tum reverendiſſimum Dominum Epiſcopum „ Antwerpienſem, quem Nos etiam tenore „ præſentium ſic monemus & requirimus, qua„ tenùs ſub pœna Interdicti eccleſiaſtici omnia „ dictorum Dominorum Decani & Capituli „ jura, per eum ſic ut præmittitur violata, „ redintegret; & ad conſecrationem Eccleſiæ dicto„ rum Jeſuitarum non procedat, donec aliter inter „ dictos ſignificantes & præfatos Patres de So„ cietate Jeſu deſuper fuerit concordatum. Alio„ quin ad dictam pœnam Interdicti eccleſiaſtici „ aliaſque graviores pœnas & ſententias proce„ dere curabimus juſtitiâ mediante: niſi tamen „ cauſam aliquam rationabilem & efficacem alle„ gare voluerit, cur ad præmiſſa minimè te„ neatur: quam ſi allegare prætenderit, citetis, „ ſeu aliquis veſtrum citet, eundem Dominum

ſic

„ ſic monitum & requiſitum, quem nos etiam „ tenore præſentium ſic citamus, quatenùs „ octavâ die executionem præſentium immediatè „ ſequente, ſi dies ipſa octava juridica fuerit „ & Nos pro tribunali ſederimus, alioquin pri- „ mâ die juridicâ ex tunc proximè & immediatè „ ſequenti, quâ Nos Lovanii in aula abbatiali dicti „ noſtri monaſterii manè horâ audiendarum „ cauſarum conſuetâ pro tribunali ſedere con- „ tigerit, compareat in judicio; pro tunc „ coram Nobis cauſam hujuſmodi allegaturus, „ oſtenſurus, ac juri, in quantum debuerit, „ pariturus, cum intimatione debita & con- „ ſueta. Anno 1575.

„ Et quid indè feceritis Nobis liquidè reſcri- „ batis. Datum Lovanii in dicto noſtro mo- „ naſterio ſub ſigillo noſtro ad cauſas, anno „ à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo „ ſeptuageſimo-quinto, menſis Januarii die „ quintâ. *Signatum* Joannes de Wamel dicti „ Domini Comiſſ. Notarius.

Jeſuitæ transigunt cum Capitulo.

Simulac hæ Literæ inſinuatæ fuiſſent, Patres Societatis ad evitandam litem acceſſerunt Dominos de Capitulo, rogantes quatenùs ad evitandas diſſenſiones & querelas, quæ jam ortæ erant occaſione inchoatæ erectionis & dein oriri poſſent, ſimul Concordatum ſuper dicta erectione inirent. Capitulum itaque quoſdam Canonicos hunc in finem deputavit, qui cum pluries cum Patribus deſuper tractâſſent, ſat citò cum illis concordârunt, & circà conditiones, quibus erectio Collegii & ſacelli concederetur, convenerunt.

Conditiones autem, ſuper quibus convenerant, conſcriptæ ſunt & 10. februarii ad Capitulum, eum in finem in loco ſuo capitulari congregatum, relatæ; ibidemque coram partibus ſunt prælectæ & approbatæ, ac deſu-

Anno 1575.

per confectus eſt Actus notarialis, cui partes ſigilla ſua appenderunt. Actum illum ſubjungo ex originali.

Concordatũ inter Capitulum & Jeſuitas quoad erectionem Collegii &c.

Ex Archivis Capituli.

„ IN NOMINE Domini amen. Noverint „ univerſi & ſinguli præſentes litteras viſuri, „ lecturi pariter & legi audituri, quod anno à „ nativitate ejuſdem Domini milleſimo quingen„ teſimo ſeptuageſimo-quinto, indictione tertiâ, „ menſis februarii die decimâ, Pontificatûs „ ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri „ Dñi GREGORII divinâ providentiâ Papæ „ decimi-tertii anno ſuo tertio venerabiles atque „ eximii Dñi & magiſtri D. ROGERIUS à TASSIS „ utriuſque juris doctor Decanus, *Cornelius* „ *Cornelii* utriuſque juris licentiatus Cantor, „ *Petrus van Dale* utriuſque juris licentiatus, „ *Johannes de Moxica*, *Bartolomeus Turlant*, „ *Adrianus Malapert* ſacræ Theologiæ baccalau„ reus, *Godefridus Vueſels* utriuſque juris Doc„ tor Scholaſticus, *Jacobus Anthonii* ſacræ Theo„ logiæ baccalaureus Theſaurarius, *Willelmus* „ *Bertels*, *Henricus Ziberti à Dingen* ſacræ „ Theologiæ licentiatus, *Symon Moors* ſacræ „ Theologiæ licentiatus, *Silveſter Papdo* ſacræ „ Theologiæ licentiatus, *Sebaſtianus Baer* Ple„ banus ſacræ Theologiæ licentiatus ac *Reyne*„ *rus à Brakel* ſacræ Theologiæ licentiatus Ca„ nonici præbendati inſignis Eccleſiæ cathedralis „ Antwerpienſis, Capitulum ejuſdem eccleſiæ „ facientes & repræſentantes, in eorum loco „ capitulari ad infraſcripta peragendum capitulari„ ter congregati ex unâ, ac venerandus Pater Dñs „ PETRUS TRIGOSIUS Superior domûs ſive Colle„ gii Nominis Jeſu in civitate Antwerpienſi, „ tàm pro ſe quàm pro ſucceſſoribus ſuis, pro „ quibus de rato promiſit, ex alterâ partibus.

„ Tractantes ſuper erectione ſive fundatione „ novellæ plantationis domûs ſive COLLEGII „ dic-

„ dictæ Societatis Nominis Jeſu, infrà muros „ dictæ civitatis Antwerpienſis ac infrà parochiam dictæ Eccleſiæ cathedralis fiendæ, ad „ evitandum omnes querelas, diſcordias, odia „ & rixas, quæ tàm ratione dictæ inchoatæ „ erectionis ſive fundationis, quàm aliàs quomodocumque in poſterum oriri poſſunt (quod „ Deus avertat) convenerunt & concordârunt „ ſub punctis & clauſulis ſubſequentibus, quorum tenores ſucceſſivè ſequuntur & ſunt „ tales.

Anno 1575.

„ In primis præfati Patres Societatis Nominis „ Jeſu, qui nunc ſunt aut futuris temporibus „ erunt, non prædicabunt diebus Dominicis „ vel Feſtivis eo tempore, quo Paſtores ad „ populum concionantur in Cathedrali ſeu in „ ſecundariis eccleſiis parochialibus in lingua „ teutonica.

Circà tempus prædicationum.

„ 2. Item monebunt & adhortabuntur populum tàm in concionibus quàm in confeſſionibus, ut unuſquiſque in ſuis parochiis divinum officium audiat & vocem proprii Paſtoris agnoſcat: prætereà ut omnes jura conſueta & debita eccleſiis perſolvant, legata relictaque reſtituant.

Moneant populum ut frequentet Parochias ſuas.

„ 3. Item ad audiendas confeſſiones deputabunt viros litteratos; & idoneos ſuos, à „ D. Illuſtriſſimo Antwerpienſi approbatos, nominabunt in principio Adventûs Dñis Decano & Capitulo dictæ cathedralis eccleſiæ: & ſemel nominati non ampliùs nominabuntur.

De audiendis confeſſionibus.

„ 4. Inſuper neminem, etiam alienigenam „ & foràs advenientem, infrà parochias hujus „ civitatis decedentem, admittent ad ſepulturam, niſi ſalvis juribus & conſuetudinibus „ prædictæ eccleſiæ & fabricæ & Capituli: ut „ ſcilicet funera à Clero dictæ eccleſiæ Ca-

De ſepulturis

Anno 1575. „ thedralis aſſocientur , & exequiæ in dicta „ eccleſia Cathedrali celebrentur , ut faciunt „ Minoritæ dictæ civitatis Antwerpienſis.

De oblatis in Eccleſia. „ 5. Item ſi contingat in eccleſia eorum „ aliqua oblata ſub Sacris offerri , vel in al- „ taribus , troncis , cippis vel quibusvis re- „ ſervaculis quocumque tempore fieri ; illa „ ipſa dicti Patres Dominis de Capitulo aut „ receptori oblationum eorumdem dabunt ſive „ dari facient.

De tempore Interdicti. „ 6. Item in ceſſationibus à divinis & interdictis „ cuſtodiendis conformabunt ſe Patres matrici „ eccleſiæ.

De celebratione Miſſarum. „ 7. Item prænominati Patres non celebrabunt „ in ſua eccleſia , niſi primum Sacrum in- „ choatum fuerit in Matrici eccleſia , ſaltem „ apertis januis & campanis pulſatis , ad- „ miſſiſque laïcis.

„ 8. Item in domibus privatis aliiſque man- „ ſionibus non celebrabunt, niſi ſpeciali li- „ centiâ deſuper à D. Reverendiſſimo Ant- „ werpienſi ſive Decano vel Capitulo ob- „ tentâ.

De Proceſſionibus. „ 9. Item proceſſiones ſolemnes per pla- „ teas circumvicinas non inſtituent aut pera- „ gent.

De Mercantiis. „ 10. Item infrà terminos dictæ ipſorum „ domûs ſive Collegii nullas mercantias ex- „ erceri aut res venales exponi permittent , „ niſi fortè partem domûs vel pennarium ali- „ quod elocaverint.

Orabunt pro Capitulo. „ 11. Item placebit dictis Patribus rogare „ pro Dñis de Capitulo prædictæ eccleſiæ & „ eorum prædeceſſoribus , & Dominos de „ Capitulo inter ſuos benefactores repu- „ tare.

De obſervantia huius concordati. „ 12. Item Dñus Superior dictæ domûs ſi- „ ve Collegii , aut alius pro eo pacta ſive

„ tran-

„ tranſactionem hanc à Confratribus ſuis obſer- Anno
„ vari curabit. 1575.

„ 13. Item curabit præfatus Dñus *Petrus* „ *Trigoſius* Superior omnia & ſingula capi- „ tula & puncta præmiſſa per ſuos *Genera-* „ *lem* nec non *Provincialem* ejuſdem Societa- „ tis Nominis Jeſu ratificari & approbari, eo- „ rumque ſigilla in confirmationem omnium & „ ſingulorum præſentibus litteris appendi infrà „ unum annum.

„ Promittentes antedicti Domini DECANUS & „ CAPITULUM ac Dñus PETRUS TRIGOSIUS Su- „ perior in manu mei Notarii publici infra- „ ſcripti, ritè & legitimè ſtipulantis & reci- „ pientis, ſub fide eorum loco juramenti, „ omnia & ſingula ſupradicta immobiliter in „ omnibus ſuis punctis & clauſulis perpetuò „ obſervare.

„ De & ſuprà quibus omnibus & ſingulis „ præmiſſis antedicti Dñi comparentes petie- „ runt ipſis à me Notario publico ſubſcrip- „ to unum vel plura confici atque tradi inſtru- „ mentum & inſtrumenta.

„ Acta fuerunt hæc in dicto loco capitu- „ lari ſub anno, indictione, menſe, die & „ Pontificatu, quibus ſuprà.

„ Et in majorem confirmationem ac robur „ omnium, & ſingulorum præmiſſorum veri- „ ficationem, ſuprà nominati Dñi Decanus & „ Capitulum, & præfatus Dñus Petrus Tri- „ goſius Superior dictæ domûs ſive collegii „ Nominis Jeſu, eorum ſigilla præſentibus juſſe- „ runt & fecerunt appendi, præſentibus in dic- „ to loco capitulari providis & diſcretis viris „ Johanne Tack dictorum Dominorum De- „ cani & Capituli Virgario, & Balduino de „ Vogulaer receptore Vicariorum prætactæ ec-

„ cleſiæ

Anno 1575. „ cleſiæ cathedralis , teſtibus ad præmiſſa vo-
„ catis ſpecialiter & rogatis.

„ Et ego Gerardus Diemen .... Notarius ....
„ quia præinſertorum ... promiſſionibus ....
„ cæteriſque præmiſſis omnibus .... interfui ....
„ ſignavi & ſubſcripſi. "

Appenſa Sigilla. Itaque Concordatum hoc concluſum & ratificatum fuit dicto die. in loco capitulari, ubi & tunc ei appenſa fuerunt ſigilla Capituli & P. Superioris : ſigilla autem Generalis & Provincialis appendi debebant intrà annum ; verùm an aut quando illa appenſa fuerint, non ſcitur. Interim ſuper ligamentis, quibus appendi debebant ſigilla, in plica ſcriptum erat hoc ordine. 1. Sigillum Capituli Eccleſiæ cathedralis. 2. Sigillum D. Generalis Societatis Nominis Jeſu. 3. S. D. Provincialis Societatis Nominis Jeſu. 4. S. D. Superioris.

Titulus & Sigillum Societatis. Notandum autem, quod in hoc ſolemni Actu Societas intituletur *Societas Nominis Jeſu*: ita ut denominationem ſumpſerit non à *Jeſu* ſed à *Nomine Jeſu*. Et hic veroſimiliter fuit originalis Societatis titulus. In primis enim ſic legimus eam intitulatam inter vota, quibus S. Ignatius eſt electus Societatis Generalis *Act. SS. Tom. VII. Julii pag.* 477. *n.* 357. Dein pauló poſt ejus approbationem, anno nempè 1544., in literis Generalis Carthuſianorum, quibus *S. Ignatio* & Societati ejus concedebat participationem bonorum operum ſui ordinis. Litteræ illæ ſic ſonant : Fr. Petrus *humilis Prior majoris Carthuſiæ cæterique diffinitores Capituli generalis Ord. Carth. majoris Carth. reverendo in Chriſto Patri ac devotis viris.* D. Ignatio *Præpoſito ejuſque fratribus nova* Societatis Nominis Jeſu *ubilibet locorum conſtitutis ſalutem... Datum Carthuſiæ ſub ſigillo noſtro*

noſtro anno 1544. *feriâ* 5. *poſt dominicam* Cantate *ſedente Capitulo*. Literæ hæ integræ referuntur in Regiſtris Carthuſiæ Antverpienſis. Similiter referuntur *Act. SS. loco ſupra citato pag.* 707. *n.* 264. Sic & eo tempore ſæpius eo titulo Societas nuncupabatur, ut patebit volventi *Act. S. Ignatii*. Anno 1575.

Inſuper idem indicat ſigillum ſocietatis, quod non *Jeſum* ſed *Nomen Jeſu* præfert. Pro quo notandum, quod vox *Jeſus* olim communiter ſcriberetur cum aſpirante *Jheſus*, & in manuſcriptis abbreviata per tres ſolùm literas ihs, prout ſæpiùs vidi, quæ per literas capitales expreſſæ conſtituunt J. H. S., quod eſt ipſum hodiernum Societatis ſigillum. Superponitur autem crux in medio literæ H. & ſub literis tres clavi juncti in cuſpidibus ad diſtinguendum nomen Jeſu crucifixi. Exhibet J. Pinius *Act. SS. tom. VII. julii pag.* 532. priſtinum Societatis ſigillum, quo, inquit, uſus eſt *S. Ignatius* & quo ſigillatæ ſunt electiones Generalium ab anno 1556. Differt illud ab hodierno. Literæ ponuntur hâc ferè formâ i h s, ſic ut longiori columnæ literæ h in ſuperiori parte infixa ſit trabs, quæ formet crucem: ita ut crux non ſit in medio ſigilli, ſed paulò verſùs dextrum: unde dubium nùm trabs illa originaliter poſita ſit pro formanda cruce, num pro ſigno abbreviatæ vocis. Hoc clariùs videtur patere in manuſcriptis. Et ſub literis ponitur decreſcens lunula cum duabus ſtellis, utrimque una: quæ quid ſignificent, aliis interpretanda relinquo. In circumferentia illius ſigilli legitur hæc inſcriptio: *Sigillum Prepoſiti Societatis Jeſu.* Si autem hâc inſcriptione uſus fuerit S. Ignatius, mirum quod Superiores dein titulum mutaverint, & loco *Societas Jeſu* ſcripſerint *Societas Nominis Jeſu*

Anno 1575. *Jeſu*: magna enim differentia eſt inter *Jeſum* & *Nomen Jeſu*. Interim hodie non ſcribitur niſi *Societas Jeſu*, & Pinius loco ſuprà citato *pag.* 471. & *ſeqq.* conatur probare hunc eſſe verum Societatis titulum. Patres autem Concilii Trid. hoc titulo Societatem nuncupârunt his verbis: *Religio Clericorum Societatis Jeſu.* idque *Seſſ. XXV. cap.* 16., quæ celebrata fuit anno 1563. vigeſimo-tertio poſt obtentam Societatis approbationem.

Admiſſi Jeſuitæ an. 35. poſt approbatum Inſtitutum. Per hoc Concordatum admiſſum eſt in hac civitate Collegium Societatis anno trigeſimo-quinto poſt approbatum Inſtitutum; decimo-nono poſt obitum *S. Ignatii* fundatoris, & quadrageſimo-ſeptimo antequam relatus ſit in Canonem Sanctorum.

Perficitur eorum Eccleſia. Poſt hanc admiſſionem opus acceleratum fuit & brevì completa ſtetit inchoata Eccleſia. Verùm Auctor. *Hiſt. domeſt.* hæc deſuper dicit: „Sub finem hujus primi menſis (*Janua*„*rii*) magna cum admiratione omnium per„fecta ſtabat Jeſuitarum eccleſia, autumno „ſuperiori, ut dictum eſt, inchoata." Si autem verum ſit, eccleſiam completam fuiſſe in fine menſis januarii, ſignum eſt, quod non obſtante inhibitione ſuprà relatâ progreſſi ſint in conſtructione, idque vel ob alternativam in dictis monitorialibus expreſſam, vel fortè quòd Capitulum conſenſerit in conſtructione pro tempore, quo laborabatur in conficiendo Concordato, quod demùm concluſum fuit. 10. febr.

Ejus Capacitas. Eſt autem, inquit idem Auctor, tam concinnè & commodè factum opus, ut vix aliud ſimile inveniatur, neque ſuperbum illud, neque vaſtum; capax tamen, ut aliquando ſimul in ea fuerint quinque auditorum millia numerata, ità aptatum, ut Concionator undique

diqué videri & audiri poſſet. Ita Auctor ille de ædificio iſto, quod Patres in Libello ſuprà *pag.* 188. relato vocant *Sacellum.* Anno 1575.

Situm illius Eccleſiæ ſic deſcribit Papebrochius *Annal. Mss.* Veteris iſtius ac primæ Jeſuitarum Eccleſiæ nihil nunc ſupereſt præter abſidem majoris Altaris, modicè excavatam in pariete orientali ſuprà labrum foſſæ à felibus nuncupatæ *de Catte-veſt.* Circumdatur et abſis limbo nigro & crucibus ſacro Chriſmate delibutis, eo loco quem fabri lignarii officina nunc tegit. In extimo domûs Aquenſis ad hortum angulo eſt etiam veſtigium portulæ, per quam concionator pulpitum aſcendebat. Ex iſtis interim argumentum ducitur, Eccleſiam iſtam fuiſſe ductam per eum, qui nunc eſt hortum domui adherentem, ejuſdem horti potiorem partem occupaſſe, longam ab occidente in orientem pedes plus quàm centum, latam circiter ſexaginta quatuor; non in eadem cum ipſa domo linea, ſed plus quàm quadraginta pedes introcedendo; ſic ut trans ipſam occurreret impluvium pedum circiter viginti uſque ad eccleſiæ frontiſpicium. Ita *Papeb.* Templum autem illud ſimul cum ei impoſita turri ſtetit quinque millibus ducatorum. *Hiſt. domeſt.* Situs.

Novum hoc templum, inquit idem Auctor, in ſua diœceſi primum conſecravit Epiſcopus Sonnius cum tribus Altaribus, quorum primum *SS. Petro & Paulo*, alterum *SS. Trinitati*, tertium *Beatiſſimæ Genetrici* nuncupavit. Ceremoniis paractis anniverſario Dedicationis celebrando aſſignavit Dominicam proximam illi, quam in Albis vocamus. Non notat Auctor diem, quo conſecrationem hanc peregit Epiſcopus. Quia autem Anniverſario Dedicationis aſſignavit Dominicam proximam illi, Conſecratio

quam

Anno 1575. quam in Albis vocamus, præſumere poſſumus conſecrationem illam peractam fuiſſe circà feſtum Paſchæ.

Addit prælaudatus Auctor: Eodem dedicationis die advenit Gubernator cum tota Curia ſua, ut ſacro Miſſæ officio intereſſet. Peractâ autem re divinâ Gubernator Reverendiſſimum apud ſe pranſurum deduxit, cui alioquì pro more patriæ ſumptuoſum prandium à Jeſuitis inſtrui debuiſſet.

Erigitur Domus in Collegium.

Omnibus ſic ritè ad nutum Jeſuitarum diſpoſitis, domus eorum erecta eſt in Collegium; & menſe martio ei datus eſt primus RECTOR *Petrus Trigoſius*, qui hactenùs tantùm tulerat titulum *Superioris*. Ab eo autem tempore ſic profecerunt Patres, ut hodie in hac civitate habeant tres domus ſplendidas ſanè, domum nempè profeſſam, ubi hoc tempore ſedem figebant; Collegium, quod hinc tranſlatum fuit ad domum Anglicanam & domum Convictorum viâ *het Kipdorp*.

Jeſuitæ inducuntur ad docenda humaniora.

Quantum ad ſcholas, in quibus juventutem Patres docerent humaniora, hæc refert auctor *Hiſt. domeſt.* Poſtulabant omnes, præſertim Hiſpani, hoc etiam officium cæteris adjicerent Patres, ut litteris juventutem imbuerent; indignum videri illos obtentâ jam domo & Eccleſiâ quaſi velle quieſcere, nec præſtare, quod fuerant in primis polliciti. Tergiverſabantur tamen illi novum onus ſuſcipere, quando eorum domus annuâ ſeptingentorum & quinquaginta florenorum penſione adhuc gravabatur. Perſtiterunt nihilominùs amici in ſententia, multa pollicentes ad eam curam eximendam. Ita *Auctor* ille. Ex eo autem habemus, quod ad docendam juventutem nulla pacta aut promiſſio interceſſerint in admiſſio-

miſſione eorum ſivi à Capitulo ſive à Senatu; quia tunc certè tergiverſati non fuiſſent onus illud ſuſcipere; & quod promiſſio deſuper anteà ſolùm facta ſit privatis quibuſdam amicis. Anno 1575.

Cæterùm ſuprà ad an 1521. vidimus, tunc per Senatum inhibitum fuiſſe, nè quis intrà civitatem extrà quatuor Scholas parochiales (quibus dein acceſſit Schola novæ Parochiæ S. Andreæ) doceret alios libros quàm flandricos & Gallicos, abſque ullo latino: & ſtatutum, quod juvenes, qui intendebant Latinum, adirent unam ex dictis ſcholis, in quibus ſolis dicta lingua tradebatur, & veroſimiliter, ut ibidem dixi, etiam græca.

Ut itaque Patres in hoc puncto facerent ſatis deſiderio amicorum ſuorum, diſpenſationem in prædicto ſtatuto obtinere debebant, ut licitè ſcholas aperirent. Petiverunt autem & obtinuerunt, idque eò faciliùs, quòd ſcholæ iſtæ Parochiales indubiè per continuas turbas non parùm collapſæ eſſent. Licentiam etiam petiverunt à Patre Generali eamque obtinuerunt.

Facultate ergò, inquit Auctor *Hiſt. domeſt.*, à Patre Generali acceptâ ludum aperuerunt die feſto S. Georgii 22. martii (feſtam S. Georgii celebratur 23. aprilis) & P. *Sonhovius* novarum ſcholarum Præfectus in templo coràm Epiſcopo & Canonicis aliiſque gravem Orationem latinè habuit de recta juventutis inſtitutione, quæ paucis menſibus ad trecentos crevit. Aperiunt ſcholas.

Docuerunt autem Jeſuitæ ab hoc tempore non tantùm litteras latinas ſed & græcas: quod dein ſummâ cum laude præſtiterunt uſque in hodiernum diem.

Anno 1575.

Quód dein etiam fecerunt Prædicatores & Auguſtiniani.

Poſt triginta annos, ſcholis parochialibus magìs magiſque collabeſcentibus, FF. Prædicatores ſimiliter ſe ad hoc munus obtulerunt, & admiſſi ſunt, aperueruntque ſcholas ſuas anno 1605. : ſed non conſtat, an ultrà latinas etiam docuerunt litteras græcas. Pauló poſt in civitatem admiſſi ſunt Auguſtiniani, qui & ipſi in admiſſione ſua ſe obtulerunt ad docendas linguas ſacras, aperueruntque ſcholas ſuas anno 1608. : quin autem hi ultrà litteras latinas etiam docuerint græcas, dubitari non poteſt, cum *P. Nicaſius Baxius*, qui ibidem ſcholas aperuit, in græcis verſatiſſimus fuerit & de eo referatur, quod apud ſuos Antverpiæ per multos annos litteras græcas docuerit. Foppens *Bibl. belg. pag.* 898. Fratres autem Prædicatores malè conſulti ſcholas ſuas clauſerunt anno 1648. tranductis diſcipulis 7. julii ad ſcholas Jeſuitarum. Unde, poſtqaum ſcholæ parochiales ſenſim deciderunt & ceſſatum in illis eſt docere linguas ſacras, duæ tantùm in hac civitate habentur ſcholæ publicæ, in quibus traduntur litteræ latinæ, Jeſuitarum nempè & Auguſtinianorum. Et ſoli Jeſuitæ perſeverant docere litteras græcas, à quibus Auguſtiniani jam abſtinent : cum tamen earum notitia perquam neceſſaria ſit in Eccleſia Dei.

Lis ob erectionem parochiæ in Caſtro

Sat citò itaque terminata fuit difficultas ſuborta inter Jeſuitas & Capitulum occaſione erectionis Collegii & Eccleſiæ eorumdem ; at non tam citò terminatum fuit negotium inter Epiſcopum & Capitulum quoad erectionem Parochiæ in novo Caſtro : deſuper enim lis agitata fuit coram Judice apoſtolico, quæ duravit uſque ad menſem julium.

Quæſtio inter Epiſc. & Capitulum circà erectionem Archidiaconatûs

Verùm interim dum dicta lis agitabatur, alia terminata fuit difficultas, quæ jam ſedecim menſibus agita-

agitabatur inter Epiſcopum & Capitulum ſuper admiſſione Archidiaconi nominati per Epiſcopum. Capitulum contendebat & demonſtrabat jus Archidiaconale in tota civitate ſibi ab antiquo competere ; jus illud per bullam erectionis Epiſcopatûs ſublatum non eſſe, quin potiùs confirmatum per clauſulam *Ad inſtar aliorum &c.*, & conſequenter nolebat in Capitulo admittere novum nominatum Archidiaconum, niſi Epiſcopus & Nominatus declararent, jus ſuum manere ſalvum. E contrà Epiſcopus contendebat jus Archidiaconale Capituli eſſe abolitum, & tandem Romam ſcripſit & petivit interpretationem dictæ clauſulæ *Ad inſtar aliorum &c.* Obtinuit autem indè interpretationem conformem menti Capituli : unde & 14. aprilis tam Epiſcopus, quàm nominatus Archidiaconus declarârunt jus Capituli fore ſalvum, & Archidiaconum inſtituendum tantùm habiturum in diœceſi Antverpienſi eandem juriſdictionem & emolumenta, quæ habuerat anteà Archidiaconus Antverpienſis reſidens in Eccleſia Cameracenſi, & deſuper Actum notarialem confici fecerunt, quem ex originali ſubjungo.

Anno 1575.

„IN NOMINE Domini amen. Tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis pateat evidenter & ſit notum quod anno à nativitate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo-quinto, indictione tertiâ, menſis aprilis die decima-quartâ, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Dñi noſtri Domini GREGORII divinâ providentiâ Papæ decimi-tertii anno tertio, in mei Notarii publici & teſtium infraſcriptorum præſentia perſonaliter conſtitutus Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dñus Dñus FRANCISCUS SONNIUS Dei & apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Antwerpienſis, qui declaravit & conſenſiit, prout tenore præ-

Terminatur per declarationem Epiſcopi.

Ex Archivio Capituli.

Anno 1575. „ ſentis publici inſtrumenti declarat & conſentit „ pro ſe ſuiſque in dicto Epiſcopatu Antwerpienſi futuris Epiſcopis, quod Dñus & Magr. „ JACOBUS DE CAMPO præsbyter juris canonici „ Licentiatus Canonicus inſignis Eccleſiæ cathedralis Antwerpienſis, & quem in ARCHIDIACONUM Diœceſis Antwerpienſis jam dudum „ elegit, ibidem præſens & conſentiens, tamquam Archidiaconus habebit & recipiet omnia & ſingula jura, emolumenta ſive proventus, quæ Archidiaconus Antwerpienſis olim „ in Eccleſia Cameracenſi reſidens recipere & „ habere conſuevit, ac ſimilem & eandem juriſdictionem per totum Epiſcopatum Antwerpienſem habebit & exercebit, tam in clero „ quàm in populo, qualem olim dictus Archidiaconus Antwerpienſis in dictâ olim eccleſia „ Cameracenſi reſidens, in illa parte diœceſis „ Camaracenſis, quæ nunc ſubeſt Epiſcopatui „ Antwerpienſi, habuit & exercuit, cum omnibus ſuis oneribus, juribus, emolumentis, „ proventibus, accidentalibus & præeminentiis „ ſive prærogativis, etiam in illa parte diœceſis „ Antwerpienſis, quæ olim ſub Epiſcopatu Leodienſi fuit.

„ Ad quem affectum dictus Dñus Reverendiſſimus declaravit & declarat ſe ad ſanctam „ Sedem apoſtolicam recurriſſe, & deſuper ſe „ ab eadem Sede literas declaratoriales petiiſſe „ ſuper declaratione clauſulæ in Bulla erectionis „ Epiſcopatûs ſui contentæ, incipientis *Ad inſtar aliorum &c.*, quodque illas propediem „ confidit ſe habiturum, & habitas illas ad „ perpetuam memoriam ad Archivium dicti „ Capituli tradet, ſalvo jure Archidiaconali „ Dñis Decano & Capitulo dictæ Eccleſiæ Antwerpienſis competente in Eccleſiis & in Clero ſibi

„ ſubjectis

„ ſubjectis, aliiſque juribus & conſuetudinibus „ hactenùs conſuetis & obſervatis ſalvis. Anno 1575.

„ De & ſuper quibus omnibus & ſingulis „ antedicti Dñi D. *Reverendiſſimus* Epiſcopus & „ *Jacobus de Campo* Archidiaconus, conſenſe- „ runt ad perpetuam memoriam fieri atque con- „ fici unum vel plura publicum ſeu publica „ inſtrumentum & inſtrumenta.

„ Acta fuerunt hæc Antwerpiæ in ædibus „ Epiſcopatûs ſub anno, indictione, menſe, „ die &, Pontificatu quibus ſuprà, præſentibus „ ibidem providis & diſcretis viris mgrs. Michaë- „ le Rutten ſuprà nominati Dñi Reverendiſſimi „ œconomo, & Franciſco de Larion utriuſque „ juris Licentiato, teſtibus ad præmiſſa vocatis „ ſpecialiter atque rogatis. *Subſcriptum* Gerar- „ dus Diemen publicus... Notarius...

Cum hæ litteræ declaratoriales die 16. ejuſdem menſis exhibitæ fuiſſent in Capitulo; in eo tamquam Archidiaconus ad poſſeſſionem admiſſus eſt prædictus *Jacobus de Campo*, ſub relatis conditionibus & non aliàs; & locus ei aſſignatus eſt in Capitulo & in Choro immediatè poſt Decanum ante Cantorem, qui hactenùs poſt Decanum primum locum habuerat.

Admittitur per Capitul.

Similes quæſtiones agitatæ fuerunt ſuper erectione Archipresbyteratûs & Pœnitentiariæ; Sed illæ demùm terminatæ fuerunt annò 1601., quando iſti ad ſimilem declarationem Epiſcopi, tamquam Dignitates admiſſi fuerunt in Capitulo, ut infrà ſuo loco dicetur.

Similes difficultates ſuper Archipresbyteratu & Pœnitentiaria.

Subjungo hîc ſeriem Archidiaconorum Antverpienſium, quorum, ut diximus, poſt erectionem Epiſcopatûs primus fuit.

Series Archidiaconorum Antv.

1. JACOBUS DE CAMPO aliàs *van den Velde* J. C. L., qui obiit anno 1591.
2. JOANNES DEL RIO, factus Decanus annò 1607.

Anno 1575. 3. Cornelius de Witte S. T. L. obiit peſte 1624.

4. Franciscus van den Zype Juriſconſultus clariſſimus, obiit 1650.

5. Christianus Voochts obiit 1665.

6. Autbertus van den Eede, factus Epiſc. Antv. anno 1677.

7. Joannes de Weese, obiit 1678.

8. Carolus Antonius de Fourneau, obiit 1693.

9. Paulus van Halmale obiit 1711.

10. Constantinus van Halmale obiit 1724.

11. Dominicus Alphonsus Ertborn S. T. L. obiit 1737.

12. Henricus de Quickelberge J. U. L. obiit 1751.

13. Franciscus Josephus Verrotten J. U. L. obiit 1767.

14. Ampl. D. Eduardus Emmanuel van Mechelen de Berthout J. C. L.

Lis ſuper erectione Parochiæ Caſtri

Quantùm ad difficultatem motam ſuper erectione novæ Parochiæ in Arce, Capitulum non tantùm Epiſcopum citari curaverat coram Abbate S. Gertrudis, ſed & ipſum inſtitutum ibidem Paſtorem, qui indubiè ſine licentia Capituli cœperat obire functiones paſtorales. Lis autem deſuper aliquo tempore agitata fuit coram dicto judice apoſtolico, donec tandem ad eam ſopiendam Commiſſarius Gubernatoris Caſtri & dictus Paſtor comparuerint in loco capitulari, & cum Dominis de Capitulo tranſegerint ſuper erectione dictæ Parochiæ, conſcriptis certis conditionibus, ſuper quibus conſentientibus partibus confectus eſt Actus notarialis, quem ex originali ſubjungo.

Terminatur per Concordatum.

„IN NOMINE Domini amen. Noverint „univerſi præſentes literas viſuri, lecturi pa-

„riter

„ riter & legi audituri, quod anno à Nativi- Anno
„ tate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptua- 1575.
„ geſimo quinto, Indictione tertiâ, menſis Ex Archivis
„ Julii die octavâ, Pontificatûs SS. in Chriſto Capituli.
„ Patris & Dñi noſtri GREGORII divinâ
„ providentiâ Papæ decimi-tertii anno quarto,
„ Venerabiles atque eximii Domini & magiſtri
„ Domini ROGERIUS à TASSIS J. U. D. Deca-
„ nus, *Cornelius Cornelii* J. U. L. Cantor,
„ *Petrus van Dale* J. U. L., *Joannes de Moxi-*
„ *ca*, *Bartholomaus Turlant*, *Adrianus Ma-*
„ *lepert* J. U. B., *Godefridus Veuſels* J. U.
„ D. Scholaſticus, *Jacobus Anthonii* S. T. B.
„ Theſaurarius, *Willelmus Bertels*, *Henricus*
„ *Ziberti à Dungen* ſacræ Theologiæ Pro-
„ feſſor, *Symon Moors* S. T. L., *Silveſter*
„ *Pardo* S. T. L. *Sebaſtianus Baers* S. T. L.
„ Plebanus, *Reynerus à Brakel* S. T. L.,
„ *Emanuel Troneſius* J. U. L., *Carolus du*
„ *Terne* Artium magiſter, Canonici præben-
„ dati inſignis Eccleſiæ cathedralis Antverpien-
„ ſis, Capitulum ejuſdem Eccleſiæ facientes &
„ repræſentantes, in eorum loco capitulari ad
„ infraſcripta peragendum capitulariter congre-
„ gati ex una, ac nobilis MARTINUS DEL
„ HOYX Locum-tenens illuſtris Dñi SANCHII
„ DE AVILA pro nunc Caſtellani Arcis ſive
„ Citadellæ Antverpienſis, nomine & mandato
„ ejuſdem Domini Caſtellani, & cum eo
„ Dominus PETRUS DE CARNESO modernus
„ Eccleſiæ parochialis in dicta Arce erectæ &
„ conſecratæ Paſtor, tam pro ſe quàm pro
„ ſuis in futurum ſucceſſoribus ex altera par-
„ tibus.

„ Quæ quidem partes hinc indè ad ſopiendam
„ & extinguendam litem, quæ inter dictos
„ Dominos *Decanum* & *Capitulum* impetrantes
„ ex una, & dictum Dominum *Petrum de Car-*

Anno 1575.

„ *neſo* uti paſtorem dictæ Eccleſiæ Arcis
„ citatum & exponentem ex altera partibus,
„ coram reverendo Domino Abbate S. Ger-
„ trudis Lovanienſis uti Conſervatore Privile-
„ giorum dictorum Dominorum Decani & Ca-
„ pituli mota, & ad nonnullos actus & ter-
„ minos judiciales deducta eſt & etiamnùm
„ indeciſa adhuc pendet, & ad evitandum
„ omnes querelas, diſcordias, odia & rixas,
„ quæ tam ratione dictæ eccleſiæ parochialis
„ Caſtri, quàm aliàs quomodocumque in poſ-
„ terum oriri poſſent (quod Deus avertat)
„ convenerunt & concordârunt ſub punctis &
„ clauſulis ſubſequentibus.

Articuli.

I. Gubernator procurabit intertentionem Eccleſiæ.

„ IN PRIMIS quod dictus illuſtris Dñs SAN-
„ CHIUS DE AVILA Caſtellanus pro nunc, &
„ ſui pro tempore in dicta Caſtellania ſucceſſo-
„ res, dictam Eccleſiam reparabunt & inter-
„ tinebunt in perpetuum in omnibus ſuis ne-
„ ceſſariis.

II. Dotem Paſtoris.

„ ITEM quod dictus illuſtris Dominus Sanchius
„ de Avila Caſtellanus procurabit & efficiet,
„ quod in certis redditibus aſſignabitur & con-
„ ſtituetur ſufficiens dos pro Paſtore dictæ Ec-
„ cleſiæ.

III. Habebit præſentationem.

„ ITEM Dominus Caſtellanus dictæ Arcis pro
„ tempore exiſtens totiens quotiens dicta Eccle-
„ ſia Arcis vacabit & Rectore carebit, Pres-
„ byterum, per Dominum Reverendiſſimum
„ Antverpienſem examinatum & judicatum
„ idoneum, cum literis ejuſdem Dñi Reve-
„ rendiſſimi teſtimonialibus præſentabit Dñis
„ Decano & Capitulo, ut eidem conferant
„ prædictam Eccleſiam parochialem, & in poſ-
„ ſeſſionem ejuſdem juxta conſuetudinem alia-
„ rum ſecundariarum eccleſiarum ponant &
„ inducant.

„ ITEM

„ITEM Paſtor pro tempore in dictæ Eccle- Anno
„ſiæ adeptione, quam à dictis Dominis De- 1575.
„cano & Capitulo accipiet, præſtabit juramen-
„tum obedientiæ ab aliis paſtoribus iſtius civi-
„tatis præſtari ſolitum & conſuetum. Tene-
„biturque venire ad Capitula generalia per dic-
„tos Decanum & Capitulum ſingulis annis
„obſervari conſueta: ipſe quidem Paſtor vel
„alius Sacerdos, ſi impeditus fuerit, ejus
„loco, & ſicuti cæteri curati ſecundariarum
„Eccleſiarum iſtius civitatis faciunt.

IV. paſtor reſpectu Capituli erit ſicut reliqui civitatis Paſtores

„ITEM Paſtor pro tempore exiſtens Preſ-
„byteros dictæ Eccleſiæ Arcis à Dño Reve-
„rendiſſimo Antwerpienſi examinatos & idoneos
„judicatos ad audiendas confeſſiones, & quo-
„rum opera velit uti in deſervitura eccleſiæ
„ſuæ, tenebitur præſentare dictis dominis De-
„cano & Capitulo; quos ita præſentatos ad-
„mittant ad dictam deſervituram, præſtito ab
„iiſdem juramento obedientiæ & ſubjectionis,
„prout ſaltem Habituati ſive beneficiati fa-
„ciunt.

V. Presbyteros in ſua Eccl. deſervientes præſentabit Capitulo.

„ITEM in recognitionem ſuperioritatis &
„redemptionis oblatorum Paſtor pro nunc, &
„impoſterùm illius ſucceſſores, dictæ Eccleſiæ
„Arcis ſolvent pro ſe & ſuis ſubditis ſingu-
„lis annis in feſto Paſchatis dictis dominis
„Decano & Capitulo unam unciam argenti
„ſeu unum Dalerum, quibus mediantibus
„dicti domini de Capitulo non poterunt plura
„petere in perpetuum, nec propter oblationes
„nec propter alia.

VI. Cenſus pendendus pro oblatis.

„ITEM Paſtor dictæ Eccleſiæ Arcis non
„adminiſtrabit ulla Sacramenta eccleſiaſtica ne-
„que ſepulturam eccleſiaſticam, niſi infrà
„clauſtrum ſive Arcem habitantibus ſive mo-
„rientibus, & nullis aliis niſi de licentia dicto-
„rum dominorum Decani & Capituli.

VII. non miniſtrabit extrà Caſtrum

Anno 1575.

VIII. Poteſt ſe qui uſum Romanum.

„ ITEM Paſtor & alii ſacerdotes dictæ Eccleſiæ Arcis Antverpienſis in officio divino celebrando & cantando poterunt ſe conformare cum novo uſu Eccleſiæ Romanæ.

„ Quibus ſupradictis conditionibus mediantibus partes hinc inde declaraverunt & declarant per præſentes, ſe eſſe concordes, & dictæ inſtantiæ ſive liti renuntiaverunt, promittentes ſæpedicti Domini *Decanus* & *Capitulum* ac *Martinus del Hoyx*, Locumtenens loco & nomine dicti illuſtris Domini *Sanchii de Avila* Caſtellani pro nunc, ac Dominus *Petrus de Carneſo* Paſtor, hinc inde pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus in manu mei Notarii publici infraſcripti, ritè & legitimè ſtipulantis & recipientis ſub fide eorum loco juramenti, præmiſſa neque in toto neque in parte numquam revocare neque revocari facere, aut eiſdem in aliquo directè vel indirectè, quovis quæſito colore vel ingenio, contravenire vel infringere: ſed eadem inviolabiliter in omnibus ſuis punctis, clauſulis & articulis perpetuò obſervare & obſervari facere. De & ſuper quibus.... petierunt... confici... inſtrumenta...

„ Acta fuerunt hæc in dicto loco Capitulari ſub anno, indictione, menſe, die & Pontificatu, quibus ſuprà.

„ Et in majorem confirmationem ac robur omnium & ſingulorum præmiſſorum, in hoc præſenti publico inſtrumento contentorum, verificationem ſupranominati domini Decanus & Capitulum, ac illuſtris dominus Sanchius de Avila Caſtellanus, eorum ſigilla juſſerunt & fecerunt appendi. Et ego Gerardus Diemen publicus... Notarius... "

Art. 8.

Art. 8. hujus concordati permittitur Paſtori, ut ſequatur novum uſum romanum. Id autem indubiè hoc tempore omnibus volentibus permittebatur : verùm Capitulum, indúbiè ob continuas turbas, uſum iſtum in Choro demùm aſſumpſit anno 1599., ut infrà dicetur. Anno 1575.

Novus uſus romanus admittitur.

Stylus inchoandi annum fixus ad 1. janu.

Hactenùs & quidem à multis ſeculis in Belgio communiter anni initium deſumebatur à die Paſchæ, ita ut menſes januarius & februarius eſſent in fine anni ; &, cum feſtum illud ſingulis annis variaret, anni etiam erant inæquales, & menſes martius & aprilis aliquando partim ad unum partim ad alterum annum ſpectabant ; unde, cum literæ darentur in illis menſibus, ut ſciretur, quo anno datæ fuiſſent, addi debebat *Ante* vel *poſt Paſcha.* Stylus ille hìc vocabatur *Stylus Cameracenſis* ſeu *Curiæ Cameracenſis* vel *Stylus Brabantiæ*, quæ plerumque datis literarum adjuncta videntur. Stylus autem ille quidem communior hìc erat, ſed non ab omnibus, ſaltem ab aliquo tempore, obſervabatur : in diverſis enim Curiis diverſi ſtyli in uſu erant. Hinc ſæpiùs errores, doli & fraudes ; unde magna in republica confuſio. Stylus ille etiam in uſu fuerat in Gallia, ſed propter dictas rationes ibidem jam abolitus fuerat edicto regio anno 1564. Hìc autem demùm abolitus fuit hoc anno Edicto dato Antverpiæ 16. junii ſub nomine Regis. Per illud ſtatuebatur, ut deinceps annus inchoaretur à kalendis januarii, nec aliàs niſi juxtà illum ſtylum litteræ datæ notarentur. Novus hic ſtylus per univerſum Belgium receptus fuit, manſitque deinceps in uſu. Quia autem in Edicto deſuper publicato notantur plerique abuſus priſtini ſtyli, & quia ex eo patet, quàm difficile ſit

ex

Anno 1575. ex datis literarum nuperum annorum texere exactam chronologiam, illud hic ſubjicio, prout refertur ab Anſelmo *Tribon. belg. pag.* 19.

By den Coninck &c.

Edictum Regium de ſuper.

Alſoo men by experientie bevonden heeft, dat'er vele inconvenientien gebeurt zyn door de veranderinghe ende diverſityt van den datum des jaers, t'ſedert den dagh van de gheboorte ons Heeren Jeſu Chriſti tot de verryſſeniſſe ofte Paeſchdagh; midts dat men in eenighe quaertieren den datum van het vernieuwen des jaers begint ten voorz. daghe van de gheboorte, ofte den eerſten dagh januario daer naervolgende, d'welck den ſtyl is, die men gemeynelyck ghebruykt: andere beginnende t'ſelve op den Paeſchavont, d'welck ſommige ſegghen ſtyl van den Hove, ende andere anderſiens naer de diverſityt van de Biſdommen: ghelijk ook ſommighe daer by ſtellen voor ſekeren tyt, te weten van den 22. van martio tot den 25. april daer naer volgende deſe woorden voor *ofte* naer Paeſſchen, *d'welck ſomtydts de Notariſſen, publique oft privee perſoonen vergeten ofte laten (te) ſtellen in huere Acten ofte Schriften, ſulckx dat daer doore dickwils ryſen queſtien, gheſchillen ende ſwarigheden op de contracten, onderdommen, renten, penſioenen ende andere ghelijcke ſchulden, ſoo wel tuſſchen d'onderſaten van eenen lande, als principalijcken mette naebueren, daer van ſommighe eenighe jaeren herwaerts, daer inne oock order gheſtelt ende veranderinghe ghedaen hebben: midts welcke gelijcke veranderinghe in de ſelve landen des te meer van noode is; ſonderlinghe gemerckt, dat in deſe het ghebruyck van de voorz. jaren te dateren niet even-ghelijck ofte uniform en is gheweeſt, noch oock en is: maer ter contra-*

rien

rien wort in eyghen Provincie daer af diver-ſchelijck ghebruyckt, als in de gheeſtelijcke hoven in eenre ende in de weerlijcke hoven in andere manieren. In der voeghen dat daer inne groote confuſie van tyde gheſchiedt, d'welck niet min en bedraeght dan't vierde ende ſomwylen 't derdendeel van den jare; jae by omiſſie van deſe woorden voor *ofte* naer Paeſſchen *van eenen gheheelen jare.* Anno 1575.

Waerom wy 't ſelve aenghemerckt begherende daer inne te voorſien, ende bevindende wel redelijck, dat in eyghen lande ende gouvernement den Datum van den tyde evenghelijck ende uniform zy, ende dat men hem daer inne accommodere met de generaliteyt van de chriſtelijcke landen ende Coninckrijcken; hebben gheordonneert ende gheſtatueert, ordonneren en ſtatueren by deſen.

Dat voortaen alle diverſityt van Datum des jaers, binnen alle onſe voorz. landen van herwaerts-over, ceſſeren ſal, ende dat de vernieuwinghe van den Datum des jaers altyt ghedaen ſal worden t'elcken jare op den eerſten dagh van januario, d'welck men voor d'eerſte reyſe beginnen ſal van januario naeſtcomende, dat men ſchryven ſal in't jaere 1576., *continuerende 't ſelve alſoo van jaere te jaere.*

Ende dat dien volgende alle vonniſſen, ſententien, teſtamenten, contracten, obligatien, cedullen, beſlotene brieven ende generalijcken alle publicque eude ſecrete acten ende ſchriften ghedateert ſullen worden.

Bevelende voorts allen Rechteren, Officiers, Grefficiers, Notariſſen ende andere publique ende privee perſoonen, t' ſelve alſoo te ghebruycken op pene van arbitraire correctie, ſoo men bevinden ſal daer teghen ghedaen te zyn, 't zy door

Anno 1575. *door arghelist oft onachtſaemheyt, ende boven dien te betalen de ſchade ende intereſt van partie, in dien te diere oorſaecke enighe ghebeurde. Ende op dat &c.*

Ghegheven in onſe voorz. Stadt van Antwerpen onder onſen contreſeghel hier op ghedruckt in Placcate den 16. *dagh van junio* 1575. Onder ſtont *By den Coninck in ſijnen Rade.* Onder-teecken *d'Overloepe.*

Tractatur Bredæ de pace inter Regios & Orangianos. Interim dum præmiſſa agitabantur Antverpiæ, Bredæ ab initio anni tractari cœperat de pace inter Regios & Orangianos. Convenerant eò commiſſarii Regii & commiſſarii Orangianorum, ac Legatus Imperatoris; variiſque conſeſſibus utrique ſua propoſuerunt, donec tandem 14. julij infectâ re commiſſarii utrimque domum redierint. Inter alios Articulus concernens Religionem pro parte Regis ibidem propoſitus hic erat.

Articulus circà Religionē agitatus. „Rex vult, ut religio catholica romana „generaliter in omnibus ſuis provinciis liberè „atque ſecurè exerceatur, non aliter atque eo „tempore, quo in Provinciis inauguratus & „juramento confirmatus fuit: quando & Ordi-„nes, ſe in eadem Religione mori velle, ju-„rârunt. Iis interim, qui poſthàc ut anteà „catholicè vivere nolint, regia Majeſtas permit-„tit, ut extrà provincias belgicas abeant & ea, „quæ habent bona vendant intrà tempus con-„ſtituendum: intereà verò nullum ſuæ reli-„gionis exercitium aut ſcandalum faciant." Repoſuerunt ad hæc Orangiani: „Nullo mo-„do poſſe fieri, ut tanta hominum reforma-„tæ evangelicæ religioni addictorum multitudo „Provincias exeat & patriam charam relin-„quat; tum etiam artificia opificiaque mi-„grarent non ſine magna obſequiorum & vec-„tigalium ſuæ Majeſtatis diminutione."

Repli-

Replicuerunt Regii : „ In Religione regiam „ Majeſtatem nè apicem quidem concedere poſſe „ aut velle : verùm iis , qui diſcedere volent , „ permittere ſpatium ſex menſium , dummodò „ intereà ſe abſque offendiculo gerant , quo „ facultates ſuas quanticumque poſſint vendant : „ præterea etiam octo aut novem annorum „ tempus , quo ſuis bonis fruantur , dum„ modò ea catholicis romanis adminiſtranda „ tradant atque committant. Regem certè po„ puli diſceſſum summoperè dolere ; verùm „ quod ſi ſe aliis accommodare nolint , id „ nequaquam Regi ſed ipſiſmet imputandum eſſe. „ Regem interim non dubitare , ſi extranei „ ſaltem concionatores & conſiſtoriorum colle„ gæ , & alii non nulli , qui turbis concita„ tis prætextu quodam ademptionis privilegio„ rum has novitates primi introduxerunt , aut „ reſipiſcant aut ex Provinciis diſcedant , quin „ populus probè inſtructus non difficulter ſit „ acquieturus & Regis voluntati obtemperatu„ rus. "

Anno 1575.

Repoſuerunt Orangiani , „ Se neſcire quor„ ſum tendat ex patria migrandi conditio : reſ„ ponderuntque ingenuè , nequaquàm conſultum „ videri patriam aut religionem ſuſceptam re„ linquere : cupiebant autem rogatum Regem , „ ut in cauſa conſcientiæ jubeat deſiſti ab igne „ & gladio , pollicenturque in aliis rebus debi„ tam ſuæ Majeſtati obedientiam. " Ad hæc iterùm alia à Regiis repoſita fuerunt. Ita *Haræus*. Et tandem 14. julii infectâ re deceſſerunt.

Abrumpitur.

Cum autem intereà prævideret Requesenius pacis negotium non vergere ad optatum finem , 4. julii nomine Regio Antverpiæ edictum dedit , quo prohibebatur omnis communicatio cum rebellibus. Edictum illud refertur apud P. Bor. L. 8.

Prohibetur communicatio cum Rebellibus.

Anno 1575. vebatur, num quando Rex ultrà terminos ſtatueret pro condonatione, dicta facultas pontificia adhuc perſeveraret. Cumque plurimi ad obedientiam Regis redirent & abſolvi ob dictum dubium non poſſent, Rex ipſe ad Pontificem deſuper ſcripſit, qui dubium tollens prædictam facultatem non tantum renovavit, ſed & pro majori cautela eam non tantùm Archiepiſcopo Cameracenſi, ſed & omnibus Belgii Archiepiſcopis & Epiſcopis ac eorum Vicariis & Officialibus in ſolidum & ab eis ſubdelegandis, eandem facultatem conceſſit; quandocumque & quoties per PHILIPPUM Regem aut ejus in Belgio Gubernatorem requiſiti fuerint. Bulla deſuper data 25. febr. 1576. refertur Dipl. Belg. *Tom. II. Par. III. cap.* 167.

Synodus II. Diœceſana ſub Sonnio Epiſc.

FRANCISCUS SONNIUS Epiſcopus noſter, qui ſub initium Epiſcopatûs ſtatuerat quotannis celebrare Synodos diœceſanas, hactenùs ob malignitatem temporis non niſi unam celebraverat, aut ſi plures celebraverit, Statuta interim in illis vulgata non habemus. Itaque ſecundam, quam ſcimus, Synodum celebravit dictus Epiſcopus hoc anno menſe majo, quando agitabatur Bredæ de pace, & Statuta ſynodalia in ea publicavit 22. dicti menſis, quæ eodem anno vulgata ſunt typis Plantinianis, referunturque in collectione Synodalium, editâ 1680.

Decernitur ut ſinguli habeant hujus Statuta.

In dictorum Statutorum proœmio legitur: „Ut nemo ignorantiam noſtrorum ſtatutorum „prætendat, mandamus ut ſinguli Paſtores „apud ſe habeant libellos tam Concilii œcu„menici Tridentini, quàm provincialis Mech„linienſis, quibus etiam hujus diœceſani ſta„tuta adjungat: eoſque ſic legant & relegant; „ac annotatiunculis memoriæ ſuæ aptent, ut „in illis ſeriò ſtuduiſſe videantur.“

Titulus

Titulus primus eſt *De Sacramentis. II. De Baptiſmo*, ſub quo *Cap.* 3. „Ut anabaptiſtarum fraudibus, quantùm fieri poteſt, occurratur, requirimus omnes Magiſtratus noſtræ diœceſis, ut cogant omnes obſtetrices, tam admiſſas quàm admittendas, ad præſtandam ſufficientem cautionem pro mulcta ſolvenda, toties quoties prolem aliquam ultrà viginti quatuor horas ſine paſtoris conſenſu differunt baptiſmo præſentare."

Anno 1576.

De Obſtetricibus.

Cap. 4. „Item ut obligent omnes, dum admittentur, vel ſub juramento vel ſub certâ mulctâ, ad accuſandas eas, quas ſciunt ſecretò operam ſuam præſtare hæreticis aut hæreticorum mulierum partus celare." *Cap.* 5. „Nè fortè obſtetrices ipſæ inficerentur, cavetur, nè ulla impoſterùm obſtetrix admittatur niſi ad unum annum.

Titulus III. eſt *de Sacramento Eucharistiæ*. 4. *de Sacramento Pœnitentiæ*, ſub quo *Cap.* 1. „Statuimus, ut Paſtores ad Epiſcopum referant octo ut minimùm diebus ante concilium diœceſanum nomina eorum, quos putant non obſervaſſe canonem *Omnis utriuſq; ſexûs*." Cap. 2. „Ut hoc faciliùs conſtare poſſit Paſtoribus, mandamus omnibus confeſſariis etiam religioſis, ut circà feſtivitatem Paſchæ nomina omnium ſibi confitentium in regiſtro deſcribant, illudque Paſtori confitentium tradant, ut ex eo colligere poſſit, qui ſuorum Eccleſiæ conſtitutionem contempſerint." Cap. 8. „Ut proſtibulorum ſcandala minuantur & frequentantes confuſione loci prohibeantur, requiruntur locorum Magiſtratus, ut ea non niſi certo loco & ad angulum aliquem civitatis rejecto tolerent, pœnaſque graviſſimas conſtituant iis, qui alio loco ſcorta fovent aut hoſpitium concedunt."

De Confeſſione Paſchali.

De Meretricibus.

Anno 1576. Suprà *tom. II. p.* 187. & *tom. IV. p.* 51. vidimus Senatum Antverpienſem meretrices compuliſſe ad determinatum civitatis locum, extrà quem proſtibula habere non liceret. Sed jam id iterùm exoleverat. Deſiderat itaque Epiſcopus & requirit Senatum, ut Edicta deſuper olim edita renoventur.

De Ordinatis titulo partimoniali. Titulus V. *De ordinandis*, ſub quo Cap. 5. legitur: „Statuimus, ut ordinandi ad titulum „ſui patrimonii . . . poſſint, quando Nobis „videbitur, ſervitio alicujus Eccleſiæ noſtræ „diœceſis deputari juxtà conſtitutionem capitis „2. ſeſſionis XXI., à qua ſine conſenſu noſtro „juxtà caput 16. ſeſſionis XXIII. recedere eis „non liceat."

De Concionatoribus. Titulus VI. *De ſponſalibus & matrimonio. VII. De divino cultu. VIII. De doctrina Paſtorum*, ſub quo Cap. 2. „Volumus Paſtores in principio concionis recitare linguâ vernaculâ tractim & intelligibiliter Orationem dominicam, „Salutationem angelicam, Symbolum fidei & „decem præcepta Decalogi; in fine autem confeſſionem generalem, quam vocant vulgò „*die nabiecht.*"

De frequentatione tabernarum. Titulus IX. *De honeſta clericorum converſatione*, ſub quo *Cap.* 1. „Mandamus nè quiſquam „de clero ſe immiſceat uſquam potatoribus in tabernis vinariis aut cereviſiariis, ſub pœna unius „floreni primâ vice, pro ſecunda vice pœna duplicetur, pro tertia verò vice arbitrio Ordinarii „augebitur etiam uſq; ad depoſitionem, ſi „protervi inveniantur." *Cap.* 3. „Capillitium

De Clericorum capillitio. „item, qui illud ad aures uſque propter capitis malam conſtitutionem geſtare non valebunt, ita decurtare faciant, ut plurima „pars capillorum in capite remaneat, ut videantur plus neceſſitate quàm levitate non gerere capillitium." *Cap.* 6. Pallio qui uti vo-

Pallio. „lent, tale habeant ut à decore clericali non

„ſit

„ſit alienum, eoque tantùm in pluviæ ne-
„ceſſitate utantur." *Cap.* 11. „Camiſias ad
„collum & manus ſimplices, non rugatas nec
„arte laboratas habeant: ſapiunt enim levita-
„tem." *Cap.* 15. „Diſtrictè præcipimus, nè
„quis Paſtorum.... laïcorum bona procu-
„ret...

Anno 1576.

Camiſiis

Nè laïcorum bona dirigant.

Titulus X. *De feſtis & jejuniis.* XI. *De ſuperſtitionibus.* XII. *De ſcholis parochialibus.* XIII. *De bonis fabricæ & S. Spiritûs.* XIV. *De Teſtamentis.* ſub quo *Cap.* 1. „In primis ſtatui-
„mus ut Legatum, quod fabricæ Eccleſiæ
„Cameracenſis ſolet relinqui, hoc omnibus
„locis noſtræ Diœceſis in poſterum relinqua-
„tur fabricæ cathedrali Antverpienſi."

De legato relinquendo Cathedrali

Titulus XV. *De raptu & clandeſtinis promiſſionibus.* Tandem XVI. & ult. *De teſtibus Synodalibus reſtituendis*, ſub quo *Cap.* 1. „Quia pec-
„candi licentia multùm invaluit ex eo, quod
„crimina Superioribus plerumque celentur: hinc
„præſenti ſtatuto ad vivum obſervari volumus
„cap. *Epiſcopus* 35. quæſt. 6., mandantes
„Decanis noſtris, ut in ſingulis Parochiis con-
„ſtituant duos viros honeſtos & zeloſos teſtes
„Synodales, qui concubinarios, adulteros,
„clericorum invaſores ac percuſſores, uſura-
„rios contractuſque illicitos exercentes, &
„quæcumque crimina ad noſtram correctio-
„nem ſpectantia, quotannis coràm ipſis De-
„canis aut aliis ad hoc à nobis deputandis ex-
„ponant; ut habitâ inquiſitione poſſit contrà
„eos procedi ad emendationem."

De teſtibus Synodalibus.

EPISCOPUS SONNIUS vix ultrà menſem huic Synodo ſupervixit: poſt multos enim pro Eccleſia Dei exantlatos labores, magìs laboribus ac adverſitatibus quàm annis fractus, nè videret dies malos & deſolatam ac direptam civitatem, ſublatus eſt è vivis in palatio ſuo 29.

Epiſcopus Sonnius moritur.

Anno 1576. junii hujus anni 1576. condito pio teſtamento; quo Capitulum ſuum cathedrale & Abbatiam S. Bernardi ſcripſit hæredes, & ab utriſque celebrandum quotannis Anniverſarium ſuum fundavit, ac Eleëmoſynariis & omnibus penè religioſis domibus legata ſcripſit.

Quis fuerit. Natus erat in pago *Son* in diſtrictu Sylvæducenſi, unde dictus SONNIUS. Nomen familiæ erat *Van den Velde*, latinè *De Campo*. Vivaci ingenio licèt puſillus corpore, primus fuit Lovanii in ſchola Artium an. 1527. Dein Medicinæ operam dedit anno uno, ac mox mutatâ ſententiâ Theologiam amplexus fuit alumnus collegii Adriani VI. Hinc cura illi demandata fuit Eccleſiæ Meerbecenſis extrà Lovanium; inde in urbe ad S. Jacobum: ac demùm Canonicus in D. Petri & S. T. D. Profeſſorque ordinarius. Vigore nominationis obtinuit Præbendam cathedralis eccleſiæ Ultrajecti, in qua & Inquiſitor hæreticæ fuit pravitatis. Ex hac urbe PHILIPPUS II. Hiſp. Rex & belgarum Princeps *Sonnium* Tridentum ad Concilium, Wormatiam anno 1557. ad colloquium, Ferdinando Rege Romanorum inſtante, unà cum *Judoco Raveſteyn* & *Martino Rithovio*, & denique an. 1558. Romam ad Paulum IV. P. M. miſit pro erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum: qui Pontifex *Sonnium* à ſe dimiſit titulo & habitu Protonotarii romani ornatum cum ſalario ſexcentorum ducatorum. Rex verò eundem primum ſylvæducenſem, hinc Antverpienſem nominavit Epiſcopum. *Faſti academici pag.* 109.

Scripta ejus. Scripſit & vulgavit *Catechiſmum* ſeu *Examen tyronum militiæ chriſtianæ* Ultraj. 1554. 8. & ſylvæ-ducis. 1570. 12. *Chriſtianæ Inſtitutionis formulam*, quam per modum Dialogi inter Magiſtrum & Diſcipulum ſcripſit Romæ anno

1558.

1558. Vidi alteram libelli iſtius editionem factam ſylvæ-ducis 1570. 12., in qua Præfatio, quam concludit Sonnius his verbis: *vale & Sonnii, cum Deum devotè oras, memineris. Romæ Calend. novemb. anno* 1558. *Demonſtrationem Religionis Chriſtianæ ex verbo Dei* Lib. III. Antv. 1562. fol. & 1564. 4., quibus à morte auctoris acceſſit lib. quartus *de VII. Sacramentis* 1577. 8. typis plantini. De his Libris ſic loquitur Sonnius in ſupracitata Præfatione: *Sume in manum noſtros* Demonſtrationum ex verbo Dei libros, *quorum tres in lucem prodiêre non ſine fructu, ut intelligimus; tres verò adhuc ſub incude publicæ utilitati præparantur, propediem & ipſi typis excudendi*: hæc ſcribebat Sonnius Romæ anno 1558. *Confutationem Calvinianæ confeſſionis* Coloniæ 1567., Duos *Libellos* per modum dialogiſmi, alterum latinè alterum teutonicè, ad uſum ludimagiſtrorum. 1571. *Inſtructionem ad Paſtores diœceſis ſuæ pro adminiſtratione Sacramentorum* vernaculè Antv. 1571. 8., *Statuta ad Clerum ſuum* Antv. 1571 8., ſuprà ad dictum annum relata. *Statuta Synodalia* Antv. 1576. 8. typ. Plant. Anno 1576.

Cor ejus exenteratum in Oratorio Abbatiæ S. Bernardi, reliquum corpus in cathedrali Ecclesia Antverpienſi magnâ pompâ ſepelitur: ubi ejus memoriæ poſitum eſt magnificum monumentum Præſulem decumbentem exhibens; ſed ob ſuccreſcentes tumultus demùm quadraginta annis poſt ejus obitum. Qualiter autem & quâ occaſione hoc monumentum ei erectum ſit, patebit ex ſubjecto Actu Collegiali. Sepultura ejus.

ALSOO myne Eerweerdichſte Heere den Biſchop *ende de Herren* Deken *ende anderen* Heeren van den Cappittele *van de cathedrale Kerc*- Monumentũ ipſi poſitum. *Ex Archivis Capituli.*

 ke

Anno 1576. *ke van onſer L. Vrouwen, van wegen ende uyten naeme van den ſterf-huyſe van wylen den Eerweerdichſte Heere* Biſſchop Sonnius, *aen myne Heeren* Borgemeeſteren *ende* Schepenen *verſocht hadden voldoeninge van twee obligatien, d'eene van duyſent ende d'andere van gelijcke duyſent ende tachentich guldens, dye de voorſchreve Heere Sonnius binnen ſijnen leven hadde gefurniert tot betaelinge van de gemutineerde Spaenſche ſoldaten, weſende reſpective van der daten den eerſten ende ſeventhienſte may* 1574., *omme daer mede te voldoen eenige legaten van den voorſcreven ſterf-huyſe alnoch openſtaende, ende te maecken eene* Sepulture *ende* Epitaphium *ter eeren ende memorien des voorſ. Heere* Sonnius. *Ende alſoo deſe Stadt in d'eene van de ſelve obligatien van duyſent tachentich guldens niet en was gehouden, ende dat op de tweede van een duyſent guldens eenich debat ſoude hebben mogen vallen, waer uyt queſtie ende geſchil tuſſchen den voorſcreven Heeren ende deſe ſtadt ſtande te ryſen: dan om't ſelve te weyren, ende begeerende mette voorſchreven Heeren te houden alle vrintſchap ende goede correſpondentie, waeren myne voorſcreven Heeren door hunne gedeputeerde mette ſelve Heeren van den Cappittele in communicatie geweeſt, ende eyntelijck t'ſamen overcommen ende geaccordeert, dat die voorſcreve Eerw'ſte Heere Biſſchop ende Heeren van den Cappittele aen de ſtadt ſullen overleveren de voorſcreven twee obligatien ende daer aff geven quitancie; in recompenſe van allen den welcken men van der Stadts wegen ſal doen maken de voorſcreve ſepulture ende Epitaphium. Met conditie dat by aldyen naemaels van de obligatie, bedragende als vore duyſent tachentich guldens eenige betaelinge geraeckte te commen,*

d'eene

d'eene helft daer aff ſal weſen tot proffyte van de voorſ. Heeren van den Cappittele (hìc in margine aliâ manu additum erat : *ende van den Heeren van S. Bernaerts , om die te appliceren achtervolgende den teſtamente van de voorſ. Eerw. Heere Biſcop Sonnius ſaligher*) *ende d'andere helft tot behoef van de Stadt.* Anno 1575.

Soo iſt't dat myne Heeren Borgemeeſteren *ende* Schepenen *hebben geordonneert den Treſoriers ende Rent-meeſtere metten ieerſten de voorſcreve Sepulture te doen maken inder manieren als hun is belaſt , ende de penningen daer toe noodich uuyt te reycken ende te betalen. Actum in Collegio primâ octobris* 1616. was ondert. *Jacobens.* Leeger ſtont. *Gecollationeert mette principaele acte geteekent als boven , is daer mede bevonden t'accorderen by my Greffier van de Treſorie der Stadt van Antwerpen G. van Once.*

Monumentum itaque Sonnio poſitum fuit poſt annum 1616. Non mirum ergò , quod Franc. Swertius in *Monum. ſepul. pag* 15. dicat , quod Epiſcopus ille ſepultus ſit *abſque ullo Epitaphio aut memoria tanto viro digna.* Swertius enim ediderat Libellum iſtum anno 1613. Poſitum autem fuit in Choro juxtà Altare ſummum ad partem meridionalem (nunc retrò Altare) additumque fuit hoc duplex epitaphium. Epitaphia.

D. O. M.

A ſole nomen mutuatus
Hìc occidit
FRANCISCUS SONNIUS
Qui ab humili ortù & per ſacri ſtudii gradus
Summoſque honores
Apud ſylvæducenſes annos IV.
dein

P 4 huic

Anno 1576.

huic urbi primus Antiſtes illuxit
Utque plures per belgium Antiſtites darentur
Legatus effecit.
Vim doctæ mentis & ſtyli Hæreſes ſenſerunt
Et Wormatienſe Colloqu.
Pependit ab ore docentis Lovan. Sylvæduc,
Et Urbis hujus populus.
At ſortem iniquam!
Vix annos ſex hic præfuit
dum ætate & meritis gravis,
â Principe Paſtorum evocatus,
deceſſit anno ſalutis MDLXXVI,
Æternum ut vivat, Lector precare,

Alterum.

D. O. M.

FRANCISCO SONNIO Brabantino
Ex Acad. Lovanienſi Doctori Theologo,
Primùm Sylvæd. poſt. Antverp.
I. Epiſcopo,
Invicto in hæreſes Athletæ,
Hìc ſpe reſurrectionis quieſcenti
Colleg. Canonicorum
Et S. P. Q. Antverp.
Parenti opt. L. M. poni cur.
vixit ann. LXX.
Obiit damno publico
Prid. kal. quinct. M. D. L. XXVI.
Mortalis cum ſis, mortuo benè precare.

Vicariatus XI annorum.

Defuncto Sonnio Capitulum ſede vacante, ſecundùm decreta Conc. Trid:, de Vicariis & Officiariis, qui Epiſcopatum adminiſtrarent, providit. Et illi quidem, quod potuerunt, & prout ferebant calamitates ſubſecutæ, præſtiterunt per undecim ferè annos, quibus Epiſcopatus

patus vacavit. Anno enim demùm 1586. menſe decembris *Sonnio* ſucceſſit ſecundus Antverpienſium Epiſcopus, cui dein alii continuata ſerie ſucceſſerunt, quorum catalogum ſubjuago. Anno 1576.

Philippus Nigri Bononienſis J. U. D. Cancellarius aurei Velleris, nominatus ad Epiſcopatum Antverpienſem anno 1560., ante inaugurationem obiit 4. januarii 1563. Epiſcopi Antverpienſes.

1. Franciscus Sonnius vulgò *Van den Velde* ex pago Son in diſtrictu ſylvæducenſi S. T. D. Epiſcopus ſylvæducenſis. Receptus 1. may 1570. obiit 29. junii 1576.

2. Levinus Torrentius Gandavenſis J. U. L. Archidiaconus Brabantiæ & Vicarius in diœceſi Leodienſi. Poſſeſſionem Epiſcopatûs cepit 15. decembris 1586., conſecratus demùm Epiſcopus Vilvordiæ 10. ſeptembris 1587. à Rege ad Concilium Statûs Belgii accitus, obiit nominatus Archiepiſcopus Mechlinienſis Bruxellis 26. aprilis 1595.

3. Guillelmus de Berghes Antverpienſis ex Baronibus Grimbergenſibus J. U. D. Decanus Cathedralis Leodienſis, conſecratus in Cathedrali Antverpienſi 29. martii 1598. tranſlatus ad Archiepiſcopatum Cameracenſem anno 1601. ſupervixit octo annis.

4. Joannes Miræus vulgò *Le Mire* Bruxellenſis S. T. L. ex Paſtore frigidi montis, Bruxellis ibidem canonicus in D. Gudulæ, Antverpiæ in Cathedrali conſecratus Dom. SS. Trinitatis 30. may 1604., obiit ſubitaneâ morte Bruxellis 12. januarii 1611.

5. Joannes Malderus natus Leeuwis S. Petri propè Bruxellas S. T. D. & Profeſſor regius ac Regii ſeminarii Lovanii Præſes, conſecratus 7. auguſti 1611., obiit 21. octobris 1633.

6. Gas-

Anno 1576. 6. GASPAR NEMIUS ſylvæducenſis S. T. D. & profeſſor, conſecratus in Æde ſua cathedrali 22. julii 1635. Traſlatus ad Archiepiſcopatum Cameracenſem anno 1652. ſupervixit quinque annis.

7. MARIUS AMBROSIUS CAPELLO Antverpienſis ex Ord. FF. Prædic. S. T. D. in Univerſitate Lov., anno 1647. nominatus ad Epiſcopatum Iprenſem, ad Antverpienſem verò anno 1652., ubi in Cathedrali ſua conſecratus fuit 13. ſeptembris anno 1654. obiit 4. octobris 1676.

8. AUTBERTUS VAN DEN EEDE Bruxellenſis J. U. L., ex Canonico, Scholaſtico, Theſaurario, Pœnitentiario, librorum Cenſore, Archidiacono cathedralis Antverpienſis & Vicario generali ſede vacante, conſecratus Epiſcopus Bruxellis ultimâ octobris 1677. obiit peſte 6. novembris 1678.

9. JOANNES FERDINANDUS DE BEUGHEM Bruxellenſis J. U. L. Decanus ad D. Gudulæ, conſecratus Bruxellis 12. novembris 1679. obiit Antverpiæ 19. may. 1699.

10. REGINALDUS COOLS Antverpienſis ex Ord. FF. Prædic. Epiſcopus Ruremundenſis, factus Epiſcopus Antverpienſis anno 1700. obiit Antverpiæ 2. decembris anno 1706. propè nonagenarius.

11. PETRUS JOSEPHUS FRANCKEN - SIERSTORPFF Bonnæ natus J. U. D. Canonicus Metropolitanæ Colonienſis, ibidemque Præſes Collegii Laurentiani, conſecratus Coloniæ 1. octobris 1711., cum ſedes ob bella vacaſſet quinque annis, obiit 19. octobris anno 1727.

12. CAROLUS D'ESPINOSA ex Ord. Capucinorum Epiſcopus Tricalenſis, ſuffraganeus Mechlinienſis, factus Epiſcopus Antverpienſis

anno

anno 1728., receptus ibidem 19. auguſti, obiit 31. julii 1742. æt. 84. Anno 1576.

13. GUILLELMUS PHILIPPUS DE HERZELLES natus Nivellis, Abbas prænobilis Abbatiæ S. Gertrudis Lovanii, & per octodecim annos Deputatus Statuum Brabantiæ, conſecratus 12. may 1743., obiit ſexagenarius 2. ſeptembris 1744.

14. JOSEPHUS ANSELMUS FRANCISCUS WERBROECK Iprenſis, Epiſcopus Ruremundenſis, receptus Epiſcopus Antverpienſis 12. martii 1746. obiit morte ſubitaneâ 24. decembris 1747.

JOANNES ANTONIUS DE ROBIANO Bruxellenſis Epiſcopus Ruremundenſis, nominatus ad Epiſcopatum Antverpienſem ſubterfugit, manſitque Ruremundæ, ubi obiit 28. junii 1769.

15. DOMIMICUS DE GENTIS Erkelenius Gelder, Ord. FF. Prædic. S. T. D., Theologus Caſſanatenſis, nominatus primò ad Epiſcopatum Ruremundenſem, conſecratus Romæ poſſeſſionem Epiſcopatûs Antverpienſis adivit 8. julij 1749. ibidemque 15. octob. ejuſdem anni ſolemniter eſt receptus, dein ab Imperatrice ad Concilium Statûs Belgii accitus, obiit 5. julii 1758.

16. Illuſtriſſimus Dñus HENRICUS GABRIEL VAN GAMEREN ex Saventhem nobili Brabantiæ Baronatu, Lov. an. 1719. declaratus Primus in Artibus, quas & docuit in Pedagogio Caſtri; dein S. T. Doctor, Regens ac Profeſſor ord.; Collegii Sabaudici, dein Majoris S. Spiritûs Præſes; poſſeſſionem Epiſcopatûs adivit 15. junii 1759, conſecratus Ipris 9. ſeptembris per Illuſtriſſimum D. *Guilielmum Delvaulx* S. T. D. Epiſcopum Iprenſem ſeniorem ſuffraganeum, aſſiſtentibus *Max. Anto. Van der Noot* S. T. & J. U. L. Epiſcopo Gandenſi

Anno 1576. denſi, & *Joan. Roberto Caïmo* S. T. D. Epiſc. Brugenſi; ſolemniter receptus Antverpiæ 8. octobris ejuſdem anni. Vir undequàque eximius, quem longævum nobis & ſoſpitem ſervet Deus.

Mala imminentia. Intereà dum *Sonnius* laborabat pro decenti reformatione Cleri & purificando & reſtituendo cultu divino, naſcebatur malum, unde tandem omnia tum divina tum humana ſuſdeque verſa ſunt. Tumultuantes milites Hiſpani proſcripti ſunt & declarati hoſtes patriæ; Ordines Provinciarum tranſegerunt cum Orangio, milites conſcripſerunt, & bellum egerunt contrà milites hiſpanos, quo eos Belgio pellerent. Hiſpani autem, qui erant in Arce Antverpienſi, inde erumpentes civitatem invaſerunt, incenderunt & diripuerunt, ac diu contrà Ordines tenuerunt. Ordines tandem à Rege deficientes alios principes advocârunt & inaugurârunt. Et tandem Antverpiâ omnes eccleſiaſtici pulſi & publicus cultus divinus eliminatus; donec Alex. Farnéſius poſt novem calamitatis annos reductâ civitate omnia reſtituit.

Requeſenius moritur. Initio hujus anni Requeſenius ab obſidione ziericzeana Bruxellas rediens ibidem excipitur ſeditione duorum ſignorum peditum Hiſpanorum corporis ſui cuſtodum, qui debita ſtipendia Bruxellanis extorquere ſtatuerant: ipſe autem ſedatâ ſeditione poſterâ die duos coryphæos ſuſpendi juſſit. Dein adhibitis exquiſitis mediis, quibus ziericzea in poteſtatem redigeretur, initio martii correptus febre peſtiali 6. ejuſdem menſis Bruxellis è vivis ſublatus eſt, & quartâ dein die ſepultus in templo Caudebergico.

Concilium Statûs Gubernat Belgium. Rex cum reſciſſet Requeſenii inopinatam mortem, Concilio Statûs committit Provincias belgicas, donec Gubernatorem miſiſſet, per

Anno 1576.

literas exhibitas Belgarum Ordinibus Bruxellæ congregatis Idibus aprilis. *Hanc Principis indulgentiam*, inquit Strada, *plus obfuiſſe Belgio quàm ejuſdem ſeveritatem, ſecuta inde Provinciarum pernicies brevì aperuit.*

Hiſpani milites tumultuantur.

Concilium Statûs aſſumptâ Belgii Gubernatione, diligenter ziericzeënſem deditionem urget, juvatque: & interim *Petrum Erneſtum* Mansfeldii Comitem exercitûs Regii nominat imperatorem, ac tandem ziericzeam 2. julii in poteſtatem redigit. Deditâ autem civitate, cum duo millia Walonum intromitterentur, & milites hiſpani ſe excluſos viderent, cum urbis direptionem animis propoſuiſſent, iterùm in ſeditionem verſi tumultuoſiſſimè aliquot annorum ſtipendia magnis clamoribus expoſcere inceperunt, & quidquid Præfecti monerent, audire noluerunt; ſed quæ in Schaldia ac Duvelandia reperiebant in prædam vertentes, iter Brabantiam verſùs inſtituerunt. Seditioſi hi Hiſpani Italique pedites & equites Bruxellas tendunt, ſed clauſis portis ingreſſus negatur: inde Willebrouki pago conſident, ubi Mansfeldius eos placare conatur, ſed fruſtrà. Tum 21. julii ſchaldim trajicientes in Flandriam deferuntur, ac 27. circà opidum Aloſtum pervenerunt, ubi tandem ſine magna reſiſtentia intromiſſi forum, vias, portas, valumque præſidio muniunt, permoleſti civibus & circumvicinis ruſticis. Gubernatores Belgii convocato totius Aulæ Concilio decretum faciunt, quo ſeditioſos milites Regis Belgarumque hoſtes declarant, ac ab omnibus ut tales jure tractari poſſe denuntiant. Intereà Aloſtani Hiſpani quotidiè excurſiones faciunt uſque ad portas Bruxellenſes, unde miſſi ad eos, ut acceptâ ſtipendiorum parte pax cum eis iniretur, ſed fruſtrà.

Declarantur hoſtes Belgarum.

Intereà

Anno 1576.

Gubernatores Belgii capiuntur.

Intereà Bruxellenſes tumultuantur & ſuſpectos habent regios Gubernatores, incitati per Orangianos. Unde machinante Orangio advocant Brabantiæ Ballivum cum cohorte trecentorum ſclopetariorum; quam recens Brabantiæ Ordinum juſſu conſcripſerat; qui cum dicta cohorte & aliis ſimiliter vocatis urbem intrat, & quartâ ſeptembris procedens ad conclave, ubi regii Gubernatores congregati erant, effractis portis intrat & eos captivos ducit nomine Belgii Ordinum. Hi exinde gubernaculum Belgii aſſumunt, & exereitum conſcribunt, quo hiſpanos milites belgio pellant.

Ordines Belgii Gubernant.

Volunt, ut Gubernator Arcis Antv. cum hiſpanis ſuis diſcedat.

Intereà Ordines, antequam hiſpanis bellum inferrent, *Sanchium Davilam* Arcis Antverpianæ Præfectum, diverſis ſcriptis literis, eò perducere conantur, ut acceptis ſtipendiis, traditâ Arce, cum omnibus hiſpanis impedimentiſque Belgio excederet: At is jam dudùm animo prævidens tale quid Ordines intendere; inito fœdere cum quibuſdam germanicarum legionum Præfectis, invicem promiſêre, ſervatâ Regi fide, Ordinum Gubernationi ſeſe opponere, ac in hanc rem legiones circà Antverpiam convenire juſſêre.

Flandri petunt & obtinent auxiliū ab Orangio.

Comes Reuſius Flandriæ renuntiatus Gubernator cum duodecim peditum ſignis à 12. ſeptembris non longè ab Arce Gandenſi conſidebat, nè Aloſtani ſimul Arce illâ potirentur. Cum autem flandri non ſatis Reuſio fiderent, mittunt 21. ſeptembris ad Orangium pro auxilio, qui paulò poſt ex zelandia ad obſidendam Arcem miſit octo cohortes cum nonnullis majoribus tormentis. Sic itaque Ordines Belgii cum auxilio Orangianorum obſidebant Arcem Gandenſem ad pellendos inde hiſpanos milites.

Interim

Interim cum jam milites hiſpani declarati eſſent hoſtes patriæ & bellum ageretur ad eos è belgio pellendos, ſuſpectum eſſe incipiebat quidquid fieret ab hominibus, quibus aliqua conſuetudo fuerat cum Hiſpanis. Cumque hìc Jeſuitæ præcipuè conſuetudinem cum ipſis habuiſſent, maximè in audiendis confeſſionibus, populus etiam maximè contrà ipſos incitabatur, & peſſima ipſis affingebantur. Hinc 25. ſeptembris concurritur undique ad Jeſuitas, minantur effringere fores, niſi celeriter pateat aditus: continuâruntque ibidem per tres horas à prandio. Mittitur militum cohors ad turbam ſedandam, ſed fruſtrà. Tandem venit *Comes de Everſtein* cum aliquot militum ſignis & Gubernatore urbis atque Markgravio. Hi furibundum vulgus propulſant, Collegium ingrediuntur, falſoſque eſſe rumores, qui de Jeſuitis ferebantur, comperiunt. Papeb. *Annal. Mss.* ex *Hiſt. domeſt.*

Anno 1576.

Tumultus apud Jeſuitas

Ex eadem Hiſtoria. hæc refert. Poſt paucos dies alius invaſit plebem furor. Sparſerant malevoli quidam in vulgus, unâ nocte cives omnes eſſe trucidandos operâ patrum Societatis, Franciſcanorum aliorumque eccleſiaſticorum: cui rumori tantum fidei fuit à pleriſque tributum, ut ſub veſperam noctis, quæ patrando facinori dicebatur deſtinata, facilè ſex millia hominum oppido exceſſerint, pernoctaverintque ſub jove frigido, veriti nè, ſi in civitate eâ nocte manſiſſent, omnes necarentur. Neque ſolùm Antverpiæ, ſed etiam per totum Belgium ſparſa eſt fama, in Collegio Societatis Jeſu ciſtas deprehenſas refertas ſicis & mucronibus, quas invidi in hunc finem paraverant, ut eis oſtenſis Clerum adducerent in invidiam, aſſerendo eos ipſos pugiones eſſe,

Falſa affinguntur generatim Eccleſiaſticis.

quibus

Anno 1576.

quibus interficiendus populus erat. Ita Auctor Hiſt. domeſt.

Ordines Belgii cum Orangianis agunt de pace.

Non multò poſt ex Ordinum copiis tria circiter Walonum millia ab hiſpanis cæduntur ad Walemum inter Antverpiam & Mechliniam. Huic acceſſit & alia Ordinum clades : Trajectum ad Moſam obtinent Hiſpani 20. octobris, eamque diripiunt. Convenerant interim Gandavum 12. octobris Aldegondius & alii Orangiani legati cum legatis Ordinum de pace acturi.

Parant obſidionem Arcis Antverpianæ.

Unum angebat hoc tempore Belgii ordines, quâ nempe ratione *Davilam* cum hiſpanis Arce Antverpianâ ejicerent. Erant Antverpiæ cum Ordinibus ſentientes *Carolus Philippus Croüiacus*, *Fredericus Perenottus* urbis Præfectus cum aliquot cohortibus, *Oberſteinii* Comes cum majori legionis ſuæ parte, de quorum fide ordines certi. Antverpiam proficiſci jubent *Philippum* Egmundii Comitem, *Heſium* & *Berſelium* cum recenter conſcriptis Legionibus, Mechliniâ, Bruxellâ, Lovanio ac vicinis locis è præſidio evocatis; ſequique *Beverum* cum ſuo equitatu, ac ordinariarum turmarum equites trecentos. *Egmundium* autem omnibus præfecerunt.

Antverpia munitur contrà hiſpanos.

Dum hi expectabantur, cœperunt Antverpienſes viâ præcipuè dictâ *de Clooſter-ſtraet*, ac aliis ab Arce ad urbem ferentibus, foſſas ducere, vallumque erigere, omniaque moliri, quæ hiſpanis ex Arce urbem invadere volentibus impedimento eſſe poſſent. Tandem *Egmundius* cum peditatu & equitatu intromittitur 3. novembris : horum autem auxilio Antverpienſes magno hominum numero cœptas munitiones augere conantur; ſed impediti ab irrumpentibus ſingulis momentis hiſpanis parùm fecerunt.

Creverat

Creverat interim Hiſpanorum numerus ex omnibus locis ad *Avilam* convolantium. Eodem die; quo *Egmundius* cum ſuis urbem intraverat, erumpentes centum hiſpani in civium munitiones, 50. ciciter occiſis; aſcenderunt, & viſis operibus in Arcem revertuntur: inde tanta vis globorum univerſam vaſtabat urbem, ut nuſquam ferè cives militeſque eſſent tuti. Davilæ nocte in Arcem acceſſerant qui Aloſto, Lirà & Trajecto veniebant: unde ſequenti die 4. novembris circà meridiem; pauciſſimis in Arce manentibus, circiter quinque millia peditum ſimul & equitum in Ordinnm copias civiumque cohortes magnis animis erumpunt. Primi obſtitêre *Egmundii* Legionis milites; ſed ſtatim concepto timore, ob invadentium tot Hiſpanorum ardorem, arma abjecturi videbantur, niſi *Heſii* & *Bercelii* Legiones in auxilium adductæ pudore eos ſtare pugnareque coëgiſſent: ſed & hi pro majori parte tyrones; hiſpanorum non ferentes impetum, intrà urbem deſertis munitionibus ſe recepêre. *Egmondius* in prima pugnans acie, cum cæteros ſequi aut nollet aut non poſſet, in D. Michaëlis Abbatiam cum ſuis confugit: ſed, undique hiſpanis eam invadentibus cadentibuſque pugnando ferè omnibus, captus ad Arcem perducitur. Hæc eſt illa irruptio hiſpanorum militum in Abbatiam S. Michaëlis, quam Papebrochius *Act. SS. Tom. 1. junii pag. 956. n. 94.* adſcribit anno ſequenti 1577.; & de qua dicit, quod ſi quid in Abbatia ſupererat ſacræ prophanæque ſupellectilis, exportantes ſpoliatiſſimam reliquerunt.

Anno 1576.

Hiſpani ex Arce invadunt civitatem.

Pellunt milites Ordinum.

Cædunt eos in Abbatia S. Michaëlis.

Abbatià in poteſtatem cum Egmondio cæteriſque redactâ, Hiſpani ad urbis interiora pergentes, ad templum cathedrale perveniunt; ac ultrà Heſii, Berſelii ac Oberſteinii legiones

Procedunt ad interiora.

Anno 1576. ſuprà octo civium millia in armis reperiunt; creſcebatque numerus ex omnibus locis: adeò ut preſſi hiſpani retrocedere cogerentur uſque ad pontem D. Joannis. Eum occupantes moſquetarii hiſpani cives militeſque repulerunt, donec advecta quatuor ex Arce mediocria tormenta in cives militeſque exonerarentur, advolanteſque undique in unum equites peditibus auxilio, latera civium invadentes omnes in fugam egiſſent. Sed ſequentes hiſpani, cum ad forum majus veniſſent, novas reperiunt civium militumque manus, Curiamque civium moſquetariorum plenam, à quibus non pauci ſternebantur ac vulnerabantur hiſpani. Quare eorum calones & lixæ, qui ſtramen aridoſque faces in eum uſum ex Arce portaverant, iis incenſis Curiam, anno 1560. è fundamentis inſigni ſumptu extructam; cum proximis civium ædibus circiter quadraginta abſumpſêre, omneſque hâc ratione propugnatores profligavêre. Ita *Haraeus*. *Strada* dicit octoginta circiter civium domus abſumptas. *P. Bor* ſic conflagrationem domorum deſcribit: *Daer verbrande mede de naeſte huyſen, de Sout-ruye, de Suycke-ruye, de Boter-ruy-ſtraete, de Kaes-ſtrate, de Appel-ſtrate, de Silver-ſmit-ſtrate, de Braderye-ſtrate, den Lieven-vrouwen-pandt ende den Silveren-pandt, met een deel van de Dornick-ſtrate, de nieuwe huyſen die getimmert waren van witten gehouwen ſteen op de plaetſe van het oude Stadt-huys ende de Vlaſch-merckt.* Papeb. *Annal. Mss.* refert etiam conflagraſſe: *beyde de oude Bors-ſtraten, S. Joris poort, de Eyſere brugge.* Damnum autem hoc incendio illatum putabatur, inquit P. Bor, aſcendiſſe ad tres milliones auri.

Incendunt Curiam.

Et circumvicinas domus.

Tota urbe potiuntur.

E foro ad Burſam anglicanam & forum boarium delati hiſpani novas inveniunt copias, ſed

quas

quæ intellectâ civium militumque ad Curiam clade, concepto pavore; vix tentatâ pugnâ in varias partes diffugêre: nec ampliùs quiſquam totâ urbe hiſpanis ſeſe oppoſuit. Ordinum autem milites in novam fugientes civitatem conſcenſis navigiis in Zelandiam ad Orangium ſe receperunt, quâ occaſione plures in aquis periêre. Anno 1576.

Ceciderunt è civibus ac Ordinum militibus ampliùs quinque millia, ex hiſpanis circiter ducenti. Ita *Hareus*. Verùm *P. Bor.*, dicit, duo millia quingentos mortuos repertos in plateis; creditumque tot aquis ſubmerſos; præter eos, qui incendio perierant & eos, qui dein frigido ſanguine trucidati fuerunt. Ex Senatu, inquit, perierunt *Goſwinus Warick* Marckgravius; *Joan. van der Meeren* Burgimagiſter; *Joan. vun den Werve*, *Lancelotus van Urſele*, *Franciſcus des Pommereaux*, *Nicolaus van Boeckholt*, *Franciſcus van de Willighe* & plures alii è Senatu & plures honeſtiores cives. Accidit clades hæc quartâ novembris; ut indicant hi verſus numerales. Cæſi in hac clade.

QUARTA, HEU! LUCE RUIT ANTVERPIA VICTA NOVEMBRIS,
CIVE ORBATA, EXUTA LARE AC EXUTA NITORE.

Exinde Hiſpani ad prædam & crudeles extorſiones converſi nihil opulentiſſima in urbe intactum reliquêre; ſed eam tribus in primis continuis diebus deprædantes ac ſpoliantes; incredibiles congreſſêre ac mox iterùm plures luſu aleæ dilapidavêre opes. Prædando, torquendo, vim inferendo laſſi potiùs quam ſatiati, tandem amplexâ quiete ædes, ubi diverterent, ſinguli pro voluntate legunt, diligenter contrà Spoliant civitatem.

Anno 1576. Ordinum milites, qui in vicinis hærebant pagis, excubantes, donec 26. martii anni ſequentis Arcem ſimul & urbem reliquerunt. Ita *Haraus*.

Miræus Epiſc. adſcribit hæc ultioni divinæ.

Miræus Epiſcopus, qui in Oratione ad Synodum diœceſanam an. 1610. calamitates & turbas annorum 1566. & 1567. adſcripſit ultioni divinæ ob depravatos eccleſiaſticorum mores, eidem etiam hanc adſcribit in eadem Oratione. „Quis à lacrimis, inquit, ſibi temperet, „qui Rmi SONNII tempora intuebitur? Primus „hic Antverpienſium Præſul, cum provinciali „Concilio Mechliniæ interfuiſſet, & in urbe in„ſuper ſua Diœceſanum celebraſſet, præclara „multa utriuſque Synodi ſtabilita ſuffragiis pro„mulgavit; quæ dum negliguntur aut ſepo„nuntur, paucis poſt obitum ejus menſibus, „alia rerum turbatio exoritur: & nè quid ad „miſeriarum cumulum deeſſet, ab ipſis etiam „præſidiariis militibus idem Clerus bonis ſpolia„tur anno nimirum decimo ab eo quem Ico„noclaſticum omnis poſteritas nominabit & de„teſtabitur."

Arma jubentur deferri ad Arcem.

Cum Hiſpani milites jam non tantùm Arcem ſed totam civitatem occuparent, prodiit Edictum 9. novemb., quo mandabatur, ut omnia arma deferrentur ad Abbatiam S. Michaëlis, deferenda dein ad Arcem. Ita refertur in regiſtro civitatis dicto *Placcaetboeck fol.* 13. ut notatum vidi in *Chron. Mss.*, in quo & ſubjunctum in dicto libro notatum refertur.

Libri ſalvati ex Curia jubentur reſtitui.

Eodem tempore ex parte Senatûs publico Edicto inhibitum, nè quis bona à militibus direpta emat: & cum ex conflagrata Curia plures libri & chartæ eſſent ſalvati, mandatum eſt, ut id indicetur Graphiario *Dyck* vel Secretario *Van der Neeſen.* Certè non pauca utilia ex hoc incendio ſalvata ſunt & relata,

quæ

quæ hodieque in archivis Curiæ adſervantur. *Anno 1576.*

Decimâ octavâ decembris prodiit Bruxellis ſub nomine Regis Edictum, quo concedebatur mercatoribus & civibus Antverpienſibus, ut bona direpta revindicare poſſent, & annullabantur omnes contractus occaſione direptionis cum hiſpanis initi &c. Edictum iſtud refert P. Bor *Lib. IX. pag.* 187.

Contractus cum militibus initi reſcinduntur.

Huc uſque quidem in negotio pacis, quod Gandavi inter Ordinum delegatos & Orangianos, ut diximus, à 12. octobris agebatur, non paucæ nec exiguæ difficultates ſe objecerant: at nunc Antverpiâ tam crudeliter ab hiſpanis direptâ pax coiit 8. novembris.

Pacificatio Gandenſis.

In ea Art 2. promittunt Ordines Brabantiæ, Flandriæ, Artheſiæ, Hannoniæ &c., Princeps quoque Orangius & Ordines Hollandiæ & Zelandiæ cum ſuis fœderatis, ſe mutuo poſthac ſervaturos, & à ſuis ſervari curaturos, inviolabilem pacem; & auxilia mutua conſilio, facultatibus & ſanguine collaturos ad expellendos in primis Belgio milites hiſpanos & quoſcumque alios extraneos; utpote qui præter juſtitiæ normam machinati ſint Belgii Principibus & Nobilibus vitam eripere, provincialium opes invadere & populum belgicum ad perpetuam ſervitutem redigere.

Quidam ejuſdem Articuli.

Art. 3. Statim poſt Hiſpanorum & reliquorum diſceſſum, rebus omnibus ſedatis, pars utraque curare tenebitur, ut Ordinum generalium Conventus celebretur, ut de rebus Provinciarum & generaliter & ſpecialiter in commune ordinetur tam de Religione in Hollandia, Zelandia, Bomela & fœderatis locis, quàm de reſtitutione Arcium & aliorum ad Regem ſpectantium; ſicut ad Regiæ Majeſtatis commoditatem & Provinciarum ſalutem conducere videbitur.

Anno 1576. Art. 5. Decreta omnia olim contrà hæreſes promulgata, eorumdemque executiones ſuſpendentur, donec ab Ordinibus aliter ſuper iis fuerit ſtatutum.

Art. 13. Diruentur columnæ, ſtatuæ, trophæa & alia ſigna, quæcumque à Duce Albano in infamiam & contumeliam tam ſupradictorum quàm aliorum ſunt erecta.

Reſpicit hic articulus ad ſtatuam, quam Albanus ſibi erexerat in Arce Antverpienſi &c.

Art. 20. Omnes Prælati & alii Eccleſiaſtici, quorum Abbatiæ, Monaſteria, fundationes & reſidentiæ extrà Hollandiam & Zelandiam ſunt, & tamen in iiſdem provinciis ſua habent bona, rurſùs proprietatem & uſum eorumdem bonorum habebunt, non aliter atque ſeculares.

Art. 21. Verùm quod ſpectat ad Religioſos & Eccleſiaſticos, qui in dictis duabus Provinciis & locis fœderatis profeſſi, initiati & dotati ſunt, & inde abierunt aut abſentes fuerunt, cum maxima pars bonorum ad eoſdem pertinentium ſit alienata, iiſdem poſthac ſuppeditabitur decens alimentum aut bonis ſuis frui permittentur pro ordinum ſive Statuum arbitrio, donec ad illorum ulteriores prætenſiones à generalibus ordinibus aliter fuerit conſtitutum. Sic Articulos hos refert *Haraus*.

Non approbantur ab omnibus.

Approbârunt hanc pacem etiam Doctores tam Theologiæ quàm Juris Academiæ Lovanienſis, ſaltèm quod, pro præſenti rerum ſtatu, nihil catholicæ romanæ Religioni aut Regiæ auctoritati derogaret, ſed è contrà promoveret. Mirabantur tamen non pauci, inquit *Haraus*, quomodo negotium definiendi exercitii Religionis per totum Belgium ita ſuffragiis Comitiorum generalium permitteretur, ubi duæ partes

partes ſunt ſecularium & una tantùm eccleſiaſticorum. Hujus autem effectus patuit, dum anno 1578. in Pace, quam vocant Religionum, plus Calviniſtis in Brabantia, Hannonia & aliis provinciis, ubi numquam uſum ſuæ religionis habuerant, conceſſum eſt, quàm Romano-catholicis in ſua antiquiſſimæ poſſeſſionis Hollandia & Zelandia. Anno 1576.

Dum autem deinceps patuit, catholicos per ſectarios in hâc pacificatione deceptos fuiſſe, Mich. Baijus Doctor Lov. ſic deſuper ſcripſit ad Abbatem Parcenſem: *Non eſt novum Viros bonos hæreticorum perfidiâ & aſtutiâ deludi; ſicut ex concilio Ariminenſi & plurimis hiſtoriis, atque etiam recentibus exemplis (vel ſolâ illâ in Amſtellodamenſes & Harlemenſes hæreticorum perfidiâ) nimis manifeſtum evaſit.* Epiſtola hæc, in qua rationes refert, quæ catholicos induxerunt ad conſentiendum in dictam pacificationem, prelo edita fuit Lov. & Col. an. 1579. & refertur inter Opera ejus.

Intereà nuntiatur, Joannem Austriacum Caroli V. filium nothum à fratre Rege Philippo miſſum, ut loco *Requeſenii* Belgium gubernaret, perveniſſe Lutzenburgum eodem die, quo Antverpia capta erat. Verùm Orangius conabatur eum ordinibus ſuſpectum reddere, & ordines multas ei conditiones præſcripſerunt, quæ tam diu utrimque agitatæ fuerunt, ut non niſi menſe may anni ſequentis concluſo tractatu Bruxellis receptus fuerit. Joan. Auſtriacus Gubernator Belgii.

Nihil tamen inter hæc ordines de cura belli intermittentes 12. decembris Edictum nomine Regis ediderunt, quo omnibus Magiſtratibus, Eccleſiis, Capitulis, contuberniis & ſocietatibus præcipitur, ut intrà octo dies poſt publicationem factam, torques aureos & argen- Edictum ad conferenda omnia argentea &c.

Anno 1576. teos, alia quoque opera publici juris ex auro & argento deferant, exceptis calicibus, hierothecis, crucibus, reliquiis & aliis conſecratis, ut ex iis pecunia confletur, pœna dupli inobedientibus propoſita, recepturi pro uncia argenti triginta octo ſtuferos, & pro uncia auri coronarii 22. florenos, traditis literis conſtitutionis reddituum, eâ lege, ut quicumque ſua redimere cupiat, id dicto pretio numerato poſſit, & nomine reddituum perpetuorum omnes accipiant ratione decimi quarti nummi & redituum vitalium ratione ſeptimi. Ita Haræus *pag.* 247. Edictum hoc Antverpiæ non eſt publicatum, cum milites hiſpani eam poſſiderent contrà ordines.

Joachim van Oprode S. T. D. Epiſcopus

JOACHIMUS VAN OPRODE Antverpiæ natus circà annum 1515. Philoſophiam didicit Lovanii & illic aſſumptus eſt ad Concilium Univerſitatis 28. martii 1543. Anno 1551. reverſus Antverpiam illic Paſtor fuit ad S. Andreæ per annos ſeptem, unde deceſſit Ultrajectum, ubi Paſtor fuit ad B. M. per annos quatuor, poſt quas ſacratus eſt Epiſcopus Hebronenſis & factus Suffraganeus *Frid. Schenkii* Archiepiſcopi Ultrajectini; quo non obſtante & Archiepiſcopo inducente rediit Lovanium & illic Doctoris Lauream in ſacra Theologia obtinuit 15. junii 1571. & poſt menſe ſeptembri ſequente Archiepiſcopus eum conſtituit ſuæ diœceſis vicarium generalem. Obiit autem 2. julii 1576. ſepultus in metropoli Ultrajectina, ubi adhuc hodie videtur ejus ſepulchrum cum hac inſcriptione: *Anno MDLXXVI. die ſecundo july deceſſit Rev.* D. JOACHIMUS AB OPRODE *S. Th. Doctor, hujus Eccleſiæ Canonicus, cujus memoria in benedictione ſit.* Notat Val. Andreas in Faſtis acad. pag. 122. ſtudioſè Epiſcopalem ejus titulum, ob metum hæreticorum, omiſ-

Epitaphium

ſum

ſum fuiſſe. De mandato Philippi II. Hiſp. Regis vulgavit Flandricè *Breviarium Doctrinæ Christianæ P. Caniſii*, cum multis explicationibus. Ultraj. 1576. Inſuper compoſuit multos pios libellos, qui in Hollandia mſſ. circumferuntur, D. Paquot *Mem. litt. XVI. p.* 170. — Anno 1576. Scripta.

Obiit etiam hoc anno in hac civitate, ubi Advocatum egerat, HIERONIMUS ELENUS Balenus è Campinia Brabantus, in Philoſophia Lovanii primus renunciatus anno 1542. Inter varia opuſcula juridica dedit Carmen *de jure Prætorii Antverpienſis* typis Plant. 1576. 8. Ejus opuſcula denuò prodierunt Ultrajecti anno 1725. in *Theſauro* juris Romani tom. 11. *pag.* 1393. Vide Foppens Bibl. Belg. *pag.* 481. — Item Hieron. Elenus Advocatus.

In novo Societatis collegio obiit etiam hoc anno 2. may JACOB. NAVARCHUS ejuſdem Societatis presbyter. Scripſerat *Epiſtolam* inter Indicas decimam octavam *de Archiepiſcopo Armachano*, Item aliam benè longam, quam *Aſiaticam* nominat, *De rebus Aſiaticis ad Religionem ſpectantibus, de Neſtorianis, Jacobitis &c.* de China, de Provincia magnæ Tangutiæ, de Tartaris aliiſque vicinis Regnis, extatque edita cum epiſtolis Indicis Lov. apud Rutgerum Velpium 1570. 8. Foppens *Bibl. Belg. pag.* 531. — Jacobus Navarcus S.J.

Anno 1577. die 5. januarii in foro combuſtus eſt Anabaptiſta dictus *Joannes Bret* ætatis 21. annorum, cum carcere detentus fuiſſet per octo menſes. Ita *Vita* ejus prelo edita anno 1582. per ejuſdem ſortis homines. — 1577. Anabaptiſta combuſtus

De concilio communi in diem 27. ejuſdem menſis, tunc dominicam, indicta fuit & inſtituta generalis Proceſſio per majorem circulum, pro publico poſt direptionem deſolatæ civitatis ſtatu; ſupplicabatur autem, ut Deo placeret reſtitue- — Proceſſio pro deſolata civitate.

Anno 1577. reſtituere commerciorum priorum abundantiam. Ità Papeb. *Annal. Mss.*, qui illud relatum dicit in Regiſtro civitatis, dicto *Lib. Mandatorum fol* 59. Similem Proceſſionem in eundem finem indictam fuiſſe ad 27. junii hujus anni, notatum invenio in quodam *Chron. Mss.* ex regiſtro *Placcaert-boeck fol.* 36.

Statuum unio. Ordines Belgii, qui JOANNEM AUSTRIACUM à Rege miſſum acceptare nolebant, niſi præmiſſis conditionibus, inter quas erat acceptatio Pacificationis Gandenſis & dimiſſio hiſpanorum militum, novam deſuper unionem iniverant. 9. januarii, cujus hæc erant præcipua verba: „ Nos ſubſcripti &c. Ordines Bel„gii conſtituentes promiſimus & promittimus, „nos perpetuò hanc Unionem retenturos & „obſervaturos ad ſacroſanctæ noſtræ fidei & „apoſtolicæ romanæ Religionis conſervatio„nem, & ad prædictæ Pacificationis (Gan„denſis) perfectionem, & ad hiſpanorum „eiſque adhærentium expulſionem, obedientiâ „ſuæ Majeſtati debitâ interim ſemper „ſalvâ."

Pax inter Auſtriacum & Ordines. Cum autem AUSTRIACUM inducere non poſſent ad acceptandas propoſitas conditiones, hujus Unionis exemplum ei tranſmiſerunt. Tandem Auſtriacus, etſi non ignoraret, quo tenderent ordinum poſtulata, ut qui cum Rege dearmato ipſi armati tranſigere vellent; Legatorum tamen Cæſaris in finem hunc in Belgium miſſorum, Legatorum etiam Epiſcopi Leodienſis, inter quos *Levinus Torrentius* dein ſecundus noſter Epiſcopus & Ducis Clivienſis conſiliis permotus, multa de ſuo jure remittere maluit, quàm catholicæ romanæ Eccleſiæ aut Regiæ Majeſtatis auctoritati (quam utramque ſalvam ſe velle & ordines dicebant) quidquam diſcederet. Marchiæ itaque in Fa-

menna delegatos ordinum ad ſe vocat, ut pax componeretur: ubi tandem eo res deducitur, ut Auſtriacus in pacem Gandenſem & conditiones ab ordinibus propoſitas 12. febr. deſcenderit, & Pax, dicta perpetua, conſcriberetur novemdecim Capitibus, quæ ad longum refert Haræus, undè pauca ſubjungo. Anno 1577.

Art. 2. „Cum Prælati Eccleſiaſtici, Theologi & Juriſconſulti academiæ Lovanienſis ſuis literis confiteantur & teſtentur Pacificationem, 8. novembris Gandavi confirmatam, nihil continere, quod ſanctæ Religioni catholicæ romanæ contrarium ſit, ſed multò magis Pacificationem eam bono & commodo ejuſdem Religionis factam eſſe; ordinum quoque Delegati affirment, eâdem Pace nihil obſervantiæ, auctoritati aut obedientiæ, quam Provinciæ belgicæ Regi ſuo debent, decedere; præſertim cum eadem etiam Legati Imperii & delegati Illuſtriſſimi Ducis Cliviæ teſtentur, Rex eandem Pacificationem omniaque ejus Capita approbat, rata facit & confirmat, & Principum Regumque fide pollicetur, ſe eam perpetuis temporibus inviolatam ſervaturum...” Ratificatur pacificatio Gandenſis.

Art. 3. „Omnes milites Hiſpani, Itali, Germani, Burgundi & alii peregrini... Belgio... diſcedant.” Peregrini milites diſcedant.

Art. 4. „Quoad tempus diſceſſûs, Regem Hiſpanis... conſtituere vigeſimum poſt Pacis hujus proclamationis diem... Illi interea arce & urbe Antverpianâ aliiſque omnibus arcibus.... & adeò toto Belgio decedant.

Art. 11. „Generales ordines per conſcientias, fidem & honorem ſuum coram Deo & hominibus pollicentur, ſe per omnia & ubique Catholica fides conſervetur.

Anno 1577. „ ubique locorum ſanctam catholicam apoſtoli„ cam romanam Fidem & Regi debitam auctoritatem & obedientiam inviolatam conſervaturos, nec ullo modo permiſſuros, ut iis „ quidquam contrarium committatur."

Pax publicatur. Pax hæc 17. febr. Bruxellis cum omnium bonorum lætitia eſt promulgata. *Haraus*. Antverpiæ autem ubi dominabantur milites Hiſpani promulgata eſt 27. ejuſdem menſis, ut indicat P. Bor. *Lib. IX. pag.* 191.

Orangiani contra omnes pænè hujus Pacis articulos proteſtati ſunt 19. febr. & ordinario ſuo modo cavillantes Edicto Pacis ſubſcribere quidem volunt, ſed non niſi ſub certis conditionibus, ad quas reſpondent ordines 1. martii.

Ratificant à Rege. Auſtriacus proſpiciens, quò Orangii & eorum, qui illi ſtudebant, conſilia tenderent, mox omnia, quæ pactus erat, ab ipſo etiam Rege confirmari curat, & ſignata ab eo 7. aprilis non multò poſt ordinibus exhibuit. Quin ipſe ſtatim, omnem diffidentiæ ſcrupulum remoturus, Marchiâ Namurcum & inde Lovanium profectus, ſponte ſua in ordinum poteſtatam venit. Lovanii aliquot hebdomadas ſe continuit & pænè ut privatus vixit; interim conatus ut apud omnes gratiam iniret; novoſque ludos feſtivitateſque tali cum familiaritate & comitate exhibuit, ut omnes in ſui deſiderium & amorem raperet. Orangius & qui ei ſtudebant, tantum populi favorem Auſtriaco invidentes & rebus ſuis metuentes, omnem ipſius comitatem ſimulatam eſſe, omnia illum è compoſito agere, ſuis perſuadebant. *Haraus*.

Auſtriacus Lovanii.

Hiſpani diſcedunt ex Arce Antv. Hæc & alia, quæ ipſi ab Orangianis affingebantur, non ignorabat Auſtriacus: ut itaque ſiniſtram omnem opinionem tolleret, 20. martii

Duci

Duci Arſchotano Arcem Antverpienſem tradidit hiſpanis evocatis. Cui traditioni Sanchius d'Avila Arcis Gubernator intereſſe noluit, ſed *Martinus del Hoio* Vicarius ejus claves Arſchotano tradidit, Walones ejus intromiſit & Hiſpanos eduxit Liram &c. Dici non poteſt inquit *Haraus*, quanta tunc Antverpiæ viciniſque in locis fuerit communis populi lætitia, quanta ubique feſtivitas.

Anno 1577.

Auſtriacus obſervat pacem, non Orangius.

Sic tandem omnes Hiſpani milites juſſu Auſtriaci deceſſerunt & profecti ſunt in Italiam. Hanc & omnes alias conditiones Pacis initæ cum Ordinibus præter expectationem brevì adimplevit Auſtriacus. Quibus ſimilia cum viciſſim ab Orangio & ſociis expectantur, ipſi non tantùm peregrinos ſuos non dimiſerunt, ſed & pagos, civitates ac propugnacula quædam magna cum feſtinatione communierunt, aliaque funditûs everterunt, ac multa ſimilia egerunt contraria edicto pacis.

Joannes Auſtriacus recipitur Gubernator Belgii.

Auſtriacus nihilominùs primo die may in magna Optimatum & nobilium frequentia inter Legatum apoſtolicum & Epiſcopum Leodienſem Bruxellam medius ingreſſus eſt, ab oppidanis incredibili pompâ exceptus, ibique quarto ejuſdem menſis, delato àb Ordinibus ſacramento conceptis verbis, præſtandam & ſervandam Patriæ fidem jurans, ad ſupremum Belgicarum Provinciarum Gubernaculum admiſſus eſt, omniaque confirmavit, quæ ordines titulo privilegiorum ei confirmanda obtulerunt. Ita *Haraus*.

Moniales de Bizelinge ſubjiciuntur Victorinis Antverpienſibus.

Cum interim negotia Religionis in Zelandia in tam miſerando ſtatu eſſent, ut nominatus Middelburgenſis Epiſcopus ibidem reſidere non auderet, nec affulgeret ſpes brevì adeundi reſidentiam, & diſciplina monaſtica ob continuas turbas collabeſceret; nominatus Epiſcopus curam

ram

Anno 1577. ram gregis ſuæ pro poſſe gerens, collapſum monaſterium monialium Victorinarum juxtà Biezelingen commendavit & plenè ſubjecit, tam quoad perſonas quàm quoad bona temporalia, Prioriſſæ monaſterii Victorinarum Antverpienſium (quod è dicto monaſterio de Biezelingen à tribus ſeculis derivatum erat, ut ſuprà vidimus ad an. 1279.) Diploma deſuper hoc anno 18. martii Coloniæ datum per *Joannem van Stryen* nominatum Middelburgenſem Epiſcopum integrum refert Papebrochius *Annal. Mss.*, unde illud ſubjungo,

Diploma Epiſ. Middelburgenſis deſuper.

„NOS JOANNES VAN STRYEN Dei „& Apoſtolicæ Sedis gratiâ electus Epiſcopus „Middelburgenſis in Comitatu Zelandiæ, notum „facimus omnibus, quoſcumque id attinuerit, „quod, cum propter graviſſimas rationes „ſtatutum habeamus aliò proficiſci, etiam nunc „pro parte è Belgio diſceſſerimus; nè cauſâ „abſentiæ & diſceſſûs noſtri Conventus Domi„cellarum nonnarum foris *Bizilinge* in *Zuyt*„*bevelandia* Ordinis SS. Auguſtini & Victoris, „cujus plena adminiſtratio ad Nos ſpectat, non „deveniat in deſolationem, ſed è contrario „religiosè, decenter & utiliter regatur & con„ſervetur, tam quoad perſonas quàm tempo„ralia bona; præmiſſâ deliberatione maturâ & „plenè confiſi de prudentia & diſcretione reve„rendæ Dominæ Dominæ JOANNÆ VAN TON„GERLOO Dominæ & Prioriſſæ domûs Dei & „Conventûs intrà civitatem Antverpienſem ſiti, „ordinis prædicti; conſtituimus & commiſi„mus, atque per præſentes litteras committi„mus & conſtituimus ipſam reverendam Do„minam JOANNAM adminiſtratricem & procu„ratricem tam perſonarum quàm bonorum con„ventûs & domûs Dei *Jeruſalem*: ut eaſdem „perſonas & bona, prout ſibi bene viſum

„fuerit,

„ fuerit , adminiſtret & regat ſecundùm ſuam „ diſcretionem , quoad receptionem & erogationem pecuniarum ad Dei gloriam & majorem ipſius conventûs utilitatem ; etiam cum personarum correctione ſecundùm Regulam , diſcretionem & utilitatem ; utque *Ymandum Claes* modernum quæſtorem conventûs à Nobis conſtitutum in officio retineat vel ab eo deponat , prout ſuæ Reverentiæ conſultum videbitur pro rerum conditione ; unumquè vel plures in ejus locum ſubſtituat , horumque & ipſius rationes excipiat & concludat ; utque ex ejuſdem *Ymandi Claes* vel aliorum quæſtorum manibus accipiat reliquata , deque omnibus in debita forma tradat quitanciam & tranſigat ; non obſtante interdicto per aliquam Nonnarum aut alteram quamcumque perſonam interpoſito vel interponendo ; ac denique in genere ad faciendum vel omittendum quidquid huc poterit utcumque ſpectare , & quidquid nos poſſemus aut deberemus facere , ſi ubique præſentes & inſpectantes eſſemus ; etiam quando opus eſſet mandato magis ſpeciali , quàm hiſce deſcriptum habetur ; ſignatim etiam circà omnes cauſas & lites , cujuſcumque generis ſint ; ſive petitoriæ ſive defenſoriæ , verbo aut ſcripto ; atque ad defendendum, tuendum & obſervandum jura Conventûs in quacumque Curia ſeculari vel eccleſiaſtica contrà quamcumque perſonam & in quacumque cauſa nullâ exceptâ ; item ad qualecumque conveniens juramentum , quod jus patietur , nomine noſtro & in animam noſtram præſtandum , prout id competere poteſt bono adminiſtratori & fideli procuratori ad cauſas & ad lites , cum poteſtate ſubſtituendi unum vel plures alios procuratores paris aut limitatæ auctoritatis Anno 1577.

„ & po-

Anno 1577. „ & poteſtatis ; promittentes ſub obligatione „ bonorum ipſius conventûs ratum , firmum „ atque in perpetuum ſtabile habere , quidquid „ à prædictâ *D. Joanna* ejuſque ſubſtitutis „ quæſtoribus aut procuratoribus ; inſimul aut „ ſingulis ſeorſim , circâ præſcripta tractabitur ; „ adminiſtrabitur aut agetur , & judicatum „ præſtare , ſi opus ſit : ſalvo quod ſua Reve„ rentia nobis tamquam Epiſcopo Middelbur„ genſi & ſuperiori Conventûs prædicti ab „ apoſtolica ſede conſtituto , atque ad id ordi„ nato , reddet æquam & congruam rationem „ adminiſtrationis ſuæ ad utilitatem ipſius con„ ventûs , quandocumque requiretur.

„ In quorum fidem publicam conſuetum noſtri „ Archidiaconatûs ſigillum ad cauſas hiſce „ appendimus ; eo quod ſigillum Epiſcopatûs „ noſtri ad manum non habeamus , & manu „ noſtrâ ſubſignavimus in civitate Colonienſi ; „ per ſubſcriptum Notarium publicum reſiden„ tem in prædicta civitate coram reverendo „ Patre ac Domino *Wilhelmo van der Lint* „ Epiſcopo Ruremondenſi & *Balthaſare Meſſyns* „ ad hoc ſpecialiter rogatis & vocatis die 28. „ menſis martii anno 1577.

„ *Subſcriptum* JOANNES VAN STRYEN electus „ Middelburgenſis. *Et infrà* : ad mandatum „ Reverendiſſimi Domini electi Middelbur„ genſis Gisbertus Lanzinck notarius apoſto„ licus. "

An autem Prioriſſa hæc per ſuam ſuperioritatem & curam quid magni effecerit in dicto monaſterio de Biezelingen , dubium eſt : quia res catholicorum in Zelandia ſenſim magis magiſque deciderunt ; & tandem totaliter perierunt.

Cæterùm Auctor *Hiſt. Epiſ. fœd. Belgii* in deſcriptione Epiſcopatûs Middelburgenſis *pag.* 55.

hæc

hæc circa monaſterium de Bieſelinge refert : Ultima Cœnobii Abbatiſſa fuit Dña. *Catharina Meſkens*, quæ ſub iconomachiam Antverpiam ad aſceterium *Vallis S. Margaretæ*, ablatis ſecum cœnobii ſui monumentis, ſe conferens, ea illic condidit in ciſtula lignea ferreis ligaminibus obducta & triplici ſerâ obſignata; ibidemque monialibus ſuis ſupervivens, obiit Antverpiæ 12. febr. anno 1612. Anno 1577.

Dum Auſtriacus Bruxellis recipiebatur, ab Orangio litteræ Ordinibus ſunt redditæ, quibus ſuadebat non tam facilè harum Provinciarum gubernaculum Auſtriaco eſſe committendum, niſi conditionibus etiam arctioribus quàm ejus Prædeceſſores. Quod ſubodoratus Auſtriacus apud Ordines agit, ut eâdem auctoritate, quâ ejus deceſſores, fruatur, & petit ut generalia Comitia celebrentur quàm citiſſimè, ut Orangius coërceatur &c. Hujuſmodi contentionibus res quidem nondum apertè ſed clam uſque medium may agebatur. Interim illud his effectum eſt, ut Auſtriaco plurimum de ſua apud populum gratia & auctoritate paulatim decederet. Auſtriacus 24. may ad Orangium miſit Ducem Arſchotanum & alios, qui poſtularent, ut pacis Marchianæ decretum in Hollandia & Zelandia promulgaretur &c. Reſpondit Orangius neque ſe neque ſuos in fœderis Marchiani capitibus conſenſiſſe, niſi certis conditionibus. His initiis odia & ſimultates inter Auſtriacum & Orangium paulatim eruperunt. Tandem Aldegondius & Theronius litteras, interceptas & ad Orangium miſſas, ab Auſtriaco ejuſque ſecretario ad Regem ſcriptas Bruxellas attulerunt; in quibus, ut contendebant, odioſa quædam Belgis habebantur. Ad hæc reſpondit Auſtriacus, ſi quid ſimile ſcriptum ſit, id factum fuiſſe antequam admiſſus eſſet Gubernator, Simultates inter Auſtriacum & Orangium.

Anno 1577. ſeque tunc ſcripſiſſe prout rerum ſtatus exigebat : quantùm ad ſecretarium ſuum dicit, ad ſe non ſpectare quid ille fecerit, &c. Cæterùm omnia, quæ per Auſtriacum agebantur, in malam partem vertebant Orangiani, & ubique contrà eum populum concitare conabantur.

Auſtriacus Arcem Namurcenſem occupat.

Auſtriacus itaque monitus ſe non in tuto eſſe, occaſione tranſeuntis per Hannoniam Margaretæ Francicæ Navarræi conjugis, convocatâ ad ſe præcipuâ Nobilitate contendit Namurcum, ei honoris cauſâ obviam iturus. Ibidem conſtitutus, lectis interceptis litteris ab Ordinibus ad Magiſtratum Namurcenſem ſcriptis, poſt maturam deliberationem Arcem Namurcenſem pro ſui ſecuritate occupat 24. julii. Et eodem die ad Ordines ſcripſit, facti ſui rationem breviter reddens. Et quidquid Ordines ſe excuſando & promittendo agerent, eum inducere non potuerunt ad redeundum Bruxellas. Hinc initium ſecundi Belli Belgici.

Arcem Antverpienſem Ordines occupant.

Tam Auſtriacus quàm Ordines loca occupata per ſibi addictos conſervare & alia æmulis adimere conabantur. Arx Antverpienſis occupata erat per addictos Auſtriaco, ſed Lidekerkius Ordinum mandato Antverpiam venit, cives armat & denuò in ſigna centuriaſque diſtribuit, ac ope quorumdam, ejectis aut cæſis militibus Auſtriaco fidelibus, Arcem 1. aug. poteſtati Ordinum tradidit. Germani Auſtriaco addicti primò Pontem meranum occupârunt, ſed confeſtim mutato conſilio in nova civitate ſeſe munierunt; ita ut meritò timeretur prœlium in ipſa civitate : at cum oblatam à civibus certam pecuniæ ſummam recuſarent, urbe 2. aug. ejiciuntur. Hinc 4. aug. habita fuit generalis Proceſſio in gratiarum actionem, quòd civitas liberata eſſet ab iſtis præſidiariis.

Chron.

Chron. Mss. ex civitatis *Placcaert-boeck fol.* 59. Anno 1577.

Sic in pluribus locis utrimque agebatur. Et cùm interim actitata pro pace nullùm effectum haberent, Ordines evocatis præſidiariis Arcem Antverpienſem civibus evertendam exſcindendamque tradiderunt. Hi ſumma cum lætitia mutuaque congratulatione opus hoc 28. aug. auſpicati; ſequentibus diebus abſolverunt. Antpienſium exemplum plures alibi ſunt ſecuti.

Arx Antverpienſis deſtruitur.

Ordines 6. ſeptembris ſtatuunt advocare Orangium & ad eum Legatos mittunt cum conditionibus, quas ille taliter qualiter acceptat. Interim inſtantibus Legatis Antverpiam venit 18. ſeptembris, civibuſque armatis advenienti occurrentibus comitatus; ſummâ cum pompâ urbem ingreditur. Inde 23. ejuſdem menſis per Legatos Ordinum Antverpiam miſſos, civibus armatis Antverpienſibus comitantibus & Bruxellenſibus occurrentibus, maximo cum triumpho & honore Bruxellas introducitur.

Orangius ab ordinibus advocatur & recipitur.

Ibidem cum Orangius mirè & ſuper omnes reliquos mox coli videretur, magna præcipuorum Procerum pars ejus præſentiam ſugillant, eâque catholicæ romanæ Religioni minus cautum eſſe in primis cauſantur. Itaque ut haberent quem Orangio opponerent; in Germaniam mittunt ad Archiducem MATHIAM rogantes, ut quamprimùm gubernacula Belgii nomine Regis Philippi avunculi (quòd Orangius alioquì catholicam Religionem ſubverteret) ſuſcipere dignaretur. Inductus Archidux 2. octob. Viennâ Auſtriæ diſcedit & Liram ſub medium octobris venit. Ordines generales & Orangius de hoc facto ſummopere mirantur & conqueruntur: alii nihilominùs Archiducem, quem vocaverant, Gubernatorem generalem Belgii

Advocatur & advenit Archidux Mathias.

Anno 1577. conſtituere nituntur, quod tamen ante 11. novembris factum non eſt.

Orangius Ruwardus Brabantiæ.

Interim 22. octobris Orangius conſtituitur RUWARDUS, id eſt quietis conſervator, Brabantiæ: abſtinendum enim erat à Gubernatoris titulo, quòd qui Brabantiæ præeſt, idem ſimul ſit totius Belgii Gubernator.

Archidux Mathias recipitur Antverpiæ

Jam Belgium omni ex parte ardebat, plures enim adhuc pro Auſtriaco ſtabant. Quare Ordines, quod hactenùs neglexerant, debitum natalibus Archiducis MATHIÆ honorem exhibere, & eum ad nobiliorem civitatem deducere decernunt. Itaque miſerunt, qui eum poſt magnificam ſalutationem ſecum Antverpiam ducerent, ubi inſigni pompâ 11. novembris exceptus eſt, magnificentiſſimèque habitus donec conditiones, quibus ad ſupremum Gubernaculum eſſet admittendus, conciperentur.

Auſtriacus declaratur hoſtis Patriæ.

Deinde ordines generales, nè Joannis Auſtriaci partes plures & incolæ & urbes ſequerentur, tum ut jure viderentur Mathiam Archiducem gubernaculo admovere, die 7. decembris Bruxellis JOANNEM AUSTRIACUM fœdifragum, perturbatorem publicæ tranquillitatis & hoſtem patriæ publico edicto declarârunt; citantes, ut quotquot ejus partes ſequebantur intrà quindecim dies compareant, non comparentes hoſtes & rebelles habeantur. Verùm non omnia membra Ordinum in hoc conſenſerunt, inter quos Prælati Hannoniæ &c.

Nova Ordinum Unio.

Die 10. ejuſdem menſis Ordines ut arctiori ſe invicem fœdere obligarent, pactum novum (Unionem vocabant) condiderunt. In hoc catholici & ſectarii invicem in protectionem ſuſcipientes promittebant ſe non permiſſuros, ut aliqua injuria fieret cauſâ religionis &c. Hoc latè patens multarum poſteà fuit turbarum prætextus

textus. Promittebant ſe communibus viribus privilegia &c. propugnaturos & reſtauraturos. Jurabant denique ſe communibus ſuffragiis Archiducem MATHIAM pro ſupremo Gubernatore ſuſcepturos & agnituros, ac ei obtemperaturos ſecundùm conditiones illi proponendas. Pactum hoc ab omnibus Prælatis, Nobilibus, Judicibus, urbibus & oppidis eſt approbatum & jurejurando confirmatum. Anno 1577.

Rebus ſic ex voto compoſitis & conditionibus in forma juramenti conſcriptis, die 17. decembris Ordines ad eum, Antverpiæ adhuc agentem, mittunt, qui ei conceptis jam conditionibus gubernaculum Belgii offerrent. Lectis conditionibus (quas Haræus *pag.* 269. ad longum refert) Archidux oblatam provinciam minimè contemnendam arbitratus, illam conditionibus propoſitis acceptavit. Sed quia adhuc adoleſcens erat, ei legatus ſeu Vicarius datus eſt Orangius; & 18. januarii anni ſequentis demùm Bruxellis receptus eſt. Hæc omnia latiùs referuntur ab *Haræo* & aliis, qui ex profeſſo de tumultibus belgicis ſcripſerunt.

Aſſumunt Mathiam in Gubernatorem Belgii.

Quantùm ad relatam Statuum Unionem & aſſumptionem Orangii in Gubernatorem ſeu Ruwardum Brabantiæ &c. ſcripſit Michaël Bajus epiſtolam ad Abbatem Parcenſem, in qua circà attentatum illud ſic ſuam ſententiam refert: „Intelligo te conſenſiſſe & juramento „firmaſſe Unionem Statuum etiam cum iis, „qui ſe romanæ catholicæ Eccleſiæ desertores „profitentur, ſub Principe Auriaco tamquam „Gubernatore Brabantiæ & Vice-Gubernatore „omnium Provinciarium inferioris Germaniæ; „non obſtante, quod ſe palàm Bruxellæ calviniſtam profeſſus ſit. Id, quod pace tuâ di„cam, quantùm mihi videtur, nec per te

Judicium Mich. Baji deſuper.

Anno 1577. „ nec per conſortes tuos ſine gravi ſcelere fieri
„ potuit. Primum quidem propter manifeſtum
„ ſcandalum : nam uſque ad id tempus Ordines
„ hujus patriæ ſemper unanimiter jactaverunt,
„ ſe velle manere non tantùm ſub obedientia
„ regiæ Majeſtatis, ſed etiam in fide romana
„ catholica ; querebanturque ſibi magnam inju-
„ riam fieri, quod & ſummo Pontifici &
„ catholicæ Majeſtati per quoſdam intelligebant
„ aliud ſuggeri. Nunc verò per hanc Unionem
„ cum ſubſtractionis filiis in perditionem ſub
„ homine, qui ſe palam hæreticum profitetur,
„ proprioque ſe judicio condemnant, & non
„ tantùm ſummo Pontifici & regiæ Majeſtati,
„ ſed etiam omnibus cordatis fidelibus ingeritur
„ manifeſta ſuſpicio, quod ab utraque illa ſua
„ profeſſione Ordines receſſerint : aut certè ad
„ illudendum fidelibus, non animo ſed verbis
„ dumtaxat profeſſi ſint, quæ ſunt profeſſi :
„ eò quòd hæc Unio... directè tendat ad con-
„ temptum regiæ Majeſtatis, ſubverſionem
„ catholicæ fidei & exterminium Sacerdotii,
„ quod calviniſtæ cane pejùs & angue ode-
„ runt.

Id brevì experta eſt Antverpia, ubi mox anno ſequenti aliqui & ſecundo poſt hanc Unionem anno omnes Sacerdotii generis per calviniſtas expulſi ſunt, & Religionis catholicæ exercitium per plures annos penè totum ſuppreſſum fuit.

Pergit Bajus. „ Et cum nemo poſſit ſibi ſupe-
„ riorem aſſumere, niſi in eum finem, ut
„ ejus vigilantiâ & ſollicitudine in ſuo ſancto
„ propoſito juvetur & defendatur (nempe chriſ-
„ tianus catholicus in vera chriſtiana Religione ;
„ & monachus in profeſſione monaſtica, &c.)
„ quomodo, reclamante primâ civitate Bra-
„ bantiæ Lovanio & aliis multis viris illuſtri-

„ bus

„ bus, potuiſtis & vobis & nobis hominem, Anno
„ præficere, quem jam certò ſciebatis & catho- 1577.
„ licæ Religioni & monaſtico inſtituto veſtro
„ ex profeſſo eſſe inimicum? iiſque miniſtris
„ potiſſimùm utentem, qui ob hæreſim ſunt
„ veræ pietatis adverſarii? quique aut ſtatim
„ omnem pietatis ſpeciem è templis abolent
„ (ſicut tota Hollandia & Zelandia teſtatur)
„ aut tantiſper diſſimulando permittunt, donec
„ quæſitis occaſionibus ſine tumultu poſſint (ſi-
„ cut in calviniſmo jurârunt) ad ejus ſubver-
„ ſionem pervenire." Veritatem horum proba-
vit eventus.

„ Porrò ſicut Princeps Auriacus ſuſcepturus
„ Gubernationem Brabantiæ dicitur jurâſſe con-
„ ſervationem romanæ & catholicæ Religionis
„ in civitatibus Brabantiæ, ſic etiam regreſſus
„ ab expeditione Montenſi in Hannonia, & pro-
„ ficiſcens in Hollandiam, Mechliniæ (me
„ etiam audiente) profeſſus eſt, ſe non veniſſe
„ in hanc patriam cum exercitu, ut aliquid
„ immutaret, aut Sacerdotes, monachos, &
„ alios clericos de ſuo loco deturbaret; ſed
„ tantùm ut liberaret patriam à ſervitute hiſpa-
„ nica: quam Religionis conſervationem etiam
„ quibuſdam civitatibus Hollandiæ juravit. Ob-
„ ſecro, ut in Zelandia aut Hollandia vel unus
„ pagus, qui ſe tunc ejus ſubjecit imperio,
„ deſignetur, in quo ſervata ſit ſupradicta
„ profeſſio? Intelligo ex urbe miſſam excom-
„ municationem in omnes ſupradictæ Unionis
„ participes, qui ad ſaniorem mentem redire
„ nolint: quam metuo etiam in te nomi-
„ natim exequendam, niſi redieris.
„ Cura igitur, ut quod errore & infirmitate
„ peccatum eſt, quantum te concernit, ma-
„ nifeſtâ deteſtatione emendetur, palam
„ eos damnando, quorum errore conſen-

 „ ſiſti

Anno 1577.

„ ſiſti ...” Ita Bajus ad *Amb. Loetſium* Abbatem Parcenſem in Epiſtola edita Lovanii & Coloniæ 1579., quæ & refertur inter Opera ejus.

Tertio hoc anno Antv. renovatus Magiſtratus.

Tertiò hoc anno in hac civitate renovatus eſt Magiſtratus. Primò kal. januarii, dum Hiſpani milites civitatem tenebant: & tunc continuati ſunt Burgimagiſtri *Henricus van Berchem* & *Joannes Wolſaert.* Secundò 17. julij, dum Joannes Auſtriacus gubernabat: & tunc facti ſunt Burgimagiſtri *Joannes van Schoonhoven* & *Nicolaus Rockox.* Tertiò 22. decembris, dum Orangius erat Ruwardus Brabantiæ, eoque jubente & prætextu, ut antiqua conſuetudo præveniendi Kalendas januarii reſumeretur: & tunc facti ſunt Burgimagiſtri *Joannes van Stralen* & *Willelmus de Vos*, indubiè affecti Orangio; unde & duobus annis hoc munus obiverunt & eorum tempore res catholicorum & notanter eccleſiaſticorum in hac civitate deperierunt.

Abbates agunt ad tollendas uniones.

Papebrochius *Annal. Mss.* ad finem hujus anni hæc refert: Bruxelis agebant Villarienſis, Dilingemenſis & Antverpienſis S. Michaëlis Abbates per litteras cum Abbatibus Gertrudano, Parcenſi & Vlierbecano, qui Lovanii erant, de præficiendo Everbodienſibus Abbate & adminiſtratoribus dandis Abbatiæ S. Bernardi ad Schaldim, Affligemienſi & Tongerloënſi: nè monaſteria iſta ampliùs incorporarentur Epiſcopatibus à Rege nuper inſtitutis; eam enim incorporationem contrà Sixti Pontificis bullam factam affirmabant. Bullæ autem iſtius authographum D. Michaëlis Abbas ſe habere jactitabat. Orangius ergo, quaſi id ſua non intereſſet, nonnullos Abbatibus iſtis quàm diligentiſſimè commendabat per litteras, dignos

nimirùm

nimirùm tali laudatione Eccleſiæ Prælatos. Ità *Papeb.* Anno 1577.

Abbatia Everbodienſis non erat incorporata alicui Epiſcopatui, adeoque eam non concernebat negotium incorporationum. Si itaque de ea hoc tempore ageretur, actum indubiè eſt ad ei præfigendam Abbatum per liberam electionem juxtà antiquam conſuetudinem, & non juxtà concordatum (de quo ſuprà ad an. 1563.) cum *Philippo II.* Hiſp. Rege deſuper initum. Si actum ſit de dandis Adminiſtratoribus Abbatiis Affligemienſi & Tongerloëenſi, quæ reſpectivè incorporatæ erant Epiſcopatibus Mechlinienſi & Buſcoducenſi, factum id eſt ad adimendam dictam adminiſtrationem reſpectivis Epiſcopis. Hæc autem omnia fiebant in vim jam relatæ Unionis, in qua conventum erat, ut antiqua omnia privilegia reſtaurarentur.

Quantùm autem ad Abbatiam S. Bernardi, cum hæc vacaret vacante jam Epiſcopatu Antverpienſi, non tantùm actum eſt ad ei dandum Adminiſtratorem, ſed præcipuè ad ei dandum Abbatem è gremio & omninò tollendam incorporationem. Id autem brevi obtinuerunt Abbates: nam Ordines Belgii, cum generaliter omnes Abbatiarum uniones & incorporationes annullâſſent, commiſſarios miſerunt ad dictam Abbatiam S. Bernardi & collectis votis electus eſt & aſſumptus in Abbatem *F. Joannes van der Noot*, è nobilioribus Brabantiæ familiis oriundus, religioſus ejuſdem monaſterii 31. annos natus. Et mox Dux Arſchotanus cum magna nobilium pompâ ad monaſterium veniens novum hunc Abbatem inſtallari curavit die 28. Januarii 1578. non obſtantibus quibuſcumque; prævalebant enim nobiles. Præſul autem iſte non ſine contentione & diviſione fratrum gubernavit, donec anno 1585. Abbatis titulo

Religioſi S. Bernardi eligunt ſibi Abbatem.

Anno 1577. titulo & dignitate exuitur. *Hiſt. Epiſc. Antv.* *pag.* 46.

Georgius Vivien J. C. — Georgius Vivien natus eſt altuſque Antverpiæ parentibus Valencenatibus, *Petro Vivien* & *Jacobâ Baillard*, quæ triginta duas proles peperit duos nacta maritos; geminos tamen numquam peperit. Ex *Petro* decem mares, quorum decimus *Georgius* fuit. Secundis nuptiis *Joanni Dameo* Gandenſi nupſit, qui ex ea liberos ſuſtulit filios 15., filias 7. Rem miram accipe: 25. filios peperit filiâ mediâ nullâ interjectâ. Obiit hæc ſexágenaria circà an. 1572. condita in D. Jacobi. Cæterùm *Georgius* Lovanii an. 1555. renuntiatus eſt Artium magiſter. Hinc medicinæ operam dare cœpit: verùm mox Theologiæ ſtudium placuit & ordinis ac vitæ eccleſiaſticæ ratio. Hinc ad Juriſprudentiam tranſitum fecit. Peragratâ Hiſpaniâ, Angliâque Pariſiis Profeſſorem egit, & ibidem ſupremis Juriſprudentiæ gradibus acceptis revocatus in patriam an. 1562. Curiæ Brabantiæ Advocatus fuit, alteroque poſt anno Epiſcopi Cameracenſis Juratus fuit. Cum in primis Belgii tumultibus quoſdam famæ ſuæ ac nominis arbitros inveniret non ſatis æquos, circà an. 1570. ſe in Germaniam contulit & ſubſtitit in Ubiis, ubi jura privatim per biennium docuit, & dein in publicum Profeſſorem aſſumptus eſt, & factus eſt Archiepiſcopi ac Electoris Aſſeſſor. Plures libros edidit, quos indicat Foppens *Bibl. belg. pag.* 343. Obitus ejus non indicatur. Eum autem hìc refero, quia inter libros ejus non reperio poſt hunc annum editos.

Joan. Gheeſdalius Poëta. — Joannes Gheesdalius Flander è vico Berchemio propè Aldenardum oriundus, poëta & muſicus utrimque excellens; litteras humaniores Antverpiæ docuit, moderator ſcholæ Parochialis B. Mariæ, ibique *Franciſ. Swertius* (qui

hoc

hoc tempore undecimum ætatis annum agebat) in *Athenis Belgicis* diſcipulum ejus fuiſſe ſe gloriatur. Libros ab eo editos & Epitaphium ab amico ejus *Max. Vrientio* ei confectum vide ibidem *pag. 647.* Anno 1577.

DAMIANUS à LIGNO Antverpianus Ord. S. Dominici S. Th. profeſſ. eruit è tenebris *Jac. de Vitriaco Sermones de tempore* Antv. 1575. fol. typis Steelſii. Obiit hoc anno 15. octob. Regens ſtudii Duacenſis. Ibidem *pag.* 225. Damianus à Ligno Dominicanus.

Annus 1578. initium ſumpſit cum exercitio pietatis. 1. indicta enim fuit ad 5. januarii, habitaque in hac civitate ſolemnis & generalis Proceſſio pro felici & longævo regimine Archiducis MATHIÆ, aſſumpti per Ordines in Gubernatorem Belgii. Ita notatur in Regiſtro civitatis dicto *Placcaet-Boeck. D. fol.* 95. 1578. Janu. Proceſſio pro regimine Archiducis Mathiæ.

Cum Orangius per Ordines Belgii revocatus eſſet & conſtitutus Gubernator Brabantiæ, ſenſati quique, prævidentes inde atrox bellum, ſibi ſuiſque providere cœperunt, & optima quæque ad loca tuta tranſmittunt. Eccleſiaſtici autem, quibus maximè timendum erat, eò quòd exoſi eſſent Orangio & aſſeclis ejus, eorum exemplum ſecuti rebus etiam ſuis providere conati ſunt. Fratres Prædicatores noſtri jam inde menſe novembri pretioſiora Eccleſiæ ſuæ ornamenta & chartas monaſterii collegerant, & duabus ciſtis incluſa miſerant Sylvam-ducis, inde ulteriùs mittenda Coloniam, tamquam locum tutum contra inevitabile bellum & imminentem inde perſecutionem. Verùm, cum Prædicatores Sylvæducenſes tertiam addidiſſent ciſtam, oppletam ſui monaſterii ornamentis & chartis, ac navi impoſuiſſent; res detecta fuit; & ciſtæ indè extractæ detentæ fuerunt eo prætextu, quòd eccleſiaſtici illa mitterent ad JOANNEM AUSTRIACUM, quo milites Inhibetur nè Eccleſiaſtici transferant ornamenta Eccleſiarum.

Anno 1578. Janu. tes conſcriberet & patriam opprimeret. Priores autem iſtorum monaſteriorum coacti fuerunt recurrere ad Deputatos generalium Ordinum, & probare, ſe non intendiſſe ea mittere ad Auſtriacum; quod maximè probârunt ex eo, quòd in ciſtis adeſſent chartæ monaſteriorum, quæ ipſi prodeſſe non poterant; & quòd in tranſmittendis bonis ſuis ad loca tuta imitati fuiſſent mercatores alioſque præcipuos cives. Hinc tandem obtinuerunt à dictis Deputatis, ut ciſtæ ſine damno aut expenſis redderentur ac reducerentur ad reſpectiva monaſteria, cum inhibitione, nè ultrà quid ſimile attentarent; nec bona ſua transferrent ad alia loca ſive extrà ſive intrà patriam. *P. Bor. Lib. XII. fol. 9.*

Extrahuntur ex Eccleſiis conſervanda in Curia. Specioſus autem iſte prætextus, quo populus incitabatur contrà eccleſiaſticos, cauſa fuit, quod Gandavi 21. febr. cœperint conſcribere in eccleſiis civitatis, eô fine cinctis militibus, omnia argentea & aurea vaſa; & ſequenti die ex S. Bavonis tranſtulerint ad Curiam indecorè ordinario currui impoſitas pretioſas Reliquiothecas S. Bavonis, S. Livini, S. Barbaræ & Capitis ſancti Joannis, ac cætera quæque argentea & aurea vaſa, & monilia, relictis ſolùm ibidem argenteo thuribulo cum aliquot calicibus pro celebratione miſſarum. Similiter ex aliis eccleſiis & monaſteriis, tam intrà civitatem quàm extrà ſub diſtrictu Gandenſi, omnia tranſtulerunt ad Curiam, conſervanda ibidem nè eccleſiaſtici ea mitterent ad Auſtriacum. *Gendts Chron. Tom. II. pag. 7.*

Mechliniæ. Vix dubitandum, quin in aliis civitatibus hoc tempore ſimiliter actum ſit. Legimus interim, Mechliniæ argenteam Reliquiothecam S. Rumoldi hoc tempore ſublatam fuiſſe; refert

id

id Sollerius *Act. S. Rumoldi pag.* 172. Apparenter ſublata fuit ſub eodem prætextu. Quantum ad Antverpiam, refert Papeb. *Annal. Mss.* Deputatos à Statibus 28. Febr. ad Collegium Jeſuitarum veniſſe, poſtulantes vaſa argentea aureaque omnia ſibi ſcripto tradi; unde præſumere poſſumus hic actum fuiſſe ſicut Gandavi, & hâc occaſione ſublatam fuiſſe ex Cathedrali pretioſam Reliquiothecam, in quâ exponi & circumferri ſolebat S. Chriſti Præputium: licèt anteà in generali iconomachia anni 1566. ſacrum illud pignus ſublatum feratur.

Anno 1578. Janu.

Antverpiæ.

Interim cum Archidux Matthias brevi Bruxellis recipiendus eſſet Gubernator Belgii, & cum Brabantia juxtà antiquum privilegium non recognoſceret Gubernatorem alium quàm Gubernatorem totius Belgii; quæſtio mota eſt, num Orangius, qui aſſumptus fuerat in Gubernatorem ſeu Ruwardum Brabantiæ, in dicto officio perſeveraret. Et tandem 8. januar. pluralitate votorum decretum eſt, quod in dicto officio perſeveraret, donec Belgium pacificaretur; ſic tamen, ut ſubjiceretur Gubernatori generali, ſicut reliquarum Provinciarum Gubernatores; & inſuper requireretur Archidux, ut eum, attentâ ſuâ minorennitate, aſſumeret Vicarium ſeu generalem Locum-tenentem. *P. Bor Lib. XII. fol. 8. verſo.* Ecce contrà antiquum & notiſſimum privilegium præficiebant Brabantiæ particularem ſeu ſubalternum Gubernatorem viri iſti, qui à tanto tempore inclamaverant & tandem decreverant reſtaurationem omnium privilegiorum: ſic zeloſi illi decretam reſtaurationem privilegiorum interpretabantur pro libitu & commoditate cauſæ.

Orangius Manet Gubernator Brabantiæ.

His peractis ſtatuta eſt dies, quâ Archidux MATHIAS reciperetur Bruxellis tamquam Belgii Guberna-

Archidux Mathias recipitur Bruxellis.

Anno 1578. Janu. Gubernator; nempè 18. januarii. Ad quam cum omnia parata eſſent, deceſſit illâ die Antverpiâ Archidux, comitantibus Orangio & pluribus aliis Principibus & nobilibus: & eâdem die Bruxellas advenit, obviantibus illi ad mediam leucam Principibus, Conciliis, Senatu & civibus decenter armatis, recipientibus & deducentibus eum in civitatem ſumptuosè per plateas ornatam; & ſic ad palatium regium; ubi à congregatis generalibus Belgii Ordinibus excipiebatur & ſalutabatur. Receptionem hanc inquit *P. Bor Lib. XII. pag.* 10. fuſè deſcripſit *Joan. Bapt. Houwaert* Cameræ rationum Ducatûs Brabantiæ magiſter: verùm Foppens *Bibl. Belg.*, qui *pag.* 571. recenſet ejus opuſcula, de hoc ejus libello mentionem non facit.

Orangius præſtat juramentum ut Gub. Brab.

Vigeſimâ menſis Ordines generales congregati in Curia advocârunt Orangium, qui accedens juramentum præſtitit tamquam Gubernator particularis Brabantiæ: Juramentum illud refert, *P. Bor. ibid.* In eo autem leguntur hæc: *Dat ick dien achtervolghende niet en ſal ghedooghen, dat eenich attentaet oft ſchandael ſal ghedaen werden jegens die ghemeen ruſte, ende beſondere teghens de Roomſche catholyoke Religie ende exercitie van de ſelve.*

Item Mathias ut Gub. Belgii.

Eâdem die inter decimam & undecimam matutinam proceſſerunt viri quinque Gildarum ad Palatium, deducturi ad forum Archiducem, qui, cum eò honorificè ductus fuiſſet, aſcendit Curiam, & è podio publicè coram Ordinibus & omni populo præſtitit juramentum tamquam Gubernator Belgii, juravitque conditiones ſibi per Ordines præſcriptas, quas Antverpiæ ſubſignaverat. Refert illas P. Bor., *ibid. fol.* 7. In illis autem legitur: *Dat den ſelve Aertshertoghe apprebere, gheloove ende*

beſwe-

beſweere t'onderhouden die Pacificatie van Gendt ende te handthaven ende doen handthaven in de landen van herwaerts-over d'ercitie van de Roomſche catholycke Religie, volgende den inhouden van de Pacificatie van Ghendt. Punctum hoc certè obſervaſſet Archidux, ſi non fuiſſet ſub rigoroſa tutela eorum, qui ruinam Religionis catholicæ meditabantur.

Anno 1578. Janu.

Vigeſimâ quartà ejuſdem menſis ex parte Statuum interdicta fuit Gandavi Curia eccleſiaſtica, & inhibitum Officiali, qui erat etiam Vicarius generalis ſede vacante, ſub gravioribus pœnis, nè ſe immiſceret Juriſdictioni eccleſiaſticæ; & mandatum eſt incolis, ut ſe tenerent ſub Epiſcopatu Tornacenſi, ſicut fuerant ante erectionem Epiſcopatuum. Reputabant Ordines erectionem Epiſcopatuum factam fuiſſe contra privilegia: cumque omnia privilegia reſtaurata eſſent per Pacificationem Gandenſem & Unionem Statuum, cenſebant novos Epiſcopatus ſuâ ſpontè concidiſſe & ultrà non ſubſiſtere. *Ghendts Chron. Tom. II. pag.* 3.

Novi erecti Epiſcopatus declarantur aboliti.

Cum itaque ex parte Statuum id factum ſit Gandavi, dubitare non poſſumus, quin idem hoc tempore factum ſit Antverpiæ, ubi ſimiliter Epiſcopatus vacabat; & quod, ſublatâ novi Epiſcopatûs Curiâ, iterum recurrere debuerint ad Curiam eccleſiaſticam Cameracenſem, & ſe gerere tamquam ſub Cameracenſi Epiſcopatu, ſub quo ante erectionem Epiſcopatuum fuerant. Interim nihil deſuper uſquam notatum vidi. Veroſimile autem fit ex eo, quod 28. hujus menſis januarii *Joannes van der Noot* electus Abbas S. Bernardi curante Duce Arſchotanô, qui eo fine ad Abbatiam venerat, ſit inſtallatus. Sed interim Antverpiæ Vicariatus ſede vacante perſeveravit ſua peragere uſque ad 24. maii. anni 1579., id eſt,

Etiam Antverpienſis.

Abbas S. Bernardi inſtallatur.

Anno 1578. Janu. eſt, uſque ad tempus, quo eccleſiaſtici omnes urbe pulſi ſunt. Conſtat hoc ex *Regiſtro Actarum* primi hujus *Vicariatûs*, in quo Acta continuatâ ſerie notata vidi uſque ad dictum diem: dein in illo Regiſtro nulla acta notantur uſque ad 9. aug. anni 1580., quo, exulantibus Vicariis, Capitulum cœpit agere partes Vicariatûs, & Acta tunc notantur ſub nomine Capituli, nullâ factâ mentione Vicariatûs, uſque ad 13. novembris 1583., quando iterum ceſſant Acta uſque ad 13. novembris 1585.

Vicariatus perſeverat ſua peragere.

Interea dum hæc agebantur inter fœderatos; *Joannes Auſtriacus* hoſtis patriæ, ut ſuprà vidimus, declaratus, cum vidiſſet neceſſariò Bellum eſſe agendum, magnas undique vires cogebat. Revocaverat ex Italia Hiſpanos, quos nuper è Belgio dimiſerat: & illi jam in procinctu erant, unà cum Alexandro Farneſio Parmenſium Principe: accedebant magnæ Gallorum, Burgundiorum & Germanorum copiæ: quæ omnes Marchiæ in Faminia conveniebant; conſtabatque totus exercitus peditum millibus ſexdecim; equitum verò duobus. Ordinum exercitus non procul à Namurco in caſtris ſedebat. Sub finem autem januarii Auſtriacus cum copiis ſuis Namurcum venit & trigeſimâ primâ exercitum Ordinum aggreditur & cædit. Partâ hâc victoriâ Auſtriacus hoſtem, qui ſe ad oppidum Gemblacenſe receperat, inſequi jubet; ubi prælio redintegrato ſuperati tandem, qui Ordinibus militabant, effuſâ fugâ Bruxellam verſùs properârunt, regiis eos inſequentibus & paſſim trucidantibus uſque ad profundam noctem. Auſtriacus interim Gemblacenſe oppidum, Ordinum armamentarium, obſidet & poſtridie deditione capit. Ac brevi obtinet Bovinum, Lovanium, Thenas, Arſchotum, Sichemium, Dieſtemium, Leuwam,

Auſtriacus cædit milites Ordinum ad Gemblacum.

Febru.

Et plures civitates ſuperat.

wam, Nivellas, Reuſiam, Sogneſiam, Binchium, Beaumontium, Walcourtium, Maubuſam & Chimæum.

Anno 1578. Febr.

Auſtriacum juvabant, quantùm poterant, tum Pontifex tum Hiſpaniarum Rex; cui militabat. GREGORIUS PP. XIII. Romæ dederat Breve 18. hujus anni; quo omnibus in Belgio Auſtriaco militantibus communicatis & confeſſis concedebat Indulgentiam plenariam tali die, quem eligerent, & inſuper eandem Indulgentiam in articulo mortis. Refert hoc breve P. Bor *Lib. XII. fol.* 14. Rex autem ultrà ordinaria media Edictum dedit Matriti 1. febr., quo inhibet, nè alius recognoſcatur Gubernator Belgii quàm Auſtriacus à ſe conſtitutus & ab Ordinibus receptus; & mandat Statibus generalibus & particularium Provinciarum, ut quiſque domum redeat; nec ultrà congregentur ſine ſuo aut Auſtriaci mandato; annullans omnia per ipſos alioquin actitanda; & prohibens ſubditis ſuis nè eis obediant aut impoſitiones ſolvant; & declarans omnes conſiliarios & officiarios ipſos ſequentes decidiſſe ab officio. Edictum illud refert P. Bor, *ibid. fol.* 22.

Pontifex & Rex juvant Auſtriacum.

Clades Gemblacenſis conſternationem ſummam induxit inter fœderatos: credebatur enim Auſtriacus poſt victoriam rectà venturus Bruxellas: unde mox Archidux MATHIAS, ORANGIUS & Ordines relictâ Bruxellâ Antverpiam fugiunt, ibidemque ſedem figunt; ita ut Antverpia dein facta ſit metropolis fœderatorum.

Mathias fugit Antverpiam.

Dum autem fœderati ubique omnia diſponunt ad reſiſtendum Auſtriaco, populus conſternatus per cladem mirè incitatur contrà Clerum; & jam non tantùm traducebatur clerus quaſi argentea &c. vaſa intenderet mittere in auxilium Auſtriaco, ſed & reddebatur ſuſpectus de proditione. Hinc 5. febr. Gandavi ferebatur, quod

Suſcipio proditionis affingitur monachis.

Anno 1578. Febru.

nocte in quatuor Ordinum mendicantium monaſteria milites & arma introducta eſſent & occultata ; unde & ipſâ die ad unumquodque monaſterium miſſi ſunt quinquaginta milites. Inquiſitione tamen factâ nihil inventum eſt. *Ghendts Chron. Tom. II. pag. 5.*

Inde in monaſteriis inquiſitio.

Suſpicio autem proditionis citiùs cœperat Antverpiæ : Papebrochius enim *Annal. Mss.* hæc refert. Die 10. januarii juſſu Magiſtratûs inquiſitum eſt in ædes Jeſuitarum, in quas illata fuerant quædam vaſa cereviſiæ, quæ pulvere tormentario farta fuiſſe malevoli diſſeminaverant. Die 12. rurſum concurrerunt malevoli ad Jeſuitarum tamquam proditorum collegium, tam furiosè, ut omnes mactari viderentur : ſine effectu tamen. *Ita Papeb.*

Rigoroſior poſt cladem Gemblacenſem.

Poſt cladem autem Gemblacenſem ſuſpicio hæc magis exaggerata fuit, & ideò rigoroſior facta eſt inquiſitio. Refert enim hæc idem Auctor : Die 9. febr. ad horam ſeptimam veſpertinam quatuor Præfecti copiarum Auriaco militantium Jeſuitarum portas pulſant ; apertis portis ingrediuntur ductores & ſubitò ſimul inſiliunt viginti alii homines armati, clamantes : *Satis eſt, intromiſſi ſumus, exturbemus proditores, ut pax nobis impoſterum ſit.* Evocant Rectorem Collegii (Patrem Reynerum Reyneri) adjurant, ut ſi ſe ſibique ſubditos ſalvos velit, demonſtret abdita loca omnia, ubi theſaurus & arma bellica ſint recondita ; ſi nollet, de noſtra quidem omnium actum eſſet ſalute. Tandem totam domum perquirunt ; & nihil invenientes adeunt Templum, ibique multas blaſphemias proferunt & convitia, & deceſſerunt. *Ita Papeb.* Non eſt autem dubium, quin ſimiliter egerint in pluribus aliis monaſteriis.

Eiuſdus iſte proditionis timor effecit, ut 27. febr. ad monaſteria miſſi ſint, qui nocte ibidem vigilias agerent: ita ut ex eo die in penetralibus militum cuſtodia fuerit, cum magno religioſorum incommodo & gravamine. Inſuper ſequenti die ex præcepto Præfectorum, quos Colonellos dicebant, juſſæ ſunt obturari lateribus omnes fores monaſteriorum uno excepto oſtio; ut idem eſſet aditus ad templum & ad omnes cœnobiorum officinas. Anno 1578. Vigiliæ in Monaſteriis. Oſtia obturantur excepto uno.

Tandem, quia religioſi, timentes injurias ſectariorum & furorem concitatæ plebis, aliquando (ſicut fecerant anno 1566. in generali Iconomachorum ſeditione) incedebant mutatis veſtibus, ne à furioſis dignoſcerentur; indictum illis eſt hoc ipſo die, ne poſt hàc quiſquam domo exiret niſi in habitu Ordinis ſui, non ſine longo capillitio & barbâ ſtrictè reſectâ; neque aliunde advenientem admitterent, niſi ſic ornatum: & ſi quiſpiam eorum, qui Antverpiæ erant, aliò mitteretur, eidem non eſſe redeundum. Refert hæc Papeb. *Annal. Mss. ex Hiſt. domeſtica*, cujus Auctor addit: „quamquam ejuſmodi præſcriptiones ad omnes Religioſorum ordines pertinerent, ſoli tamen nos obſervavimus." Inhibetur ne exeant mutatis veſtibus

Dicit prædictus Auctor, hæc ipſis imperata fuiſſe: non ſcimus interim, an hic publico edicto fuerint promulgata. Gandavi autem die 4. menſis ſequentis promulgata fuerunt ad ſonum buccinæ, ut indicat Auctor *Gendts Chron. Tom. II. pag.* 9., qui notat eodem edicto malevolis ſub gravibus pœnis inhibitum fuiſſe, ne eccleſiaſticis inferrent aliquam contumeliam.

Habere longum capillitium & barbam ſtrictè reſectam diſtinguebat eccleſiaſticos à laïcis, qui caput raſum habebant: vidimus enim ſuprà

Anno 1578. Febru. in Synodo diœceſana anni 1576. mandatum eccleſiaſticis, ut capillos excreſcentes haberent uſque ad aures.

Sic interim, dum Ordines omnia undique parabant ad reſiſtendum progreſſui JOANNIS AUSTRIACI, eumque Belgio pellendum, per malevolos bellum parabatur & agebatur contrà eccleſiaſticos, brevì ſpoliandos & expellendos; ut ſic tandem præcipuum intentum, quo Religionis catholicæ exercitium eliminatum volebant, exequerentur.

Hinc intentum ſuum proſequentes omnia vaſa argentea aureaque ſibi ſcripto tradi poſtularunt, quod 28. febr. exegerunt à Jeſuitis. Et nè fortè vaſa iſta diſtraherentur auctæ ſunt 1. martii excubiæ in monaſteriis: ita ut jam non de die ſolùm, ſed etiam interdiu ædes eorum obſervarentur.

Martii. Mandatur ut argentea vaſa ſcripto exhibeant.

Aliud dein excogitârunt, quo eccleſiaſticos vexarent, ut nempè ſinguli ſubſcriberent Pacificationi Gandenſi & Unioni Statuum cum Orangio. Proponitur res Capitulo cathedrali, ut omnes eccleſiaſticos ad hanc ſubſcriptionem inducat. Convocat itaque Capitulum omnium religioſarum familiarum Superiores, & in his comitiis propoſita fuit prædicta ſubſcriptio. Reſponderunt Jeſuitæ, ſuis conſtitutionibus cautum eſſe, nè ſe in res ſeculares & politicas interponant: accedere etiam quod ſacri Canones vetarent, nè perſonæ eccleſiaſticæ ſubjicerent ſe foro ſeculari: imò idipſum repugnare pactionibus Gandavi initis, ut quæ vellent Eccleſiæ Romanæ immunitates integras omninò & inviolabiles manere. Placuit Canonicorum cœtui eorum reſponſio, quam petiêrunt poſtridie rationibus firmatam ſcripto dari.

Petitur à Clero ut ſubſcribat Pacificat. Gand. & Unioni Statuū

Papebrochius, qui in *Annal Mss.* hæc indicat ex *Hiſt. domeſtica*, rem hanc non ultrà

Negatur.

proſe-

proſequitur. Non indicat, à quibus iſta ſubſcriptio petita ſit; non indicat, an Jeſuitæ poſterâ die in ſcriptis reſponſum ſuum detulerint, nec quid Capitulum poſt ſolemnem iſtam convocationem deſuper egerit. Sed interim ex iis, quæ ſubjungit, utcumque colligere poſſumus, dictam ſubſcriptionem exactam fuiſſe per Senatum aut ſaltem eo connivente, & Capitulum reſponſum Jeſuitarum ſibi placens pro toto clero dediſſe eis, qui ſubſcriptionem exegerant. Anno 1578. Martii.

Hinc exactores exacerbati ob negationem cleri, & negationem illam peſſimè interpretantes, reſponſum deferunt ad Senatum; & ſimul concludunt rigoroſiùs agendum, ſtatuuntque jam non tantùm exigere nudam ſubſcriptionem ſed & juramentum. Cudunt itaque formulam juramenti, in qua non tantùm ponebatur acceptatio Pacificationis Gandenſis & Unionis Statuum cum Orangio, ſed & quod, ſi quid ſcirent moliri quempiam contrà commune bonum rei-publicæ Antverpienſis, eum deferre ad Magiſtratum tenerentur; & alia nonnulla. Formula juramenti.

Hanc formulam juramenti acceptandam ad eccleſiaſticos detulit, paucis diebus poſt negatam ſubſcriptionem, qui à Præfectis militum deſignatus erat cum Duumviro & Secretario civitatis. Detulit autem non ad Clerum congregatum, ut jam fruſtrà factum fuerat, ſed ad ſingulos in particulari; quatenùs ſic ſinguli faciliùs inducerentur ad præſtandum petitum juramentum. Et primò illud propoſuerunt Canonicis & Paſtoribus, ex quibus, ut refert *Papeb.*, quidam inducti ſunt & fortè per inadvertentiam nomina ſua ſubſcripſerunt: dein ſucceſſivè ad Religioſos illud detulerunt, & tandem poſtremò ad Jeſuitas. Illis autem pro- Quod Senatus exigit à Clero.

Anno 1578. Martii. ponunt formam juramenti, ſubnotati nominibus quorumdam, poſtulantes ut idem ab illis fieret: at illi modeſtè recuſârunt, præferentes rationes, quas ante dederant in congregatione totius Cleri. Replicuerunt, eos proditionem moliri, idque jam pridem notum eſſe; & abierunt dato triduo ad deliberandum.

Mutatur in formulam promiſſoriā. Sed interim prævidentes exactionem dicti juramenti deſideratum effectum non habituram, formulam juramenti mutârunt in formulam promiſſionis, quam proponerent iis religioſis, qui jurare noluerant. Huic autem formulæ cum reliquæ Religioſæ familiæ ſubſcripſiſſent,

Cui recuſant ſubſcribere Jeſuitæ. Jeſuitæ conſtanter ſubſcribere recuſârunt. Hinc ductores militum, quos Colonellos dicunt, libellum exhibent Senatui, quo ſupplicant, ut Patres Societatis ex oppido ejiciat, & diu urgent. Noluit tamen Senatus. Inſtant apud Orangium, ſed hactenùs fruſtrà. Conferunt interim rurſum cum Orangio conſilia & ſtatuunt, novum jusjurandum tamquam cleri laqueum eſſe inſtaurandum, neque ullam penitùs eſſe accipiendam cauſam, quin omnes adigantur. Dilata tamen executio fuit, donec poſt menſem novum illud jusjurandum per Ordines fœderatos fuit decretum & eorum juſſu exactum.

Et plures alii. Colliguntur præmiſſa ex iis, quæ *Papebrochius* refert ex variis, notanter ex hiſtoria domeſtica. Verùm, quod refert, omnes religioſas familias ſubſcripſiſſe formulæ promiſſionis, non poteſt ſubſiſtere, ſi verum ſit, quod refert Auctor. *Chor. FF. Minorum* apud Sanderum *Cap. I. paragrapho III.* Rerfert enim, Guardianum *Patrum de Monte* formulæ exactæ hæc ſubſcripſiſſe: *Neque ego neque fratres mei approbamus vel improbamus Pacificationem Ganden-*

Gandenſem, qui ad hoc arma non habemus. niſi ſpiritualia, quibus Deum ex corde oramus, ut concedat Belgio pacem, Antverpienſibus perſeverantiam in fide catholica, hæreſum extirpationem & talem in temporalibus proſperitatem, qualis eorum æternæ ſaluti expedit. Si, inquam, verum ſit, Guardianum hæc ſubſcripſiſſe alicui formulæ, certè ſubſcripta fuerunt formulæ, de qua hic agitur, ſive juramenti ſive promiſſionis; non autem formulæ, quæ propoſita fuit deinceps circà feſtum Pentecoſtes, quia ſubſcriptio iſta non poterat quadrare illi formulæ, in qua certè pejora continebantur: & inſuper tunc non potuiſſet Guardianus ſcribere, ſe non probare vel improbare Pacificationem Gandenſem, quam jam inde probâſſet per ſubſcriptionem prioris hujus formulæ, in qua præcipuè exigebatur approbatio Pacificationis. Conſequenter dubium manet, num verum ſit, quod Papebrochius refert de ſubſcriptione omnium religioſarum familiarum Jeſuitis exceptis. Anno 1578. Martii.

Interim dum eccleſiaſtici ſic vexabantur, plurimùm in hac civitate proficiebant ſectarii: & cum jam nihil timendum haberent dominante Orangio protectore ſuo, rediêrunt exules prædicatii, qui cum eo anno 1567. deceſſerant; cœperuntque reſumere conventicula ſua, quæ jam undecim annis ceſſaverant, & prædicationes inſtituere. Decimâ-ſextâ martii habitæ fuerunt variis locis quindecim prædicationes & quatuordecim locis diſtributa fuit calviniſtica cœna. Dominicâ ſequenti, quæ erat Dominica Palmarum, non pauciora conventicula ſunt habita, & cœna diſtributa in domibus deſtructi caſtri tribus locis. *P. Bor. Lib. XII. fol. 37.* Calviniſtæ prædicant.

Eâdem illâ Dominicâ, 23. martii, exortus pæne fuit gravis tumultus, ut refert Tumultus apud Jeſuitas

Anno 1578. Mart. Papebrochius ex *Hiſt. Domeſticâ* : ſubitus, inquit, clamor in templo B. Mariæ tempore concionis exurgit, Patres Societatis domo exturbari : catholici hâc re commoti arma ſumunt, cumque jam à congreſſu cum militibus excubantibus in Collegio nihil abeſſet, primarius Conſul interceſſit, vigiliaſque mutavit & mandavit, ut excubiæ è Collegio dimoverentur & in alio loco ponerentur. Hinc, inquit Auctor, nonnihil tranquilliùs noſtra nos agere permiſerunt.

April. Pergit idem Auctor. Decimo octavo poſt Paſcha die, id eſt 18. aprilis, venit ſummus Quæſtor cum Triumviris & aliis ad id deſignatis ; adducunt fabros murarios, qui templum noſtrum conſtruxerant, ut qui ſcirent omnia loca retruſa domûs : primùm autem in Curia juraverant, nemini prodituros ſe, quâ de cauſâ adducerentur. Cum autem quod perquirebatur non eſſet inventum (quærebatur ſcilicèt vas auri centum millium ducatorum habens) rurſum fabros adjurant, ut taceant rem omnem ; ſed hi poſtridiè viſitationis iſtius conſilium nobis explicuerunt.

Inquiſitio ibidem facta.

Interim, dum religioſi ſic vexabantur & per publicas inquiſitiones magìs magìſque inter plebeos ſuſpecti reddebantur, qui cum Orangio agebant ad novum jusjurandum tamquam Cleri laqueum cudendum, tandem rem perfecerunt & conſcripſerunt per modum Edicti. In exordio commemorant injurias Religioni catholicæ illatas à nonnullis, deque ea re ſe dolere plurimùm, daturos operam ut talia impoſterùm coërceantur : interim ſe petere, ut concionatores ad populum modeſtè agant & omnia quæ fiunt in bonam partem interpretentur, tum alia ſimilia. In fine erat, quod graviſſimum aculeum catholicis infligebat & cujus rei gratiâ

Formula novi juramenti.

cæto

cætera omnia videbantur præfixa & excogitata; nimirùm ſtatuere ſe, ut omnes non ſolùm laïci, ſed etiam eccleſiaſtici & religioſi, qui apud ipſos manere velint, Magiſtratui deferant juramentum ſolemne, quod Dominum *Joannem Auſtriacum* & ei adhærentes habebunt pro hoſte, eumque bonis ac corporibus extrà patriam ſubmoveri adjuvabunt : quod niſi faciant, quamprimùm recuſantes hoſtium loco futuros; adjectâ etiam pœnâ confiſcationis bonorum & exilii, aliorumque quæ æquitas & leges (ſcilicèt perverſæ hæreticorum) in eos decernerent. Anno 1578. April.

Sic juramentum conceperunt perverſi, quo primarium intentum contrà eccleſiaſticos, & conſequenter contrà Religionem catholicam, tandem obtinerent. Sed quia infirmum fuerat decretum Senatus, quoad exactionem prioris juramenti ſeu promiſſionis, hanc formulam deferunt ad congregationem Ordinum fœderatorum ab ea approbandam & decernendam. Exigendi ab eccleſiaſticis.

Tandem autem 22. aprilis ab Ordinibus formula iſta approbata fuit & decreta, ſed pleriſque inſciis aut abſentibus, qui è Statibus videbantur adhuc catholicis favere; quam occaſionem indubiè obſervaverant fabricatores juramenti, ut aſſerit Papeb. Sed ecce, cum hactenùs fœderati omnia ſua Edicta edidiſſent ſub nomine Regis, etiam huic edicto nomen Regis præfigunt, eumque introducunt contrà ſe loquentem, exigentem illud juramentum ac volentem, ut omnes *Joannem Auſtriacum*, Agentem ſuum in Belgio, haberent hoſtem patriæ eumque eo titulo perſequerentur. Patet ex ipſo Edicto vulgato typis Plantini, unde illud contractum ſubjungo. Approbatur ab Ordinibus. Edictum eorum deſuper

PHILIPS by der gratien Godts Coninck van Caſtillien . . . Is tot onſer kenniſſen gecomen, dat onder Sub nomine Regis.

Anno 1578. April. *onder 't deksel van de licentie militaire, ende diverſiteyt van den tegenwoordigen tyt, ſommige perſoonen hen vervoirdert hebben ende noch dagelycx verwoorderen den Cloeſters ende Kercken, midtsgaders oock ſommighe Geeſtelycke perſoonen overlaſtich te vallen, committerende ten opſiene van dien diverſche inſolentien, overwillicheden ende ſchandaleuſe acten, als predicatien, houwelycken, doopſels ende andere exercitien op de maniere van de nieuwe religie, t'onſen grooten leetweſen ende jegens de goede meyninge van ons ende onſe lieve ende welbeminde de generale Staten van onſe Landen van herwaertsovere, jegenwoirdelyck vergadert in deſe Stadt.*

Soo eeſt dat wy... verclaren... dat onſen wille... is de voirſ. Pacificatie... te onderhouden ende doen onderhouden, ſunderlinge de voirſ. puncten aengaende, mitte voirſ. declaratie ende aſſeurantie daer na ghevolcht... Ende... verbieden... ſoo wel geeſtelycke als weerlycke... met onſe voirſ. vyanden (agitur de Joan. Auſtriaco & Hiſpanis) *te handelen... ofte correſpondentie te hebben...*

Voirts tot meerdere verſekerheyt van eenenyegelycken, ende alle ſuſpitie, diffidentie ende wantrouwicheyt te weeren, hebben geordineert ende ordonneren allen Officieren ende Wethouders ofte Magiſtraten, alle de gene, die reſiderende ſijn onder heure jurifdictie, ſoo wel gheeſtelycke ende religieuſen (ſonder prejuditie nochtans van hun privilegien ende geeſtelycke vryheden) te ſweeren ende by ſolempnelen eede te affirmeren de voirſ. Pacificatie van Ghendt, by ons gheapprobeert, ende de declaratie ende aſſeurantie daer nae ghevolcht. Ende daerenboven te beloven ons, onſen voirſ. Neve ende Broeder (Mathias) *als Governeur, goet ende getrouw*

getrouw te weſen met lyf ende goet tot wederſtant ende verdryvinge van den ghemeynen vyant Don Johan *met ſijne adherenten oft aenhangeren, houdende voir vyanden alle de gene die refuſeren, wygeren oft dilayeren ſullen den voirſ. eedt te doene. Tegens de welcke willen wy gheprocedeert te worden, t'zy by bannıſſemente, aentaſtinge van hun goeden oft anderſins, ſoo nae goeden rechte ende redene bevonden ſal weſen te behoiren.* Anno 1578. April.

Ontbieden daeromme... Ghegeven in onſer ſtadt van Antwerpen den xxij. dach van aprille in't jaer onſ Heeren duyſent vyf hondert achtenzeventich.... by den Coninck in ſijnen Rade. Pottelsberghe.

Edictum hoc, licèt per Ordines decretum & vulgatum 22. aprilis, rigoroſè exactum non fuit ante 12. may, ut infrà dicetur.

Michaël Bajus, in add. ad Epiſtolam ſcriptam ad Abbatem *Lætienſem*, reflectit, hoc juramentum à Clero & monachis exigendum decerni *ſine præjudicio* privilegiorum & libertatis eccleſiaſticæ: ſicut, inquit, irridendo eccleſiaſticos dicere videntur. Judicium Baji de hoc juramento.

Dein tria notat, propter quæ cenſebat juramentum illud illicitum: primò, propter exactam in eo comprobationem Pacis Gandenſis cum declaratione & aſſecuratione ſubſecuta: quia, inquit, qualiſcumque habenda ſit Pacificatio Gandenſis, attamen quiſquis hoc juramentum præſtiterit, eo ipſo, ſaltem ratione declarationis ſubſecutæ, communione jungitur cum iis, qui ſe vocant deſertores Romanæ catholicæ Religionis, fitque ſchiſmaticus.

Secundò, quia continet, quod jurans totis viribus allaborabit, ut neque catholici hæreticis, neque hæretici catholicis ob religionis cauſam facto vel verbo ullam inferant moleſtiam.

Quàm

Anno 1578. April. Quàm sollicitè, inquit, huic parti ſatisfacere ſtudeant hæretici, nimis manifeſtè & plurimorum ingenti dolore oſtenderunt Amſtelodami, Harlemi & aliis pluribus locis. Sed, inquit, qui hoc juramentum præſtiterit, nonne ſe obſtringit, ut non pareat Apoſtolo 2. Tim. 4. ſcribenti Timotheo: *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa cum omni patientia & doctrina &c.*

Tertiò, quia promiſſio exigitur, quod jurans corpore & bonis cooperabitur Archiduci MATHIÆ, id eſt, Principi Auriaco qui ſub ejus nomine imperat, ad ejiciendum D. JOAN. AUSTRIACUM ex hac patria cum omnibus illi cohærentibus. Hìc, inquit, civilem quæſtionem non diſcutio, an &c. ſed cum clericis non liceat militare, manifeſtum eſt, iniquam eſſe conſtitutionem, quâ jubentur promittere, ſe tamquam milites corpore & bonis cooperaturos, ut D. *Joan. Auſtriacus* cum omnibus ſibi cohærentibus toto Belgio exturbetur, &c. Has tres rationes, ob quas dictum juramentum illicitum eſſe cenſebat Bajus, latiùs deducit loco citato.

May. Tandem tribus circiter ſeptimanis poſt publicatum Edictum cœptum eſt exigi prædictum juramentum: nam ut refert Papebrochius ex Relatione, quæ de Patrum expulſione conſcripta fuit, 12. maii, feriâ 2. ante feſtum Pentecoſtes, centuriones nonnulli cum quibuſdam è Magiſtratu collegium Societatis rectà primùm adeunt. Explicant juramentum, ajunt ſic definitum à Statibus, non eſſe tempus tergiverſandi. Reſpondent autem Patres, non poſſe nec velle ſe hoc juramentum agnoſcere. Ergo, inquiunt, pro hoſtibus vos tenemus; ergo abite hinc & quærite locum, ubi liceat ita vivere. Sic indignabundi recedunt ad Patres mino-

Juramentum exigitur fruſtra.

Apud Jeſuitas.

minores, ad alios item atque alios, Paſtorem Begginagii ſcilicèt (qui erat *Joan. Fred. Lumnius* ſcriptis Clarus) & Canonicos illos, qui priori juramento necdum ſubſcripſerant: ſed idem reſponſum de poſteriori referunt.

Anno 1578. May.

Apud alios Eccleſiaſticos

Quantùm ad FF. Minores hæc refert *Rolandus Myrtius* ex relatione, quam *Petrus de Monte* eorum Guardianus conſcripſerat: Publicato nefario edicto, die quâdam venerunt ſub noctem in Franciſcanorum monaſterium Scabini quidam & urbis Secretarius cum nonnullis militiæ tribunis; & *Montio* Guardiano religioſiſque omnibus edictum proponunt: cumque ſingulos cubiculum intrare juſſiſſent, ego, inquit ille, non ſum juraturus: tu verò domine Secretarie, qui nobis juramentum hoc proponis, non ignoras, nos, ſi juraverimus, lethale peccatum commiſſuros, per varios Eccleſiæ canones diabolo tradendos; ipſos etiam ſeculares, qui tale juramentum ab eccleſiaſticis exigunt, in vinculum excommunicationis incidere. His auditis ſtomachabundi diſceſſerunt, ita ut facile appareret, malum illos ingens bonis fratribus minari.

Apud Minoritas.

Pergit Relàtio Patrum Societatis: Diſcedunt itaque Colonelli & videntes ſe nihil profeciſſe concludunt Patres vexationibus & oppreſſionibus eſſe expellendos; ad hoc inducunt milites, qui in domo excubabant: ſed cum etiam hoc medium fruſtraneum eſſet, ineunt conſilium de Patribus occidendis, quod per furibundos cives perpetraſſent, niſi Deus præcaviſſet.

Feriâ ſextâ ejuſdem ſeptimanæ, 16. maii, tres deſignati ex concilio Statuum Belgii, Abbas Maricolenſis, Dominus de Willerval & Dominus de Troymont (quibus ſe junxit D. de Grobbendonck viſurus, num quid poſſet

Exigitur per Commiſſarios Statuum.

in

Anno 1578. May. in favorem Patrum) ad Collegium Societatis accedunt, ſollicitè cum Patribus conferunt, ut pleniorem ab ipſis obtinerent ſecuritatem. Poſt multa hinc inde dicta diſceditur tandem in eam ſententiam, ut proximè in Conventu Statuum Patrum cauſam defendant, idque poſt dies Pentecoſtes. Ita dicta Relatio. Nullibi autem notatum invenio, num dicti Commiſſarii ultrà progreſſi ſint ad alia monaſteria aut alios eccleſiaſticos; fortè cùm cauſa Patrum eſſet cauſa totius Cleri, etiam reſponſa illorum tamquam totius Cleri acceptata fuerunt, deferenda ad Comitia Statuum & ibidem diſcutienda.

Jeſuitæ expelluntur. Furibundi autem, qui Eccleſiaſticos expulſos volebant, impatientes non expectârunt agitationem cauſæ Patrum in congregatione Statuum, quam commiſſarii promiſerant faciendam poſt feſta Pentecoſtes; poſtridie enim, ut habet relatio Patrum, id eſt, in Vigilia Pentecoſtes tenent milites, qui in domo excubabant, oſtium clauſum, neque diſcipulos ad ſcholas, neque cives ad templum intrare patiuntur. Cujus autem mandato hoc factum ſit, non invenitur notatum. Sic & Feſto Pentecoſtes, quo circà horam nonam alter Conſulum, qui catholicus erat, venit & jubet aperiri templum, atque agere Patres ſua, quæ ſolent, aſſerens ſe inſcio & dolente hæc fieri. Finito autem ultimo Sacro irruunt hæretici in templum, acerbè vexant Patres, effractis portis domum intrant, ter in Patres ſclopum exonerant; parant illi ſe ad mortem. Intereà tota domus impletur armatis, quorum omnium una vox, Patribus diſcedendum eſſe, niſi malint à furente plebe diſcindi in mille partes. Intereà *P. Joan. Boçarius* accurrens ad ſummum Altare, reverenter inde accipit Venerabile

bile & ſecum defert ſpectantibus hæreticis & nemine contradicente. Anno 1578. May.

Cum poſt duodecimam horam omnes Socii eſſent collecti numero quatuordecim, educuntur per templum; vias per quas tranſeundum erat, ſepiebant armatæ cuſtodiæ; bini egrediuntur Socii omnes palliis veſtiti. (id eſt accincti ad iter, quia in Synodo diœceſana celebrata an 1576., ut ſuprà vidimus, inhibitum erat eccleſiaſticis geſtare pallia, cui alioquì indubiè ſe conformabant Jeſuitæ.) Progreſſi ad portam navi imponuntur avehendi Mechliniam; in via autem multa paſſi ſunt Patres.

Collegium Jeſuitarum ſigillis clauſum.

Eductis Patribus portæ poſt eos clauſæ ſunt manſeruntque clauſæ totâ die. Ita & latiùs dicta Relatio. Verùm Auctor *Hiſt. dameſt*, aſſerit, domum Collegii tota illa die omnibus ſpectandam patuiſſe, eâ tantùm lege, nè quid auferretur, adhibitis ad portam cuſtodibus: quæ domus deinde publicâ Magiſtratûs auctoritate clauſa ſigilloque munita ita perſtitit ad duos menſes.

Educti ſunt itaque Patres cùm per duos annos & tres circiter menſes Collegium in hac civitate admiſſum eſſet, & per ſeptem annos & tres menſes exulârunt.

Minoritæ expelluntur.

Eodem die feſto Pentecoſtes, ut refert Papeb. *Annal. Mss.* ex *Rolando Myrtio*, expulſis patribus Societatis, poſt horam ſecundam à meridiè ad minoritas miſerunt milites centum & quinquaginta. Hi monaſterium ingreſſi ſtudio incitati Fratribus concione de more ſolemni habendâ interdicunt, populum ad eam audiendam confluentem repellunt, totoque triduo quidquid lubebat in monaſterio deſignant.

Feriâ ſecundâ Pentecoſtes duo miſſi à Magiſtratu Recuperatores Guardianum adeunt,

eique

Anno 1578. May. eique Magiſtratus verbis denuntiant, quoniam jurare nolit, ex urbe ſine tumultu diſcedat. Ille verò ultrò diſceſſurum ſe negat inde, ubi à Superioribus ſuis manere juſſus ſit, niſi vel interficiatur vel vi expellatur: cupere autem ſe, ſi concedatur, Abbatem Maricolenſem, Willervallium & Troymontium convenire.

Hi poſt tres dies 22. maii cum Markgravio, Stralio Conſule & duobus Tribunis monaſterium accedunt. Mox Guardianus adducitur, & charta, quam dixi, proponitur; non quidem, ſicut dicebant, ut ille cum Fatribus juraret, ſed tantùm ut fide presbyterali promitterent, in papyro comprehenſa religiose ſe obſervaturos. Tum integram illi formam Edicti prælegunt. Quâ intellectâ dicit, neque commentum hoc, neque quidquam eorum, quæ in charta continentur ſatis ſibi placere, niſi quod paratus ſit recipere, ſe fratreſque ſuos nec hoſtibus civitatem prodituros, nec contrà quietem ſecuritatemque publicam aliquid molituros ſcripturoſve: imò ſi quas in eam ſententiam literas receperint, illas bonâ fide Magiſtratui tradituros; amplius ſi conentur extorquere, oleum & operam perdituros. Tam malè hæc loquendi libertas Commiſſarios habuit, ut ſe à convitiis abſtinere nequiverint, quin *Montium* pertinaciæ, inſipientiæ & ſtoliditatis accuſaverint. Ubi tamen ira paulùm deferbuit, an ignoras, inquit, Maricolenſis Paulum omnia factum omnibus, & alia plura ex ſcriptura referens. Habitâ autem deſuper brevi diſputatione, mittitur Guardianus in ſeparatum quoddam cubiculum à militum manipulo cuſtoditum. Accerſitur poſt eum Lector: ajunt Guardianum juraſſe & in charta ſubſignaſſe. Ille verò ipſos mendacii convincit, ac prorſus negat ſe obtemperaturum. Deinde cæteri

omnes

omnes ſinguli introducuntur & ſingulis dicitur ſubſcripſiſſe præcedentes. Interim quindecim conſtantiſſimè Edicto ſubſcribere nec ullo modo id comprobare voluerunt: decem verò fratres profeſſi fuêre decepti; cumque ſuos juraſſe & ſubſcripſiſſe audirent & crederent, ſignârunt aut ſimplicem promiſſionem præſtiterunt. Anno 1578. May:

His peractis denuò Guardianus introducitur, ſeque ad Mechlinienſem navigationem parare jubetur; navigium dicunt eſſe paratum, ipſum cum ſuis expectari. Quindecim itaque educti ſunt. Quod cum viderent decem illi dolo circumventi, lacrimabundi & comitari volentes prohibiti fuerunt: educti autem navigio impoſiti inter navigandum injurias & contumelias perpeſſi Mechliniam appellunt. Ita, inquit *Papebrochius*, rem narrat *Rolandus Myrtius* ex eis, quæ deſuper conſcripſit *Petrus de Monte* Guardianus.

Decem illi, qui prohibiti ſunt comitari, perſeverârunt in Conventu regulariter vivere, & divina pro poſſe exercere, donec anno ſequenti cum reliquo Clero expulſi fuêrunt.

Altero poſt ejectos Minoritas die, inquit Papeb. *Annal. Mss.*, ſedato per Conſules & Gildas tumultu populari, cum Magiſtratus qualiſcumque ſuâ intereſſe putaret, atrocis facti invidiam lenire aliquâ juſtitiæ ſpecie, illius motûs præcipuos incentores duos, adoleſcentem unum, alterum inſtructorem militum (Locum-tenentem appellant) comprehendi jubet & in carcerem duci, & die 23. ad mortem damnant, qui conſequenter in foro capite plexi ſunt. Duo ex ſeditioſis morte plexi.

Auctor *Hiſt. Mss.* dicit eos capite truncatos 23. in foro ſepto armatis quinque Gildarum

 viris

Anno 1578. May. viris propter murmur populi, inter quos aliqui egrè ferebant, concives propter tam levia ſic puniri, quòd nempè, dum agebatur de inducendis ad juramentum aut educendis Minoritis declaraſſent, ſe eos eductos velle, ſeque non curare Principem Orangium, qui, inquiebant, nimìs bonus erat.

Ceſſat exactio juramenti. Sic itaque ceſſavit hìc tumultus, ceſſavit & rigoroſa exactio dicti juramenti: non ſcitur enim commiſſarios Senatûs aut deputatos à Statibus progreſſos fuiſſe ad alia monaſteria aut ad Canonicos & alios eccleſiaſticos ad exigendum dictum juramentum aut promiſſionem. Apparenter congregatio Statuum, quæ hìc hoc tempore agebat, & ad quam Deputati promiſerant ſe cauſam & reſponſa Jeſuitarum delaturos, rationibus illis & querimoniis Archiducis Mathiæ, expoſtulantis hæccine eſſent ſervandæ catholicæ Religionis promiſſa ſibi ab Orangio & Statibus facta, mota multum de rigoroſâ exactione remiſit, ſicut jam inde remiſerant eorum Deputati, apud Minoritas loco juramenti exigentes nudam promiſſionem; & veroſimiliter totaliter ſuſpendit. Sed interim expulſi revocati non ſunt. Furor etiam ſectariorum deferbuit, tum propter viſum ſupplicium duorum, tum propter ejectos Jeſuitas & Minoritas, quos maximè oderant; quia illi præ cæteris, ut ſuprà vidimus, ab anno 1566. maximè ferventes contrà ipſorum errores & ſeductiones inſtituerant conciones.

Pacata civitas. Hinc brevì exercitium catholicæ Religionis iterum quietè peragi cœpit: nam 29. may in feſto Corporis Chriſti ducta eſt ſolemnis Proceſſio, in qua pro more circumlatum eſt Venerabile Sacramentum, prælucentibus eccleſiaſticis laïciſque cum ipſo Archiduce MATHIA capitibus nudis. Ita ſcilicet, inquit Papebrochius, elude-

eludebatur bono Principi, quo inſpectante Jeſuitæ & Minoritæ expulſi fuerant.

Anno 1578. Junî.

Calviniſtæ offerunt libellum pro libertate Religionis.

Verùm pax hæc non diu duravit: ſectarii enim mox nova arma aſſumpſerunt ád vexandos catholicos. Calviniſtæ 2. junii celebraverant pſeudo-ſynodum Dordracenam, quâ religio ipſorum tamquam dominans in Hollandia, Zelandia &c. elata videbatur. Inde Calviniſtæ, qui hic & alibi in his provinciis nullo contradicente religionem ſuam in privatis locis aliquo tempore exercuerant, eo pervenerunt; ut auderent libellum ſupplicem offerre Archiduci & Concilio Status ad obtinendam libertatem Religionis, illúmque obtulerunt 22. junii hujus anni. Libellus iſte refertur apud P. Bor *Lib. XII. pag.* 37.

Contenta in eo.

Obtulerunt libellum iſtum ſub nomine Reformatorum, id eſt calviniſtarum, qui inhabitabant univerſum Belgium; veroſimile tamen eſt, fabricatum & oblatum fuiſſe per eos, qui Antverpiam confluxerant. In eo autem proteſtantur; ſe non inhiare bonis Eccleſiaſticorum, nec intendere ullum impedimentum afferre exercitio Religionis catholicæ, ſed cum catholicis pacificè vivere; & exaggerant neceſſitatem admittendæ illius libertatis; notanter ad reſiſtendum & pellendum Joannem Auſtriacum: & tandem concludunt: *Bidden... ſeer ootmoedelijck dat het uwer Hoocheyt ende oock u myn Heeren believe... alle oorſaecken van quaet vermoeden ende miſtrouwen... wechnemende..., te bedencken ende te beraetſlagen op ſulcke middelen, daer door met goeden wille ende verghenoeginghe van allen de oeffeninghe van d'eene ende d'ander Religie ghelyckmatelijck moghe verwillighet ende toeghelaten werden; tot dat het Godt ſal believen... door het middel van een*

Anno 1578. *goet, heylich ende vry algemeyne ofte ten minſten een nationael Concilie &c.*

Junii. Cum hunc Libellum obtuliſſent & jam quatuordecim diebus tardaſſet reſponſum, ſecundum obtulerunt Libellum relatum *ibid. fol.* 40. In eo conati ſunt inculcare ſecuritatem, quam in præcedenti Libello catholicis promiſerant, & media ſuggerere ad præveniendam incommoda, quæ inde timebantur.

Offerunt iteratum Libellum.

Julii. Itaque Archidux Mathias & Concilium Status examinato dicto Libello conceperunt quoſdam articulos concernentes Religionem, eoſque miſerunt ad Deputatos Statuum generalium: at illi, cenſentes ſe eo uſque non eſſe auctorizatos, dixerunt rem hanc pro determinatione remittendam eſſe ad principales ſuos in ſingulis provinciis. Hinc Archidux & Concilium Status prædictum Libellum & conceptos pro pace religioſa articulos tranſmiſerunt ad ſingulas Provincias, ut re examinatâ Ordines quamprimùm judicium ſuum tranſmitterent, inhibentes, nè interim quid novi in cauſa Religionis attentaretur. Literæ hæ miſſæ fuerunt 24. julii. P. Bor. *ibid.*

Articuli pro Pace religioſa mittuntur ad Provincias

Cum autem inhibitio hæc fruſtranea eſſet, & in variis locis tumultuosè nova in cauſa religionis attentarentur; ſectarii Antverpienſes timorem populo incuſſerunt, nè quid ſimile in hac civitate fieret. Hinc Colonelli, Decani opificiorum & gildarum ac alii incolæ inſtiterunt apud Ordines Brabantiæ, quatenùs ſine dilatione tranſmiſſos ſibi articulos examinarent & judicium ſuum deſuper ferrent, idque ad præveniendum omnem tumultum & diſſidium inter ſubditos hoc tam periculoſo tempore.

Antverpienſes inſtant apud Ordines Brab. pro reſponſo.

Aug. Ad hæc 9. aug. reſponderunt primum & ſecundum Statuum membrum, id eſt, Prælati

Reſpondent Prælati & Nobiles.

lati & Nobiles, qui tunc Antverpiæ congregati erant, quod (cum tempore Pacificationis Gandenſis neceſſarium judicatum eſſet, ad agendum & perficiendum bellum contra communem hoſtem, negotium religionis differre uſque ad Comitia Statuum generalium celebranda poſt repulſum hoſtem) ſperaſſent fore, ut deſuper, auctâ jam potentiâ & acerbitate hoſtis, quæſtio non moveretur; attento quod in illo negotio vix quidquam concedi poſſit uni, quod non detrahatur parti alteri; quod ſi calviniani tum Antverpiæ tum alibi ſe arctatos credant, ita ut, non obſtante inſtantiâ hoſtis, ſatisfactionem velint; videatur Prælatis & Nobilibus, ſibi non competere rem hanc determinare, niſi auditis utrimque omnibus, quod hactenùs fieri non potuit, notanter etiam propter abſentiam plurium Prælatorum & Nobilium; quod vel ideo deſiderent Prælati & Nobiles, ad debitè & juxtà privilegia in negotio pacis religioſæ procedendum, ut opinio ſua debitè conſcripta tradatur Deputatis civitatum, deferenda & proponenda membris earundem, & ut (nè præcipitanter in tanto negotio procedatur) eis ſufficiens tempus concedatur ad deliberandum, idque juxtà tenorem literarum Archiducis; & ut quiſque intereà abſtineat à novitatibus & diſcordiis. Quod ſi qui Antverpienſes dictam definitionem nolint expectare, convertant ſe modeſtè ad Magiſtratum aut Superiores, & eorum judicio & auctoritate deſiderio ipſorum convenienter ſatisfiat; licèt quiſque judicare poſſit, deſuper vix quidquam ſtatui poſſe ſine præjudicio decreti Pacis religioſæ, ſtatuendi per Congregationem Statuum generalium omnium Provinciarum. Reſponſum hoc datum fuiſſe 9. aug. refert *P. Bor. ibid.*

Anno 1578. Aug.

Anno 1578. Aug.

Ad decretum hoc Pacis religioſæ conficiendum diu multumque actum eſt : verùm numquam prodiit. Articuli autem illius numero 40., miſſi ab Archiduce ad Ordines, exhibiti fuerunt Antverpiæ in Concilio lato 23. hujus menſis examinandi & dijudicandi per membra civitatis.

Inſtant apud Senatum & Orangium.

Calviniani Antverpienſes reſponſum Prælatorum & Nobilium in favorem ſuum interpretantes, quaſi per Status Brabantiæ Senatui aut ſuperioribus data eſſet plena poteſtas ad concedendam proviſionaliter libertatem religionis, ſtatim rem hanc cœperant urgere, tum apud Senatum, tum præcipuè apud Orangium patronum ſuum, qui anno 1566. eam ipſis facilè conceſſerat : nec deſtiterunt, donec eam obtinuerint, ut mox dicetur.

Alenſonius creatus Defenſor Belgarum.

Occaſione cladis Gemblacenſis Dux Andegavenſis, vulgò ALENSONIUS, Regis Galliarum frater, operam ſuam obtulerat Ordinibus. Miſſi fuerant ad eum ab Ordinibus Legati, qui ei gratias agerent & tractatum cum eo conciperent. Sed ecce, dum fœderis conditiones tractantur, ipſe ALENSONIUS, animum reipſâ declarare volens, Montes Hannoniæ venit 12. julii, ubi à deputatis Ordinum honorificè magnificèque excipitur. Intereà etiam temporis ſe Hiſpanis hoſtem ipſo facto oſtendit; Legatos ſuos Antverpiam mittit, qui ibidem 13. aug. cum Ordinibus fœdus ineunt & viginti tribus articulis pacti ſunt, quos vernaculè refert P. Bor. *Lib. XII. fol.* 43. Articulo 4. per Ordines tribuitur ei titulus : *Defenſor Libertatis Belgarum contrà tyrannidem Hiſpanorum eorundemque aſſeclarum.* Art. 7. cavetur, nè ipſe Dux ullum moliatur bellum cauſâ religionis. Art. 10. promittunt Ordines, quod ſi poſtmodum voluerint alium Principem acceptare (quod jam medita-

meditabantur) Ducem ALENSONIUM omnibus aliis ſint prælaturi. Promiſſum hoc dein compleverunt. Fœdus hoc Antverpiæ cum magna ſolemnitate publicatum eſt. 28. aug. *Hiſt. Mſs.* Anno 1578.

Intereà calviniſtæ Antverpienſes urgebant apud Senatum libertatem religionis ; Senatus agebat apud Orangium. Orangius nihil aliud deſiderans & fortè totum negotium dirigens, cum miniſtris concepit articulos, quos de conſilio Deputatorum Statuum Brabantiæ, tribus tantùm hebdommadibus poſt relatum reſponſum eorundem Statuum, per modum Edicti vulgavit ſub nomine Archiducis MATHIÆ & ſuo : in quibus eis conceditur libertas religionis, pro exercitio ejuſdem aſſignantur loca, & pro ſepultura mortuorum cemeteria Parochiarum. De cæterò præferuntur in iſto Edicto, quæ viderentur conducere ad ſecuritatem Catholicorum. Omnia autem decernuntur proviſionaliter, donec generalis Pax religioſa concluderetur. Edictum hoc dictum eſt : *Pax religioſa Antverpienſis proviſionalis*, & publicatum fuit 29. aug. ac prelo vulgatum. Refertur etiam apud P. Bor. *Lib. XII. fol.* 42. & ſeqq.

Antverpienſes Calviniſtæ obtinent libertatem religionis.

HOE WEL dat by brieven van den 24. der voorleden maent julii by ſijn ALTEZE geſonden aen de generale Provincien van herwaerts-over, met ſeeckere gheconcipieerde ordonnantie ende Religions-vrede, om by de ſelve Provincien reſpectivelijck, elck in't ſijne, daer op te delibereren ende gheresolveren, gheordonneert hadde gheweeſt, dat binnen middelre tyden een yeghelyck hem vermyde van eenighe deſordre ofte nieuwicheydt voort te ſtellen : nochtans alſoo dien niet teghenſtaende by diverſche ſteden ende plaetſen onlancx van nieus ter contrarie voortgheſtelt ende gheattenteert es gheweeſt,

Edictum deſuper proviſionale.

Anno 1578. Aug.

tot groot intereſt van de ghemeene welvaert ; ende dat de Wethouderen der ſtadt van Antwerpen , *vreeſende aldaer gelycke inconvenienten, hadden ſijne* Hoocheyt *ten diverſche ſtonden ernſtelijk verſocht daer inne te willen verſien:*

Soo eſt , dat om't ſelve te doen ende alle apparenten dangieren in de ſelve ſtadt te ſchouwen , naer deliberatie daer op ghehouden met die Ghedeputeerden *van den* Staten van Brabant, *de welcke hen deſe aengaende ghedragen hebben in diſcretie van ſijn* Hoocheydt *ende* Rade van State : *naer dien oock daer op ghehandelt ende communicatie ghehouden hadde gheweeſt met ſommighe* predicanten , miniſters *ende* conſiſtorianten *van de voorſchreven religie , ſijn* Hoocheyt *heeft , om beter ghedaen dan ghelaten, deshalven gheaccordeert ende gheordonneert t'ghene dat hier na volcht ; daer nae elck een ghehouden wordt hem te reguleren ende 't ſelve nae te volghen , ende dat al by maniere van* provisie *ende tot dat by middel van de voorſchreven* Religions - vrede *ofte andere finale ordonnantien ende reſolutie van de* generale Staten *anders gheordonneert ſal weſen , ſonder eenich prejudicie van de* Pacificatie van Gent.

Decernitur libertas Religionis.

1. *Alvooren dat die van de voorſchreven ghepretendeerde ghereformeerde religie ſullen ghenieten* liberteyt van *haerluyder voorſchreven* religie , *ende moghen exerceren binnen der voorſchreven ſtede van Antwerpen in predicatie ende anderſins , in der voegen ende manieren hier nae volgende ende anders niet.*

Aſſignantur loca pro exercitio ſuæ religionis.

2. *In den eerſten ſullen heurluyden toegelaten zyn tot exercitie van de voorſchreven religie , als predicatien , ſangen , nachtmalen , houwelycken , doopſels ende andere ſaecke d'ſelve*

religie

religie aengaende, *'t Huys van Aecken* (id eſt Collegium Jeſuitarum) *'t Huys gheheeten Leghuyt*, *'t Suyckerhuys*, *op de oude Eirmerie* (id eſt in fundo Infirmariæ, quæ ſteterat viâ *het Klapdorp*, olim tranſlata ad *Royſtraet*, ubi adhuc hodie ſubſiſtit.) *ende die Cappelle op de plaetſe van den Caſteele* (veroſimiliter per Capellam non intelligitur eccleſia Parochialis ibidem nuper erecta; ſed Capella, quæ ibidem ante dictam erectionem ſteterat & in qua jam ampliùs divina non peragebantur.) *Dies ſullen ſy van alles moeten hebben den moet ende conſent van de Proprietariſſen ende bevelhebbers.*

Anno 1578 Aug.

3. *Ende voor de begravinghe van de doode lichaemen ſullen provisionelyck ende totter tydt toe, daer anders inne gheordonneert ſal weſen, moghen gebruycken die kerckhoven van die Parochie kercken, ſonder nochtans aldaer eenighe vermaeninghe of loſſanghen, noch eenich ander ſchandael te moghen doen. Behoudens dat ſulcke begravingen ſullen geſchieden buyten den tyde, dat men in de voorſchreven kercken den principalen dienſt doen ſal.*

Cemeteria pro ſepultura

4. *Met welcke toelaetinge die van de voorſchreven religie heurſuyden ſullen te vreden bouden, ſonder tot exercitie van dien ofte tot conventiculen in't heymelyck ofte openbaer eenighe andere plaetſen, ghewyt ofte ongbewyt, te moghen innemen ofte ghebruycken.* (Articulus hic non diu ſtetit.)

Alia loca ipſis interdicuntur.

5. *ende tot elcx verſeeckertheyt, ſoo wel van d'eene als van d'andere Religie, es verboden, d'een den anderen eenichſins te beletten ofte tegenſtooten, doen noch la'en ofte beſchadighen de dienſten, ceremonien ofte andere oeffeninghe niet meer van de oude catholycke Roomſche Religie dan d'andere, ofte oock eenighe Gheeſtelycke ofte*

Prohibetur mutua turbatio & Iconomachia.

Anno 1578. Aug.

oſte ghewyde plaetſen crencken, plunderen oſte beſchadighen, noch beelden te breecken, bederven oſte deſigureren.

Item injurioſa facta aut verba.

6. Noch insghelycx om de diverſiteyt van de Religie yemandt in lyfve oſte in goeden te hinderen oſte injurieren, ſtoorenisſe oſte leiſel aen te doen met woorden oſte met wercken: noch te vercoopen oſte voort te ſtellen eenighe ſchampere oſte injurieuſe ſchilderien, liedekens, baladen, refereynen oſte andere injurieuſe libellen ende gheſchriften diffamatoir: noch oock draghen eenige meubelen oſte teeckenen, daer deur ſy anderen ſouden moghen injurieren oſte verwecken tot tweedracht ende queſtien.

Item ſcandala in mutuis templis.

7. Dat hem een yegelyck ſal verdraghen van te comen ter plaetſe, daer men andere religie dan de ſijne exerceert, ten zy hy hem daer ſtille houde ende wachte van ſchandael ende hem regulere nae de ſtatuyten ende ordonnantiën van de kercken oſte templen, daer hy hem vinden ſal.

Prædicantes acceptari debent à Senatu

8. Dat die van de voorſchreven religie heurluyder predicanten, miniſters oſte conſiſtorianten ſullen moeten preſenteren aen de Schout ende Wethouderen deſer Stadt, om by de ſelve gepreſenteert ende ontfanghen te worden, mits doende eedt van ghetrouwicheyt ende andere eenicheyt in alle politicque ſaecken, ſonder daer inne eenichſins te uſurperen oſte hem daer mede oſte met eenighe acte van juriſdictie, noch metter authoriteyt van de Magiſtraet te moghen moeyen directelyck noch indirectelyck, in wat manieren dattet zy.

Ne prædicent ſeditioſa &c.

9. Verbiedende de ſelve predicanten miniſtren ende conſiſtorianten, eenſamentlyck die van de catholycke Religie, in't openbaer te ſpreecken, preecken oſte anderſſins te ghebruycken eenighe woorden oſte propooſten tenderende tot oproer ende ſeditien.

Maer

Maer ſal elcken hem draghen in alle ſtillicheyt ende modeſtie, niet ſegghende ofte profererende, dan 't ghene dat dient tot ſtichtinghe ende leeringhe van de auditeurs, ende tot onderhout van de goede unie, eendrachticheyt ende vrede. Anno 1578. Aug.

10. *Dat die van de voorſchreven religie ſullen gehouden ſijn te onderhouden die Heylighen ofte Feeſt-daghen alhier ghecoſtumeert; ende aengaende 't vercoopen ende 't eeten van 't vleys op de verboden daghen, hen draghen politikelyck naer d'ordonnantie ende uſantie van deſe ſtadt.* Obſervatio Feſtorum & Jejuniorum.

11. *Dat elck in't ſijne oock ſal ghehouden ſijn die Overheyt ende Magiſtraet van deſe ſtadt alle behoorlycke reverentie ende obedientie te draghen, de ſelve alleſſins aſſiſterende, ſoo wel in't draghen als ſtraffen van alderhande oproerighen, ſeditieuſen ende andere quaetdoenders, ende byſonder van d'overtreders ſoo van deſe als anders.* (Hìc tacitè mandatur, quod exigebatur in ſuprà relato juramento, nempè ut eccleſiaſtici corpore & bonis juvarent ad pellendum Joan. Auſtriacum è Belgio.) Mandatur utriſque ut aſſiſtant Senatui in puniendo &c.

12. *Dies ſullen ſyn* HOOCHEYDT, *die* Prince van Orangien *als Borchgrave van Antwerpen ende Gouverneur van Brabant, mitsgaders de voornoemden* Schout, Wethouderen *ende anderen van de* Magiſtraet, *nemen ende ontfanghen op heurluyden ſauvegarde, protectie ende beſchermeniſſe ende bewaerniſſe, ſoo wel den ghenen van d'eene als van d'andere Religie, ende ſonderling den Gheeſtelycken ſtaet, haerluyder kercken, clooſteren ende goeden, hoedanich die ſijn; ende beloven op behoorlycke eedt, die alleſſins voor-te-ſtaen ende beſchermen teghens alle die ghene van wat religie ofte conditie die zyn, die daer teghens yet ſouden* Orangius & Senatus protectionem jurabunt præcipuè Eccleſiaſticorum.

willen

Anno 1578. Aug. *willen attenteren oſte vercorten, henluyden te injurieren oſte leet te doen aen lyve oſte aen goede, op wat maniere dattet zy.* (Juramentum hoc effectu caruit.)

Belovende oock op ghelycken eedt de tranſgreſſeurs ende overtreders van deſe Ordonnantie, ende van elck poinct van dien, te doen punieren ende ſtraffen als ſeditieuſe ende perturbateurs van de ghemeene ruſte, welvaert ende anderſſins, exemplaerlyck na de gheleghentheyt van de delicten ſonder ſimulatie oſte verdrach.

Idem jurabunt Colonelli, Capitanei &c.

13. *Aen allen den welcken oock de handthouden ſullen de ſes gheſworene Gilden, de Collonellen, Capiteynen, Wachtmeeſters ende bevelhebbers deſer ſtadt; mitsgaders die voorſchreven predicanten, miniſters ende conſiſtorianten van de voorſchreven religie; d'welcke reſpectivelyck elck in't ſijne, ſoo wel in hueren eyghen naem als voor de ghemeente, ghehouden ſullen ſijn ten dien fine ende tot ſtricte ende punctuele obſervantie van deſe ende van elck poinct byſonder eedt te doen in handen van den voorſchreven Wethouderen.*

Calviniſtæ habebunt Deputatos ad eundem effectum.

14. *Daerenboven ſullen die ghemeente van elcke plaetſe, daer men die voorſchreven predicatien van de religie houden ſal, denomineren twee oft drie perſoonen, die inſghelycx uyt heurlieden naem beloven ende ſweeren ſullen, heurluyder nae deſe te reguleren, ende de ſelve perſoonen ooc macht ende authoriteyt ghevende, om van hunnent wegen alle overcommende ſwaericheden met die van de Wet te moghen handelen, tracteren ende reſolveren.*

Aldus gheaccordeert ende geordonneert by proviſie als voren den neghen-en-twintichſten

dach

dach in auguſto 1578. *, ende belaſt Schouttet, Borghemeeſteren , Schepenen ende Raedt deſe te publiceren ende doen onderhouden , daer ende alſoo 't behoort. Onderteyckent :* Mathias. *Ende lagher :* Guillaume de Naſſau. *Ende ter ord. van de ſtadt* Martini. Anno 1578. Aug.

Chronicum Ms. , quod notat Edictum hoc referri in regiſtro civitatis intitulato *Spaens Privilegie-boeck* fol. 135. , ſubjungit nomina prædicutiorum , quorum conſilio confectum fuerat , vel qui juxtà hoc Edictum à Magiſtratu in hac civitate admittebantur , nempe *Gaſper Heydanus* Miniſter , Doctor *Jeremias Baſtynck* Miniſter , *Andreas van den Berghe* , *Dioniſius Nuyt* , *Alex. Baudewyns* , *Jac. van Borbach* , *Matheus de Herte* , *Reynerus Thebroek* , *Guillielmus Coex* , *Artus van der voort* , *Petrus Loteterius villeonus* verbi Dei adminiſter ; *Joannes Taſſinus* verbi Dei miniſter in Aula Illmi Principis Aurangii , *Joannes Kokodeus* miniſter eccleſiæ gallicanæ Antverpianæ , *Simon de Briſant* amicus , *Joan. Mevinc* , *Joan. Guercklius* verbi Dei miniſter , *Jac. Taſſin* amicus , *Bern. de Ruille* amicus , *P. le Febre* amicus.

Prædicutii admiſſi.

Edictum hoc confectum eſt & libertas religionis calviniſtis conceſſa ad pacificandam civitatem & ad præveniendos tumultus alibi deſuper excitatos : verùm pacem minimè attulit , quin potiùs rempublicam magìs magìſque turbavit. Licèt enim calviniſtæ ad obtinendam hanc libertatem omnem ſecuritatem promiſiſſent catholicis catholicæque Religionis exercitio ; non quieverunt tamen , donec eccleſiaſtici omnes forent expulſi & religionis exercitium eliminatum : & vix obtinuerant hoc Edictum , quin mox audacter plures catholicorum eccleſias variis prætextibus peterent , quas etiam brevì contrà ipſum

Edictum hoc pacem non attulit.

Anno 1578. Aug. ſum edicti tenorem & contrà juramentum Orangii ac Senatûs obtinuerunt ; ut infrà dicetur.

Libertas illa obtenta eſt ſicut an 1566

Notandum autem quod , ſicut Calviniſtæ anno 1566. ſimul ac Orangius conſtitutus eſſet Gubernator Antverpienſis , cœperant agere ad obtinendam libertatem religionis , eamque brevì obtinuerant ; ſic ſimul ac idem Orangius factus eſſet Gubernator Brabantiæ , cœperint agere in eundem finem ; & eo mediante libertatem illam jam iterùm obtinuerint.

Septemb.

Lutherani petunt & obtinent libertatem Religionis.

Edictum hoc solùm reſpiciebat calviniſtas ; eis ſolis concedebat libertatem religionis. Lutherani autem , qui , ſimul ac calviniſtæ anno 1566. obtinuerant libertatem ſuæ religionis , eandem libertatem pro ſua petiverant & brevì obtinuerant ; ſic jam , ſimul ac dicta libertas calviniſtis conceſſa eſſet , iterum prodeunt & libertatem ſuæ religionis ac loca pro exercitio ejuſdem petunt. Notat Auctor *Hiſt. Mss.* calviniſtas id ægrè tuliſſe : timebant enim , inquit , nè ſi quis tumultus oriretur , Lutherani ſe jungerent catholicis , ſicut fecerant anno 1566.

Petunt itaque Lutherani dictam libertatem eamque mediante Orangio , non obſtante calviniſtarum conatu , obtinent octo tantùm diebus poſt conceſſam Calviniſtis , sextâ ſcilicèt ſeptembris ; & loca pro exercitio ſuæ religionis eis aſſignata ſunt horreum prope S. Michaëls , Capella Panniparorum vulgò *Keyſers-Capelle* & ſolarium domûs *het Heſſenhuys.* Ita refertur in ſuprà citato civitatis regiſtro *fol.* 138. Ecce qui in ſuprà relato Edicto art. 12. ab octo tantùm diebus ſub juramento in ſpecialem protectionem ſumpſerant eccleſiaſticos eorumque eccleſias , jam indè capellam unam auferunt eamque tradunt Lutheranis. Hoc videntes calviniſtæ non diu tardârunt ,

darunt, quin etiam eccleſias catholicorum uſui ſuo expeterent. Anno 1578.

Interim in Feſto S. Michaëlis propter memoriam ſudoriferi morbi in omnibus eccleſiis & monaſteriis circumlatum eſt venerabile Sacramentum cum funalibus cereiſque accenſis; item circum Baſilicam Marianam faces præferentibus Canonicis, Preſbyteris, Chori euchariſtici magiſtris multiſque piis civibus. Ita Papeb. *Annal. Mss.* Hinc habetur, quod propter præmiſſas turbas habita non fuerit eo die more ſolito generalis Proceſſio. Septemb. Proceſſio in feſto S. Mich.

In ſuprà relato Edicto Art. 12. & 13. decretum erat, ut non tantùm Princeps Orangius & Senatus, ſed etiam ſex Gildarum viri, Colonelli, Capitanei & cæteri excubiarum duces jurarent protectionem & defenſionem Religionis catholicæ, eccleſiaſticorum & bonorum eorumdem. Colonellis autem & Capitaneis hoc menſe ſeptembris juramentum illud propoſitum eſt: at illi renuerunt illud præſtare, præferentes poſt plures deliberationes, ſe in ſtatu non eſſe ad eos defendendos, cum plebem cohibere non poſſent; addentes etiam quod, dum ipſi quondam periclitabantur & tyrannicè tractabantur, catholici ipſos non protexiſſent, quin potiùs tradidiſſent inimicis ſuis, quos juvabant conſiliis & pecuniis. Ita Auctor anonimus *Hiſt. Mss.* Videntur hìc Colonelli &c. commemorare inhibitionem prædicationum & dimiſſionem prædicutiorum factam in hâc civitate anno 1567., de quâ ſuprà. Interim hoc Colonellorum &c. reſponſum malum catholicis fuit augurium, quod poſt octo menſes tragicum effectum habuit, ut infrà dicetur. Colonelli &c recuſant jurare protectionem catholicorum. Octob.

Dum hæc agebantur Antverpiæ, JOANNES AUSTRIACUS Belgii pro Rege Gubernator ſtrenuè Joan. Auſtriacus Belg. Gubern. moritur.

Anno 1578. Octob. nuè bellum geſſerat contrà fœderatos Ordines & plurima loca poſt victoriam Gemblacenſem ab eis abſtulerat, donec tandem in caſtris juxtà Namurcum in flore ætatis piè obiit 1. octob. Corpus ejus regiâ pompâ delatum in ædem cathedralem Namurcenſem, dein miſſum fuit in Hiſpaniam.

Succedit ei Alexander Farneſius. In locum ejus Gubernator Belgii & belli Dux à Rege conſtitutus eſt ALEXANDER FARNESIUS Princeps Parmenſis, qui tempore ſeptem annorum ſic bellum geſſit, ut hanc noſtram Provinciam & plures alias liberaverit à jugo ſectariorum & rebellium, feliciterque reduxerit in obedientiam Regis naturalis ſui Principis.

Calviniſtæ petunt plures Eccleſias catholicorum. Calviniſtæ, cum, ut ſuprà diximus, vidiſſent, capellam unam ablatam fuiſſe à catholicis eamque traditam fuiſſe Lutheranis; confidebant fore, ut ſibi non denegarentur, ſi uſibus ſuis aliquas etiam catholicorum eccleſias expoſcerent; non obſtante quod in relato edicto, de conſilio prædicutiorum confecto, art. 4. inhibitum eſſet, nè pro exercitio religionis ſuæ aut pro conventiculis ſuis aliis quàm aſſignatis locis uterentur; & non obſtante art. 12. juratâ per Orangium & Magiſtratum protectione catholicorum eorumque templorum. Certi itaque de benevolentia protectorum ſuorum libellum offerunt & prætexentes incommoditatem loci *den Leghuyt*, ac inſufficientiam aliorum ſibi aſſignatorum locorum, plures notabiles eccleſias uſibus ſuis petunt. Et ecce, vix ultrà menſem poſt ſuprà relatum pacificationis decretum, loco unius loci *den Leghuyt* conceduntur eis plures notabiles eccleſiæ, non quidem integræ, ſed dividendæ inter ipſos & catholicos, nimirum eccleſia Minoritarum uſque ad ferreos cancellos cum capella Italorum,

nem

item eccleſia Prædicatorum uſque ad Chorum & Parochialis eccleſia S. Andreæ, idque per decretum factum 4. octobris, relatum in Regiſtro civitatis *Spaens Privilegie-boeck fol.* 141. ut notatum invenio in *Chron. Ms.* : ſubjungo autem illud ex regiſtro Parochiæ S. Andreæ *pag.* 93. Anno 1578. Octob.

Obtinent Eccleſias Minoritarum Prædicatorum & S. Andreæ.

ALSOO t'ſedert de proviſionele ordonnantie van den 2. (29) *Auguſti* 1578. *die van de voorſ. religie by diverſche requeſten van hunnen t'wegen gepreſenteert, ſoo wel aen ſijne ALTESSE, als oock aen de* Magiſtraet *van Antwerpen, te kennen gegeven hadden, dat hun getal alſoo gewaſſen ende toegenomen was, als dat hunlieden onmogelyck ſoude weſen te gedoene met de vier plaetſen, hunlieden by de ſelver Ordonnantie tot exercitie van heurlieder religie, ende ſonderlinge tot de predicatien, ſoo wel in de duytſche als walſche ſpraeke, toegelaten : te min mits dat de* Legbuyt, *weſende eene van de voorſ. vier plaetſen, onbequaem was, als ongedeckt weſende, ſoo dat de gene comende ter predicatien moſten onder den blauwen hemel ſtaen, het welck overcomende eenigen grooten regen, ſneeuw ofte onweder, het uytloopen deſſelfs ſoude mogen oorſaeke geven van verſcheyde inconvenienten, beſonderlyck den de kercken ende clooſters van die van de catholycke roomſche religie. Biddende daer omme, dat ſijne voorſ.* Alteſſe *ende* Magiſtraet *believen ſouden hun te accommoderen van alſulcken andere kercken ende plaetſen, als tot den dienſt van hun voorſchreve religie ſoude mogen genoechſaem ende bequaem weſen : belovende dat ſy hun daer mede te vreden houden ſullen.*

Decretum deſuper.

Soo is 't dat ſijne Alteſſe, *om alle aenſtaende danghiren ende inconvenienten in de ſelve ſtadt (weſende van ſoo groote importantie als elcken kennelyck is) te ſchouwen, ende elcken redelyck contentement te gevene, gehadt hier op d'advies van myne Heeren den* Prince van Orangien *ſijnen neve ende Stadthouder generael, Gouverneur van Brabant,*

Anno 1578. Octob. *Hollant , Zeelant &c. ; ende die van den* Raede van State ; *geboort oock die van de* Magiſtraet *deſer ſtadt , heeſt by proviſie als voore geordonneert ende ordonneert by deſen , dat die van de voorſ. religie ſal tot exercitie van diere toegelydt ſijn , ten eerſten de voorſchreven kercke tot de yſere tralie met de Capelle van de Italianen in het clooſter van de Minderbroeders , die de voorſ van de Religie ſullen terſtondt t'heurlieder coſte met eenen meur drye voeten dicke af-ſluyten ende bevryen van onder tot boven : ſoo ſy oock terſtont gehouden ſullen ſijn te maken ende rechten t'heurlieder coſte eenen ſuffiſanten muer , ſoo hooge ende tot alſulcken plaetſe , als het Magiſtraet duncken ſal bequaemſte te ſijne tot ſijne bevrydinge van den clooſtere ende conſervatie van henlieden erve , ſoo verre als het mogelyck is.*

Ten tweeden de kercke van de Jacobinen (id eſt FF. Prædicatorum , qui in Gallia Jacobini vocantur) *die ten coſte van de voorſ. ſtadt ſal terſtondt van den choor geſepareert ende afgeſtopt ſijn.*

Ende ten derden de Parochie kercke van S. Andries , die hunlieden gelevert wort , om daer af te gebruyken ten lanxſten binnen een maent naeſtcomende.

Met alle welcke plaetſen die van de voorſ. Religie ſullen hunlieden vernoeght ende te vreden houden , ſonder eenige andere meer te begeeren ; ten ware dat ſy door't waſchen ende vermeerderen van henlieden gemeynte dies benoodigt waren : in welcken gevalle ſullen ſulcke plaetſen , als hunlieden gedeſigneert ende geordonneert worden , moeten coopen ende op haeren coſt accommoderen. Tot verſeeckerheyt van allen't welcke ſal dit accordt mitsgaders oock de proviſionele ordonnantie geteekent ende oock geſworen worden naer uytwyſens van dier.

Gedaen t'Antwerpen den vierden octobris 1578. *Onderteekent : MATHIAS* , GUILIALME DE NASSAU. Daer onder ſtont geſchreven : *Ter ordonnantie van den Schouteth , Borgemeeſters ende*

Schepenen

Schepenen der ſtadt van Antwerpen. Martini, Jaſper van Hurck, Eraſmus Schetz, Cornelis Daems, Philips de Lammetere, Paulus Tucher, Louys Verbeke. Anno 1578. Octob.

Quantùm ad juramentum præſtandum, de quo hìc & in relato decreto, hæc ſubjunguntur.

OP HEDEN datum van deſen ſijn gecompareert in Collegio der Wethouderen der ſtadt van Antwerpen, ter preſentie van de voorſ. Collonellen, die Dekens van de ſeſſe geſworen Gulden van de ſelve ſtadt; hebben de ſelve verclaert ende verclaren mits deſen onder den eedt by hun ende hunne ſuppoſten in't aencomen van hunnen dienſt gedaen, dat ſy ſullen onderhouden de poincten begrepen in de voorſ. Ordonnantie op den Religions-vrede gemaeckt; ſoo dickwils ende menichwerve ſy daer toe by de voorſ. Wethouderen ſullen verſocht ende belaſt weſen; al in conformiteyt van den eedt; daer by ſy der ſtadt ende hunne hooftmannen ſijn verplicht. Actum in Collegio der voorſ. Wethouderen den 4. octob. 1578. me præſente *Martini. Onderteekent by my Gaſper van der Heyden miniſter des H. Evangelie, Thomas van Thielt Dienaer des H. Evangelie, Joannes Kupus* (al Eubus) *verbi Dei miniſter, Doctor Jeramias Boſch verbi Dei miniſter.*

Juramentum deſuper exactum.

Thomas Thielt miniſter calviniſtæ Antv.

Onder ſtont geſchreven: Gecollationeert met ſekere copye is daer mede bevonden t'accorderen ende was onderteekent P. van der Neeſen.

An Colonelli & Capitanei, qui juramentum, ut ſuprà vidimus, præſtare recuſaverant, illud jam cum viris Gildarum præſtiterint, non ſatis liquet ex hoc Actu.

Calviniſtæ obtento hoc decreto non diu tardàrunt, quin mox adirent poſſeſſionem eccleſiarum

Prædicant Calviniſtæ apud Prædicatores & Minoritas.

V 2 Prædi-

Anno 1578. Octob. Prædicatorum, & Minoritarum : nam, licèt ſepa-ratio necdum facta eſſet, poſtridie, id eſt 5. octob., habitæ fuerunt pædicationes in utraque eccleſia ; & quidem apud Prædicatores per *Thomam Thielt* quondam Abbatem S. Bernardi, ut notat *Papeb.* ex appendice ad Chron. Secretarii Valkeniſſe. Ecce Apoſtaticus ille Abbas jam prædicat calviniſmum, qui ante apoſtaſiam prædicaverat confeſſionem Auguſtanam. Vir autem ille dein inter præcipuos fuit ; qui in hac civitate catholicos vexârunt.

T. Thielt prædicat ibidem.

Quid de S. Andreæ.

Quantùm ad Eccleſiam S. Andreæ, juxtà Edictum non niſi poſt menſem calviniſtæ adire poterant poſſeſſionem. Sed magnam difficultatem induxit, quod in edicto expreſſum non eſſet, num integram habere deberent, num navim tantùm ſicut apud Prædicatores & Minoritas. Calviniſtæ contendebant ſibi integram conceſſam eſſe, & conſequenter inſtiterunt, ut catholici cum ornamentis eccleſiæ tranſirent ad S. Michaëlis. Oppoſuerunt ſe catholici. Res hæc ſicut & de poſſeſſione turris & cemeterii diu agitata fuit, donec tandem illis ſola adjudicata ſit navis eccleſiæ, cemeterium ſeptentrionale & una tantùm campanula ; & ſic demùm 9. novembris primam ibidem prædicationem fecerunt, ut infrà dicetur.

Commotio deſuper inter catholicos.

Ad decernendam conceſſionem harum eccleſiarum petita fuit & audita opinio Magiſtratûs, ut in ipſo Edicto indicatur : verùm reliqua civitatis membra audita non fuerunt, imò ipſis inſciis & contrà voluntatem conceſſio iſta facta eſt, ut notatum vidi in Regiſtro Merciariorum ad 15. octob. ; conſequenter negotium hoc, ſic occultè peractum, latuit catholicos omnes. Cum autem innotuiſſet, magnam inter catholicos excitavit conſternationem & anxietatem, ut refert Author *Hiſt. Ms.* : oppoſuerunt ſe, inquit,

quit, quantùm potuerunt, ſed fruſtrà. Supplicârunt Archiduci, nè diſcederet, magnamque pecuniæ ſummam in eum finem obtulerunt: timebant enim, nè ſicut anno 1566. diſcedente Orangio generalis Iconomachia exorta & peracta fuerat, idem fieret diſcedente Mathia. Cumque eccleſiæ Prædicatorum & Minoritarum occuparentur, turba feminarum cucurrit ad Aulam; ſupplicans nè eccleſiæ iſtæ traderentur calviniſtis, ſed Religioſi manerent in antiqua poſſeſſione: verùm, inquit Auctor, oleum & operam perdiderunt, ac remiſſæ ſunt ad ſua, illuſæ ab infantibus. Anno 1578. Octob.

Hactenùs ſuppellex Collegii Jeſuitarum in domo Aquenſi ſalva manſerat, licèt in ea religionem ſuam exercerent calviniſtæ: verùm, ut refert Papeb. *Annal. Mss.*, hoc tempore nonnulli in vicinio erant, quibus patres vitam & opes conſervaverant eo tempore, quo Hiſpani civitatem ſpoliabant: nonnulli, inquit, ex iſtis ſyngraphum protulerunt ſubſignatum ab aliquo Patrum, in quo erat debitum ducentorum coronatorum. Cum eo apud Magiſtratum evincunt & vendunt omnem ſuppellectilem iſtam. Venditio autem iſta facta eſt ſub haſta præconis voce in publico foro 4. octobris (id eſt eodem ipſo die, quo Orangius & Senatus tàm liberaliter eccleſias catholicorum conceſſerant calviniſtis.) Domus autem vacua venit in poſſeſſionem publicam multorum: in ea locum unum habebant Tribuni militum (id eſt Colonelli & Capitanei civium) in quo tractabant ſua; alium miniſtri quos vocant hæreticorum; anterior aula ſcholis ſubjecta facta eſt, non dico ſpelunca latronum, ſed officina peſſimorum librorum. Ita *Papebrochius*.

Suppellex Jeſuitarum venditur.

Quantum ad eccleſiam eorum, an ante hac eam occupaverint calviniſtæ, non liquet.

Calviniſtæ occupant Eccleſiam Jeſuitarum.

Anno 1578. Octob.

Vidimus ſuprà in Edicto 19. aug. ipſis pro exercitio ſuæ religionis conceſſam fuiſſe domum Aquenſem nullâ factâ mentione eccleſiæ. Cum autem jam domus illa publicis uſibus deſtinaretur, certè hoc tempore eam occuparunt, &, ut notat auctor ſupradictæ Appendicis, in ea 26. octobris cœnam calviniſticam diſtribuerunt.

Pax religioſa generalis propoſita membris civitatis.

Articuli, quos Archidux MATHIAS pro generali Pace religioſa miſerat ad Ordines Provinciarum, per Ordines Brabantiæ miſſi fuerant Antverpiam, & Senatus eos exhibuerat in Concilio lato, tradideratque 23. aug. membris civitatis examinandos & dijudicandos. Die autem 9. octobris Penſionarius *Joan. Gillis* in Concilio lato petivit reſponſa ſeu opiniones membrorum civitatis, exhibens illis opinionem Prælatorum & Nobilium Brabantiæ datam 3. ejuſdem menſis. Ita refertur in Regiſtro Merciariorum, cujus conſcriptor notat, ſe brevitatis cauſâ non referre dictos Pacis religioſæ Articulos, quòd aſcenderent ad quadraginta. Interim ex illo Regiſtro ſubjungo dictam opinionem prælatorum & nobilium.

Opinio Prælatorum & Nobilium Brabantiæ.

MYN Heeren Prelaten ende Edelen repreſenterende die twee ierſte van de drye Staten van Brabant, overſien ende geleth hebbende op ſeker geſchrifte van Religions-vrede, den ſelven dry Staten by zyne Hoocheyt overgeſonden ..., hebben goet gevonden, overdraghen ende bewillicht (op't welbehagen van den derden State) dat d'inhout van dien in den voorſ. lande van Brabant achtervolgt ende onderhouden ſal worden, ſoo veele aengaet de poincten de ſaecke der Religie ruerende mette verſekeringe eens yeghelycx daer toe ſtaende ....

Aldus gedaen ende beſloten binnen de ſtadt van Antwerpen den derden dach van Octobre in

in den jare MD acht-en-t'ſeventich. Onder ſtont aldus : *My tegenwoordigh ende ten expreſſen bevele van de Heeren van de voorſ. twee Staten.* Ondert. *And. Heſſels.* Anno 1578. Octob.

Magiſtratus ſe conformavit huic opinioni Prælatorum & Nobilium ; Membra autem civitatis hàc vice opiniones ſuas non dixerunt, ſed diſtulerunt eas referre ad 15. menſis : quo iterùm in Concilio lato Penſionarius Gillis exegit reſponſa ad propoſitam Pacem religioſam. Exiguntur Opiniones membrorum

Veteres Scabini reſponderunt ad quoſdam articulos ; nempè ad articulum concernentem eleëmoſynas, quod illæ recipi & diſtribui deberent per Eleëmoſynarios civitatis, pauperibus tam unius quàm alterius religionis. Ad alia reſponderunt ſatis conformiter ad opinionem Vico-magiſtrorum, quæ in dicto Regiſtro ſic refertur. Opinio veterum Scabinorum.

De Wyckmeeſters *geſien hebbende de Religiansvrede, hen gecommuniceert by myn Heeren Borgemeeſteren ende Schepenen, metter opinien van myne Heeren de Prelaten ende Edelen, daer mede dat de voorſeyde Heeren hen hebben geconformeert, bevinden daer by alleen mentie gemaeckt te ſijn van twee religien, de oude Catholijcke ende geſeecht de Gereformeerde ; waer dore die van de Confeſſie van Auſpurch ſwarigheyt maken, oft ſy mede begrepen ſijn ; mits dat ſy hen laten ſeggen, dat het woordt van* gereformeerde *hen niet applicabel is ; ende daer omme de Confeſſie van Auſpurch met uitgedruckte woorden daer inne ſoude moeten geſtelt worden. Welken aengaende verſtaen de voorſ. Wyckmeeſteren te hebben naerdere verclaringe van ſijne* Hoocheyt *ende myne Heeren de* Staten generael ; *om die ſelve by hen geweten ſijnde, voirts promptelijck te moghen reſolve-* Opinio Vicomagiſtrorum. Volunt mentionem fieri Confeſſionis Auguſtanæ.

Anno 1578. Octob.

reſolveren ; ende maken hen opinie voorſ. op de voirſ. Religions-vrede, ſoo ſy tot dienſte van God almachtich ende gemeyn welvaren ende eendrachticheyt van den Lande bevinden ſullen te behooren.

Opinio Decanorum.

Decani Opificiorum in omnibus ſe conformârunt relatæ opinioni Vico-magiſtrorum.

Pax religioſa generalis approbatur Antverpiæ.

Cum autem Magiſtratus vellet plenius reſponſum, exactum illud fuit in concilio lato die 15. ejuſdem octobris ; quando omnia membra dictam Pacem religioſam approbârunt, ſic tamen, ut confeſſioniſtæ in ea comprehenderentur & exprimerentur. Reſponſum Vico-magiſtrorum refertur in præcitato Regiſtro Merciariorum, in quo notant Eccleſias catholicorum conceſſas fuiſſe ſine conſenſu membrorum civitatis, imò ipſis neſcientibus : ſicque ſonat.

Per Vico-magiſtros.

Aengaende de Religions-vrede, *daer op ſeggen die* Wyckmeeſters : *Alſoo onlancx alhier d'exercitie publicq van eenighe Religien hem heeft geopenbaert, ende tot dien eynde (ſonder wete oft wille van den Leden deſer ſtadt) kercken ſijn geoccupeert worden. Soo hebben ſijne* Hoocheyt *met advyſe van de* generale Staten (*vreeſende een totale extirpatie van den ouden catholycken geloove ende meerder inconvenienten*) *goet gevonden in hunnen Rade te maken eenen* Religions-vrede, *ten eynde t'lant blyve in eenicheyt ende niet en valle in een deſordre, gelyck men nu onlancx by experientie in Vlaenderen geſien heeft.*

Soo hebben de voorſ. Wyckmeeſters *den ſelven* Religions-vrede *goet gevonden ende approberen mits deſen, behoudelyck dat d'exercitie van de Auſburſche Confeſſie inſgelycx ſal vry ſijn, ende dat daer af in de Religions-vrede met expreſſe woorden ſal mentie gemaect worden. Dat oock de*

de ſelve Confeſſionanten ſullen hebben behoorlycke plaetſen hun commodieux ſijnde totter exercitien van hun Religie... Anno 1578. Octob.

Verſuecken hier mede die Wyckmeeſters aen myn Heeren Borgmeeſteren ende Schepenen, als den voorſ. Religions-vrede ſal gereſolveert ende in't nette geſtelt ſijn, dat hy den Leden deſer ſtadt ſal gecommuniceert worden, al eer hy den Staten overgedragen ſal worden.

Decani opificiorum demùm poſtridie protulerunt opinionem ſuam planè conformem relatæ opinioni Vico-magiſtrorum. Per Decanos

Quod hìc petunt membra, ut pax religioſa ſic reformata & nitidè conſcripta ſibi exhibeatur, antequam tranſmittatur ad Ordines Brabantiæ, id demùm factum eſt poſt quinque menſes, ut infrà dicetur.

Cæterùm, cum Lutherani ex relatis reſponſis ſcirent membra civitatis ſibi bene affecta & petiviſſe concedi loca oportuna pro exercitio ſuæ religionis, occaſionem hanc minimè neglexerunt. Libellum parant & offerunt, quo eiſdem prætextibus, quibus calviniani, uſibus ſuis petunt plures præcipuas catholicorum eccleſias, ſcilicèt eccleſias parochiales S. Walburgis & S. Jacobi & locum in monaſterio Carmelitarum. Subſtantiam Libelli iſtius refert P. Bor. *Lib. XII. fol* 54. hoc modo. Lutherani petunt Eccl. S. Walburgis, S. Jacobi & Carmelitarũ.

Hebben die van de Confeſſie van Auſburch aen de Magiſtraet van Antwerpen Requeſten gepreſenteert, te kennen gevende, dat onlancx by zijn Hoocheyt *ende* Raede van Staten *ſekere proviſionele ordonnancie van Religions-vrede, inhoudende vrydom van Religie ende het publieck exercitie der ſelver, was uytgegeven* (vide ſuprà ad 19. aug.) *onder welcke Religions-vrede zyluyden, die van de Confeſſie van Auſburch toegedaen, ook mede expreſſelijk ghecomprehen-* Libellus ſupplex deſuper

deert

Anno 1578. Octob. deert ende bekent waeren, als welcke Religie... nu binnen der ſelver ſtadt in ſeer groot ghetaele van borgheren, inghe ſetenen ende Natien aenghehouden ende met grooten yver bekent werde: achtervolgende welcke ordonnantie haer E.E. hen ſupplianten tot exercitie van de voorſchreven haere Religie ghedeſigneert hadden drie plaetſen, namentlijck de Capelle van de Droochſcheerders, de ſolder van den Heſſen-huyſe ende ſeeckere ſchuyren: maer overmits den grooten ghetaele van heure gemeynte ende de diverſiteyt van de hoochduytſcher, franchoyſer ende nederlantſcher taelen, ende de cleynigheyt van de Capelle van de Droochſcheerders, de groote onbequaemheyt van de ſolderinge van de Heſſen-huyſe, geenſins ghebruijckelijck zijnde, ende de verre diſtantie van de ſchuyren, weſende ghelegen aen d'een eynde van der ſtadt, ende den cooplieden van de Ooſterſche Natie ende andere borgheren in de nieuwe ſtadt ende daer ontrent woonende ganſchelijck buyten weechs, ſulckx dat ſy hen geenſins ghevoechelijck en connen behelpen.

Ende naer dien, die van de Religie ghepretendeert ghereformeerde nu ghenoechſaem waeren gheriefſt, ende dat haere E.E. waeren gheauthoriſeert van zijn Hoocheyt en Raede van de Staten, omme den ſelven ſupplianten in hen verſoeck insghelijcx te accommoderen; daer toe (ſegghenſe) ſeer goeden middel was t midts de menichte van de kercken ende cloosters binnen der ſtadt weſende, die men tot elcx gheriijve lichtelijck can accommoderen, ſonder des eens ofte des anders merckelijcke ſchade, hinder ofte intereſt: waeromme zy baden ende verſochten, dat hen gheliefde volghende de voorſchreven authoriſatie, hen ſupplianten metten eerſten te verſien van noch drie andere plaetſen, naement-

naementlijck de Borcht-kercke, de buyck van ſint Jacobs kercke ende een plaetſe in de Vrouwenbroeders clooſter daer toe propijs: op dat alſoo heure ghemeynte mette anderen heuren mede-borgheren ende ingheſetenen in alle ſtillicheyt, eenicheyt ende vreedſaemheyt ghehouden wordende, Godt almachtigh behoorlijck mochten dancken ende loven, ende alle goede policie onderhouden worden, tot welvaeren van haere E. E. ende van der gebeeler ſtadt. Anno 1578. Octob.

P. Bor, qui hunc Lutheranorum libellum ſic refert, indicat ibidem, ipſis negatam fuiſſe eccleſiam S. Walburgis & eccleſiam S. Jacobi: verùm aſſerit ipſis ad hunc libellum conceſſas fuiſſe eccleſias S. Georgii & Carmelitarum. Meritò interim dubitatur, num pacificè poſſeſſionem illarum eccleſiarum adierint. Quandonam enim primò cœperint exercere ſuam religionem in S. Georgii, nullibi notatum inveni: quantùm autem ad monaſterium Carmelitarum, notat Auctor Appendicis ſuprà citatæ, aditum ipſis negatum fuiſſe, ac illos demùm 21. decembris vi irrupiſſe in dictum monaſterium per viam Judæorum, eodemque die illic prædicare cœpiſſe. Aſſignantur eis Eccleſiæ S. Georgii & Carmelitarū.

Ecce à duobus tantùm menſibus libertas religionis conceſſa erat calviniſtis, & in edicto deſuper confecto auditis prædicutiis Art. 4., ut ſuprà vidimus, aſſignata erant eis pro exercitio religionis ſuæ tria loca prophana, ſeu ut talia reputata, cum inhibitione nè in ullo alio loco ſacro aut prophano ſua peragerent. Et Art. 12. Orangius & Magiſtratus in protectionem capiebant catholicos, & quidem in ſpecialem protectionem ſub juramento eccleſiaſticos eorumque eccleſias & bona. Jam autem poſt duos menſes eis ablatæ erant ſex ſpectabiles eccleſiæ & conceſſæ ſectariis; calviniſtis Hæc erat protectio catholicorum jurata per Orangium & Senatum.

paro-

Anno 1578. Octob. parochialis S. Andreæ, Eccleſiæ Prædicatorum & Minorum; Lutheranis Capella Panniparorum, Parochialis S. Georgii & monaſterium Carmelitarum: & licèt non omnes integræ illis ſint conceſſæ, ſaltem pro majori parte, ita ut catholici jam retruſi eſſent ad chorum, brevì totaliter privandi & pellendi. Eò vergebat jurata illa Orangii & Senatûs protectio.

Archidux mandat viſitari S. Mich. pro parochianis S. Andreæ. Interim negotium circà poſſeſſionem & diviſionem parochialis eccleſiæ S. Andreæ inter catholicos & calviniſtas agitabatur. Cumque calviniſtæ judicarent eccleſiam iſtam ſibi integram conceſſam eſſe, eò quòd in edicto 4. octobris nulla haberetur exceptio ſeu reſtrictio, inſtiterunt apud MATHIAM, ut catholici mitterentur ad eccleſiam S. Michaëlis: unde ille 22. octobris dedit hoc mandatum, relatum in Regiſtro parochiæ S. Andreæ.

OP HEDEN datum van deſen is by mijne Heeren vorſchreven uyt laſte van ſijne Hoocheyt *geordonneert* Heere Laurys Heymans *Parochiaen van S. Andries ende de* Kerckmeeſteren, *te beſightigen ende viſiteren de kercke van S. Michiels Clooſter, ofte men aldaer bequaemelijck ſoude mogen houden ende celebreren die vergaderinge van de catholijcke gemeynte ende ſuppoſten van de Parochie van S. Andries voorſchreven, ende doen dien (volgende behoorlijcken dienſte ende exercitie van dien: welckers viſitatie aengaende, ſy egeen delay oft uytreck en ſullen gebruycken; op dat men in tyts die ornamenten, reliquien, belden ende verſieringen mag amoveren ende tranſporteren, om die ſaeken totten dienſt gerequireert in S. Michiels te accommoderen: mitsgaders die plaetſe tot gebruyck van die van de religie in tyts ruymende, om alle verlies, voordere incon-*

inconvenienten ende ſchandale te voorcomen. Actum 22. october 1578. ende was onderteeckent MATHIAS. Anno 1578. Octob.

Mandatum hoc ſub & obreptitiè obtentum conturbavit omnes catholicos, & excitavit Capitulum cathedrale, Abbatem S. Michaëlis, Paſtorem & Æadituos S. Andreæ omneſque parochianos, qui ſimul ſine dilatione Libellum ſupplicem parârunt, in quo exhibent, Edictum 4. octobris non poſſe ſubſiſtere tamquam contrarium Paci religioſæ proviſionali, approbatæ per Status Brabantiæ & membra civitatis; aliaque exhibent, quibus probent injuſtitiam ſibi fieri: Libellum iſtum offerunt Senatui, eodemque die obtulerunt libellum Archiduci Mathiæ, cum adjuncta Copia libelli deſuper oblati Senatui, petentes quatenùs tamquam Gubernator Belgii ſupplicantes ſecundùm quod juſtum eſt protegat. Libellus iſte ſic refertur in Regiſtro dictæ Parochiæ.

Capitulum Abbas, Paſtor &c. ſeſe opponunt.

SUPPLIENT en toutte reverence le Prelat *de S. Michel, enſemble le* Chapitre *de l'egliſe Cathedrale de notre Dame de cette ville, le* Curè & Marquilieurs *de la Paroiſe de* S. Andriè *avec la communitè reſortante ſoub icelle, que le bon plaiſir de votre ALTESSE ſoit entendre à la raiſon droict & equitè, & prendre regard à la juſte plainte des ſuppliants oppreſſez, amplement deduitte en la Requeſte aujourd'huy de leur part exhibè au Magiſtraet de cette ville, dont la copie eſt ici attachè; entendant d'un bon & vray zele de juſtice & ſans aucune diſſimulation, au faveur de là bien fundè maintenue des ſuppliants en l'encienne & juſte poſſeſſion de leur ditte Paroiſe; defendant par abſolute auctoritè de Gouverneur general à tous, de nè faire aux ſuppliants aucun detourboir ou empechement, ſoub peine d'inobe-*

Libellus per eos deſuper oblatus Archiduci.

Anno 1578. Octob. *d'inobedience & rebellion, ſans s'arretter à l'acte en date du 4. de ce mois preſent, par la quelle ſemble la ditte Paroiſſe dejà eſtre accordè à ceux de la nouvelle religion pour en jouir aprez un mois de la ditte date, veu que cette Acte (comme n'eſtant que proviſionel) ne doit avoir lieu, ny ſortir effect, puiſque la perpetuelle Ordonnance de la* Religions-vrede, *(par la quelle au 5. Article n'eſt pas ſeulement defendue au pretendus reformèes de jouir des egliſes catholiques, ains que moins eſt d'y aprocher) eſt des Eſtats de Brabant & des trois Membres de cette ville d'Anvers acceptè & advoyè, & par ainſi deroghe à la ditte Acte. Quoi faiſant ſe quittera voſtre* Alteſſe *envers le juſte Dieu, le Roy & le monde en ce, à quoy icelle par diverſes obligations & ſerments eſt tenue.*

Ad hunc Libellum obtinuerunt catholici, quod Novemb. manere poſſent in ſua eccleſia; ſed concedit Archidux calviniſtis navim, quam ſolam petiverant; idque per Apoſtillam hanc adſcriptam dicto Libello 4. novembris.

Sola navis Eccl. S. Andreæ adjudicatur calviniſtis.

Veu que l'Ordonnance yci mentionè, par la quelle aprez pluſieurs communications ſur ce tenues & difficultèes manuees; eſt attribuè à ceux de la religion entre aultres l'egliſe de S. Andrieux; ſon ALTESSE declare ſon intention eſtre, que la ditte ordonnance ſortira ſon effect, ſi avant qu'il touche la Neff ou l'avant-egliſe ſans plus: veu que ſon teneur par la requeſte de ceux de la ditte religion, qu'ils n'ont demandez que la ditte neff, à quoi la ditte ordonnance ſe doit referer. Actum 4. novembris 1578. Signatum: *MATHIAS.*

Catholici petunt dilationem 14. dierum.

Cum hâc die expiraret menſis, quo calviniſtæ adire deberent poſſeſſionem dictæ Navis, catholici Libellum obtulerunt petentes dilationem

tionem 14. dierum, quibus Navem eccleſiæ evacuarent. Simulque petiverunt deciſionem quæſtionum ſubortarum circa poſſeſſionem turris & cemeterii. Ad hunc autem Libellum obtinuerunt dilationem octo dierum, & adjudicata ſunt ipſis turris exceptâ unâ campanâ, & cemeterium meridionale; relicto calviniſtis cemeterio ſeptentrionali; idque per hanc apoſtillam datam 8. novembris & relatam in eodem Regiſtro. Anno 1578. Novemb.

SON ALTESSE, ayant ouy le rapport de ce different, ordonne à ceux de la religion, de ne faire aucun preche ou aultre exercice d'ycelle en l'egliſe de S. André, que demain en huict jour; pour cependant pourvoir eſtre faitte les ſeparations & aultres choſes à ce neceſſaires pour cela, & ainſi il convient. Declarant en oultre, que leſdittes de la religion ſe devront contenter du cemeteire gyſant à la Noordt-ſyde ſans entreprendre ſur la tour de l'egliſe, ny d'orloge & cloches y eſtants, ſi non d'une cloche, la quelle pourra eſtre ſonnè d'enbas; demeurans les parochiens & marguelliers du S. André en la poſſeſſion de la tour pour y pouvoir entretenir le dit orloge & les aultre cloches. Fait à Anvers le 8. de novembre 1578. Conceduntur 8. dies.
Signatum: *MATHIAS.*

Dilationi huic calviniſtæ ſe oppoſuerunt pro viribus: cum autem eam impedire non poſſent, petiverunt, ut ſaltem pro adeunda poſſeſſione unam prædicationem facerent, ac dein ceſſarent uſque ad præfinitum diem. Hoc obtinuerunt calviniſtæ per hanc ſecundam apoſtillam eodem die datam. Opponunt ſe calviniſtæ.

SON ALTESSE s'eſtant de plus averti d'aucunes choſes, qui pourroint cauſer inconveniments, à pour la icelluy prevenir, conſent à ceux de la ditte religion, de pouvoir precher demain

Anno 1578. Novemb. *demain à la ditte egliſe de S. André aux heures. . . , à condition , que de la dorenavant ils s'abtienderont de la ditte egliſe juſqu'à jeudy prochain. Actum le jour & an, que deſſu.* Signatum : *MATHIAS.*

Prædicant in S. Andreæ. Vi hujus apoſtillæ calviniſtæ primam prædicationem in Eccleſia S. Andreæ fecerunt die 9. hujus menſis novembris. Quidam notant Thomam Thieldt quondam Abbatem S. Bernardi, qui primus prædicaverat apud prædicatores, hìc etiam primam prædicationem dixiſſe. Catholici autem manſerunt in poſſeſſione chori & crucis ejuſdem Eccleſiæ. Verùm quæſtiones ſubortæ circa erectionem parietis, quo catholici à calviniſtis ſepararentur, & circa horam, quâ interim ſinguli religionem ſuam exercerent, demùm determinatæ fuerunt poſt duos menſes, ut infrà dicetur.

Commotio deſuper. Quis dubitet, quin hæc ſummam conſternationem & conturbationem induxerint inter catholicos, qui ſic contrà ipſam Pacem religioſam proviſionalem ex poſſeſſione eccleſiarum ſuarum detrudebantur? Hinc meritò timebant ſectarii. Unde Antverpienſes prætexentes timorem proditionis 12. hujus menſis novembris ſummo mane armati munierunt omnes exitus viarum; ita ut nullus domo egredi poſſet. Viſitatæ autem ſunt omnes domus, num arma aut extranei laterent, & inventi ſunt 2000. extraneorum, è quibus 400., qui cauſam moræ non habebant, detenti ſunt tamquam ſuſpecti de proditione & machinatione. Hi examinati ſunt & examen duravit uſque ad ſecundam pomeridianam, antequam quis domo egredi poſſet. Dein multi illorum educti ſunt & aliqui detenti ac carceri dicto *Backersthoren* incluſi. Ita refert Auctor *Hiſt. Ms. pag.* 501., qui aſſerit ſimilem inquiſitionem factam fuiſſe 15. janu. anni ſequentis.

Non

Anno 1578. Decemb.

Non minùs turbavit civitatem actio Lutheranorum, quibus, cum jam à duobus menſibus pro exercitio ſuæ religionis conceſſus eſſet locus in monaſterio Carmelitarum, aditus hactenùs negatus fuerat; opponentibus ſeſe Carmelitis & catholicis ipſis benè affectis. Res indubiè agitabatur coram Senatu & apud Archiducem; ſicut agitata fuerat quæſtio circà S. Andreæ. Verùm Lutherani impatientes non exſpectârunt deciſionem, ſed vì quæſtionem diremerunt 21. decembris, quando effractis portis irruperunt in dictum monaſterium per poſticam in platea à judæis dicta *Jode-ſtraet*. Eodemque die illic inſtituerunt prædicationem. An autem occupaverint partem eccleſiæ aut partem tantùm monaſterii, non liquet.

Lutherani vì irrumpunt in monaſterium Carmelitar. & prædicant.

Inter Lombardos Antverpienſes; qui auctoritate ſuperiori ſub hypotheca parati erant cunctis pauperibus pecunias commodare, graves abuſus irrepſerant; inter alios quod expirante ſtatuto tempore venditis hypothecis, quæ de pretio excederent ſolvendum canonem non reſtituerent proprietariis. Abuſus hos hoc anno corrigunt fœderati Ordines Edicto dato Antverpiæ ſub nomine Regis 22. decembris, quod refertur *Edict. Brab. Lib. III. Tit. XVI.* Deinceps autem abuſus apud dictos Lombardos ſic excreverunt; ut tandem totaliter ſint aboliti, & eorum loco initio ſeculi ſubſequentis ſint inſtituti *Montes*, qui hodieque ſubſiſtunt ſub ſpecioſo *Pietatis* titulo.

Abuſus apud Lombardos Antv. corriguntur.

Obiit hoc anno JOACHIM A PUTEO Antverpienſis Beggardus, qui ſuis Antverpiæ & Middelburgi præfuit, ac Montibus S. Gertrudis virginibus ſacris fuit à confeſſionibus. Scripſit vernaculo ſermone: *Contemplationes in VII. effuſiones Sanguinis Domini. De VII. doloribus B. Mariæ. Præparationem ad Eucha-*

Joachim à Puteo Bogardus.

Anno 1579. Januarii. arbitrio religionem exercebunt: reliquæ autem Provinciæ leges Religionis Pacis, jam conceptæ & ad Provincias tranſmiſſæ, ſequentur; vel ſaltem generali ſingularive conſenſu ſtatuent ea, quæ ad tranquillitatem facere videbuntur. Hic Articulus 1. februar. mutatus fuit: nempè, à dicta hac Unione nequaquam excludendas Provincias aut urbes, quæ tantùm catholicam romanam Religionem ſervare volent, verùm eaſdem quoque recipiendas, dummodo reliquis articulis ſe obligent.

Hæc Unio à multis recepta fuit, à pluribus autem rejecta, quòd nimìs obſcurè cautum dicerent de Religione, tum ob alias rationes, quas vide apud *Haræum.* Interim Antverpienſes eam receperunt ſeriùs, ut infrà decetur.

Prœlium inter Regios & fœderatos in Borgerhout. Alexander Parmenſis vulgaverat, ſe Antverpiam venturum, eamque obſeſſurum cum omni exercitu. Archidux Mathias, Orangius & deputati Statuum generalium, qui Antverpiæ agebant, omnia parabant ad eum recipiendum & repellendum. Interim Parmenſis, præmiſſo Joan. Bapt. de Monte cum aliquot equitum turmis & occupatis aliquot caſtellis urbi vicinis, tandem 2. martii ipſo Bacchanaliorum die in Burgerhoutum venit; ubi bona pars exercitûs Ordinum hyemabat, cui præerat Lanoïus & alii, qui cum hoſtis adventum intellexiſſent, ſuos eduxerunt & acriter cum Regiis pugnârunt duabus circiter horis, multis utrimque cæſis. Verùm cum Parmenſis numero potior eſſet, & Ordinum peditatui deeſſet equitatus, coguntur pugnando ſub urbis muros relicta munitione retrocedere. Regii à mœnibus Antverpienſibus vî tormentorum, ſpectantibus Archiduce & Orangio, repelluntur: inde Burgherhoutum cum munitione incendunt

incendunt (ita *Hareus*. Dicit autem *P. Bor.*, Burgherhoutum à militibus Ordinum incenſum fuiſſe, antequam inde recederent) & poſtridie, quòd commeatûs inopiam timerent, Antverpiâ diſcedunt verſus Herendalium. Et inde proficiſcitur Parmenſis ad primarium ſuum intentum Trajectum ad Moſam, illudque omnibus ſuis copiis cingit 12. martii, ac tandem cepit 29. junii.

Anno 1579. Martii.

Ipſo die, quo Parmenſis cinxit Trajectum ad Moſam, id eſt 12. martii, è caſtris apud *Peterſem* ſcripſit epiſtolam ad Deputatos Statuum generalium congregatos Antverpiæ, quâ eis indicat, quaſdam provincias inclinari ad reconciliationem cum Rege & eos inducere conatur ad eandem, promittens Regis nomine ratificationem Pacis Gandenſis, Unionis ſubſecutæ & Edicti perpetui in omnibus ſuis punctis, ſalvis ſemper ſolius Religionis romano-catholicæ exercitio & debitâ obedientiâ Regiæ majeſtati. Epiſtola hæc refertur *Edict. Brab. Tom. I. Lib. V. tit.* 1. *cap.* 15. Iſta autem ſollicitatio nullum effectum habuit in his Provinciis; ſed menſe ſeptembris reconciliârunt ſe Regi provinciæ Hannoniæ & Artheſiæ, ac civitates Duacenſis, Inſulenſis & Origienſis, ut *ibidem cap.* 17.

Parmenſis invitat Status ad reconciliationem cum Rege.

Die 20. martii ducta fuit perquam devota Proceſſio circa & intra ædem B. Mariæ, in qua primi gradiebantur pueri ſcholares, tùm Presbyteri & Canonici, omnes ardentem facem præferentes venerabili Sacramento: ſequebatur autem Archidux Mathias cum Senatu ſuo aulico, ſenatuque Ordinum generalium; qui denique in chorum majorem collecti interfuerunt magna cum devotione ſolemniſſimæ miſſæ, ad eum finem celebratæ, ut Deus dignaretur optatum ſucceſſum largiri colloquio Coloniæ pro

Proceſſio pro ſucceſſu colloquii Colonienſis.

Anno 1579. Martii.

Belgii pacificatione inſtituendo. Papeb. *Annal. Mss.*

Ordines mittunt commiſſarios ad colloquium Colonienſe.

Ad colloquium illud quoſdam deputaverat Hiſpaniarum Rex ; Imperator etiam miſſurus erat quoſdam Principes Germaniæ : & Fœderati Ordines convocati erant Antverpiam ad 26. martii, ad ſeligendos commiſſarios, quos ſuo nomine Coloniam mitterent, pro negótio iſto pacificationis ibidem promovendo. P. Bor. *Lib. XIII. fol.* 100. *verſo.*

Deputati ad examinandā Pacem Religioſam.

Eodem die 20. martii congregatum eſt Antverpiæ Concilium latum, & Membris civitatis, ſicut petierant menſe octobris anni præcedentis, exhibita fuit Pax religioſa correcta & nitidè conſcripta ; & requiſita ſunt Membra, quatenùs viros deputarent, qui articulos ejuſdem ut præfertur correctos examinarent. Vicomagiſtri, ut ex eorumdem Regiſtro conſtat, ad hoc examen deputarunt *Joannem van den Broeke*, *Judocum van den Steene*, *Joan. Anthonis* & *Joan. Nicket.* Decani autem opificiorum, ut conſtat ex Regiſtro Merciariorum, deputârunt *Petrum Panhuys* quæſtorem & *Joan. Colosse* ex Camera Nautarum, *Joachimum Vermeren*, *Joan. Baſſelier* Decanum & Oudermannum cameræ Merciariorum; *Franciſcum van Uffele* & *Arnoldum Hofman* ex camera Panniparorum. Quinam autem ex parte Magiſtratûs ſint deputati, non liquet. Hi Deputati examen illud perfecerunt tempore unius menſis, ut infrà dicetur.

Abbas S. Michaëlis detinetur à militibus.

Interim accidit 25. martii die mercurii quod refert Auctor *Hiſt. Ms.* Quidam milites Angli, inquit, conſidentes in navi ante civitatem, jam aliquo tempore petierant à Statibus generalibus ſolutionem ſtipendiorum ; cum autem tardaret ſatisfactio, impatientes dicto die circiter 24. milites acceſſerunt ad congregationem Statuum,

tuum, in qua non aderat Orangius, expectantes ſatisfactionem: quam non obtinentes apprehenderunt & detinuerunt Abbatem S. Michaëlis *Guilelmum Greve*, quem peditem derelictum à ſuis per civitatem duxerunt ad navim ſuam; nec civibus, inquit Auctor, nec viris Gildarum, qui ad portam dictam *Maygat* excubabant, id impedire valentibus aut non volentibus: erat enim Abbas, inquit, inviſus populo, id eſt calviniſtis, quia quædam protulerat illis contraria: unde & cum per plateas duceretur ſuſtinuit injurioſos clamores. In navi detentus cogebatur experiri militum paupertatem & miſeriam; offerebant ei panem, caſeum & potum, quibus miſeri utebantur, dicentes, ſe eum ſic excepturos, donec ſatisfactio fieret. Ad eum liberandum acceſſit Senatus, ſed nihil effecit; ſicut nec Aldegondius, qui cum armatis venerat. Tandem poſt finitam in aula prædicationem acceſſit Orangius: quando tantum effectum eſt promiſſionibus & juramentis de præſtanda ſolutione poſtridie, ut Abbas liberatus ſit & reductus ad ſuum monaſterium; cum promiſiſſet, ſe notabilem ſummam procuraturum ad dictam ſolutionem. Anno 1579. Martii.

Initio menſis aprilis divulgabatur Antverpiæ, *Thomam Thielt* apoſtatam quondam Abbatem S. Bernardi, dein prædicutium calviniſtam, obiiſſe & renuntiaſſe reformationi ac rediiſſe ad ſinum romanæ Eccleſiæ. *Thomas* autem, qui tunc Miniſtrum agebat Bruxellis, cum famam hanc reſciſſet, ibidem in prædicationibus eam refutabat & auditoribus proteſtabatur calumniam hanc à mendacibus ſibi inflictam, ſeque reformationi neutiquam renuntiaſſe nec religionem mutaſſe. *Hiſt. Ms.* April. Thom. Thielt fertur renuntiaſſe reformationi.

Anno 1579. April.

Pax religioſa approbatur Antverpiæ.

Deputati ad examinandam Pacem religioſam opus jam abſolverant, unde eam retulerunt ad membra civitatis congregata in Concilio lato, ab illis ultimatè approbandam. Approbârunt eam omnia membra & tradiderunt eam ſic approbatam Magiſtratui remittendam ad Ordines Brabantiæ, ut & illi eam remitterent ad Archiducem Mathiam. Poſt hæc membra civitatis continuò urſerunt publicationem: verùm non obſtantibus omnibus deſuper actitatis, numquam publicata fuit. Antverpienſes autem dein privatam ſibi pacem religioſam fabricârunt, ut infrà dicetur.

Unio Ultrajectina proponitur Antverpienſibus.

Antverpienſibus 22. aprilis propoſita fuit ex parte Archiducis, Orangii, Concilii Status & Statuum generalium, in concilio civitatis acceptatio ſeu acceſſio ad Unionem Ultrajectinam. Ad hanc autem propoſitionem hoc reſponſum dederunt Vico-magiſtri.

Reſponſum Vico-magiſtrorum

Nopende de ſaecke van der Unien, den Wyckmeeſteren overgegeven, omme de ſelve mette geunieerde Provincien aen-te-gaen ende te ſluyten, gheven onder correctie voor antwoorde, dat wy die approberen ende oock noodich weſende particulierelijck accepteren, by aldyen de ſelve met de geunieerde Provincien over een comt te ſtemmen, ende met henlieden eendrachtelijck veraccordeert zyn; ruerende alleenelijck de poincten ende middelen, omme met eenicheyt den ghemeynen tegenwoordighen vyandt, ende alle andere in toecomende tyden te wederſtaen, ende anders nyet. Uytſluytende nochtans alle andere clauſelen, poincten ende woorden daer inne geruert, de welcke ons by eenighe middelen, weghen ende manieren ſouden moghen in toecomende tyden van de ſelve geunieerde Provincien ende te unierene, ofte van eenigher der ſelver, van den anderen ſcheuren ende ſcheyden: want

nie

niet anders en verſtaen , dan te blyven met henlieden geunieert ende geconfedereert : gelijck wy oock anders nyet en verſtaen eenich garniſoen in-te-nemen , dan by conſent van de leden deſer ſtadt , ende daer aff behoorlijcke verſekerheyt van zyne Hoocheyt ende Raedt van Staten gedaen zy. Begheerende oock de ſelve Unie ſonder delay worde geeffectueert , geſloten ende gepubliceert , mits den Lande van Brabant , ende beſundere deſe ſtadt , daer vele aene gelegen is. Anno 1579. April.

Ende aengaende de ſaecke van de drye religien , daer onder begrepen de Confeſſie van Auſburch , nu ter tyt in deſer ſtadt geexerceert woordende ; refereren wy ons achtervolgende t'concept van der Religions-vrede , dyen aengaende geraempt ende myne Eerw. Heeren Wethouderen deſer ſtadt nu onlancx overgegeven ; begeerende ende verſuekende de ſelve oock worde gepubliceert , tot eendrachtigheyt van deſer ſtadt. Ita habetur in Regiſtro Vico-magiſtrorum, *fol.* 10. Petunt publicari Pacem religioſam.

Volebant itaque Vico-magiſtri acceptari Unionem , ſed cum magna reſtrictione , nempè non niſi unitæ Provinciæ unanimiter convenirent ; & non niſi eo uſque quo concernit expulſionem communium hoſtium , excluſis reliquis omnibus punctis & clauſulis ; notanter eo , quo ſtatuebatur in civitatibus limitaneis receptandum eſſe præſidium militare judicio Gubernatoris ; & quoad Religionem reclamabant Pacem religioſam , à ſe examinatam & nuper Senatui traditam , quam poſtulant ſine dilatione publicari. Hoc reſponſum ad propoſitam Unionem dederunt Vico-magiſtri ; quale autem reſponſum dederint alia civitatis membra neſcimus. Interim non niſi poſt tres menſes Antverpia Unioni iſti acceſſit , ut infrà dicetur, non

Anno 1579. April. non obſtante quod iidem Vico-magiſtri rem iſtam urſerint in reſponſo ſuo ad propoſitiones in concilio civitatis die 21. maii, ut conſtat ex prædicto eorum Regiſtro, in quo hæc deſuper leguntur. *fol.* 21.

May. Urgent Publicam Unionem & Pacē religioſam.

Begheeren de Wyckmeeſteren, dat de Unie ende den Religions-vrede, voor deſen geconcipieert ende by den Leden deſer ſtadt geaccordeert, worde geeffectueert.

Coloniæ negotium Pacificationis Belgii inchoatur

Interim 4. maii Coloniam Pacis belgicæ ſtatuendæ causâ convenerunt à Cæſare Electores Trevirenſis & Colonienſis, Comes Swartzenburgenſis & alii; à Rege Hiſpaniæ Carolus Arragonius Dux Terræ-novæ, Dominus de Vaux, Fonckius, Aſſonlevillius; à ſummo Pontifice Caſtaignetus Nuntius Apoſtolicus; ab Archiduce Mathia & Ordinibus Dux Arſchotanus, Abbas D. Gertrudis & Marollius, Gaſpar Schetzius Grobbendonckæ Dominus, Meetkerkius, Milanus, Albada & alii. Actum eſt ibidem de induciis tantiſper ſanciendis; ſed recuſârunt regii Legati ob rationes, quas refert Haræus *pag.* 295. Ita ut interim bellum utrimque ſtrenuè ſit peractum.

Proceſſiones in Rogationibus pacificè peractæ.

Sed ecce, dum Coloniæ agebatur ad pacificandum Belgium, Antverpia tota turbatur per calvinianos; omnia ibidem ſusdeque vertuntur. Catholici ſatis pacificè ſua peregerant uſque ad 27. menſis maii: nam die 25. 26. & 27. illius menſis in Rogationibus conſtitutæ ſunt Cruces more conſueto, primùm in eccleſia Burgenſi, tum in S. Jacobi ac denique in S. Michaëlis cum miſſa & concione ſolitis. Ita Papeb. *Annal. Mss.* His peractis calviniani in rabiem verſi poſtridiè tumultum excitant, comœdiam ſimul & tragœdiam ludunt, intentum ſuum exequentes occaſione Proceſſionis indictæ

in

in diem 28. menſis, Feſtum ſcilicet Aſcenſionis Domini. Anno 1579. May.

Factum illud relatum vidi à duobus contemporaneis & præſentibus, primò in Regiſtro Cameræ Merciariorum, in quo enarratio facti præmittitur actitatis deſuper in Concilio lato; dein in *Hiſt. Ms.*, cujus auctor fuit heterodoxus. Inſuper rem hanc tractant Strada *Tom. II. Lib. I.* Haræus *pag.* 294. P. Bor. *Lib. XIII.* 114. Papeb. *Annal. Mss.* & alii.

Tumultus poſtridiè.

Proceſſio iſta indicta fuit in diem Aſcenſionis Domini ad flagitandum à Deo felicem ſucceſſum negotii pacificationis Belgii, quod jam inchoatum erat & agitabatur Coloniæ. Indicta autem erat ducenda per majorem circuitum, per omnem Clerum & populum; unde etiam è cathedris publicata fuit & populus excitatus ad piè comitandum. (Hoc male ceſſit Paſtori S. Walburgis, cujus verba, deſuper è ſuggeſtu dicta, ſiniſtrè interpretata ſunt, ut infrà dicetur.) Rogati & comitaturi erant Archidux Mathias cum aulicis & Conſiliariis ſupremorum Conciliorum, Status, Privati & Financiarum. Nulla autem fit mentio Magiſtratûs, Gildarum vel Opificiorum, qui in Proceſſionibus generalibus ſolebant comitari; ſed id indubiè jam abrogatum erat à tempore, quo conceſſa erat libertas religionis & publicata Pax religioſa proviſionalis.

Proceſſio in diem Aſcenſionis indicta Quare & qualiter.

Apparatus hic diſplicebat calviniſtis; & occaſionem hanc nacti furorem ſuum in catholicos & notanter eccleſiaſticos exaouerunt. Occaſionem ſeu prætextum commotionis calviniſtarum indicat auctor *Hiſt. Ms.*, quòd nempè nuper quidam reformati Inſulis, Duaci & in aliis regionis iſtius civitatibus, per Senatum coacti fuiſſent ſpatio trium horarum diſcedere. Simile quid ſibi timentes Antverpienſes reformati

Diſplicet calviniſtis.

Anno 1579. May. mati armati vigilabant. Hinc, inquit, quidam Colonelli & alii, prætexentes ex hac conſtitutione reformatorum timendum tumultum occaſione indictæ Proceſſionis, pridiè veſperì monuerunt & rogârunt Clerum, ut abſtineret à magno circulo, & contentus foret Proceſſionem illam more nunc ſolito ducere circum eccleſiam. Ita Auctor ille heterodoxus: nullus autem alius de ea præmonitione mentionem facit.

Si verum ſit eam monitionem præceſſiſſe, certò Clerus eam non magni fecit, tamquam quæ veniret à privatis; & judicavit nil timendum eſſe, ubi adeſſent Gubernator Belgii & omnia ſuprema Concilia.

Colonelli ſtatuunt eam impedire. Interim Colonelli, qui erant maximi catholicorum adverſarii, aut ſaltem aliqui illorum, ſtatuerunt impedire Proceſſionem; vigilias civium poſuerunt ad omnes exitus cemeterii, notanter ad *Meulegat*, qui erat ordinarius Proceſſionis tranſitus; mandârumtque ut tranſitum negarent; & *Adamus-Verhulſt* Colonellus juſſit tendi catenas. Sed hæc intentio Colonellorum publicè nota non erat, & credebantur vigiliæ iſtæ poſitæ ad prævenienda mala, quæ timebantur.

Proceſſio inſtituitur & impeditur. Itaque ſtatuto die & horâ comparuerunt in cathedrali religioſi S. Michaëlis, FF. Prædicatores, Minoritæ, Carmelitæ & Bogardi; comparuerunt & Archidux MATHIAS cum Aulicis, Concilia Statûs, Privatum & Financiarum. Hi omnes parati ſtabant ardentes faces manu geſtantes, dum juxta mandatum quorundam Colonellorum catenæ tendebantur in *Meulegat*. Ad horam circiter decimam inſtituta eſt Proceſſio, & primi procedentes invenerunt viam occluſam. Quidam accurrerunt & ſtricto gladio viam aperire volentes excubitores repule-

runt

runt: illi autem exploſis bombardis verſus eccleſiam & populum quoſdam læſerunt, qui indè obierunt. Anno 1579. May.

Hinc conſternatio inter catholicos inermes, qui in ſumma confuſione revertuntur in eccleſiam; eâque occaſione multæ fœminæ & infantes pedibus conculcati ſunt; alii cappas, pallia &c. amiſerunt. Excubitores clamabant *Ad arma, Ad arma*; & mox per totum cemeterium & circa audiebatur ſonitus tympanorum. Hinc tumultus per totam civitatem: accurrunt undique calviniſtæ armati & irrumpere conantur in eccleſiam, notanter per portam meridionalem, ſed cohibiti ſunt per excubitores, qui vigilias agebant in novo eccleſiæ opere. Hinc qui intrà erant portas eccleſiæ clauſerunt. Dein porta ſeptentrionalis aperta fuit & plerique de populo, qui numeroſus aderat, exierunt. Eccleſiaſtici autem, Archidux, Conſiliarii & aliqui de populo remanſerunt, undique obſeſſi per armatos clamantes *Papen uyt, Papen uyt*, foras eccleſiaſtici. Hoc indubiè primarium intentum erat concitati occaſione Proceſſionis tumultûs: unde & reliqui catholici ſe continere debebant.

Tumultus deſuper

Catholici obſidentur in Eccleſia.

Archidux Mathias, qui fruſtrà indignabatur, tantum circa ſe tumultum ciſci cum divinæ majeſtatis contemptu, miſit ad Colonellum *Adamum Verbulſt*, qui catenas tendi juſſerat, ut pro debito tumultum ſedaret; at is mandatum iſtud parùm curans, nè loco quidem ſe movit, prout Orangius met poſtridiè in Concilio civitatis retulit.

Archidux fruſtrà mittit ad Colonellos.

Advocavit Archidux Orangium, quem à primo inſtanti tumultus hic latere non poterat; at is demùm advenit cum ſatellitibus ſuis poſt finitam in aula ſua prædicationem, dum tumultus per horam circiter & dimidiam duraſſet.

Orangius vocatus fruſtrà egit cum ſedicioſis.

Adve-

Anno 1579. May. Adveniens autem, ut refert P. Bor. & *Hiſt. Ms.*, primò egit cum vigiliis civium & aliis ſeditioſis, quo tumultum ſedaret, ſed nec auditus eſt nec obſervatus: conclamabatur autem Foras eccleſiaſtici, *Papen uyt*, *Papen uyt*.

Agit cum Archiduce. Tandem acceſſit ad eccleſiam, egitque in veſtibulo cum Archiduce, Locum-tenens cum ſuo Principali, Gubernator Brabantiæ cum Gubernatore Belgii, tamquam cum captivo. Quid autem cum eo tractaverit nullus indicat.

Agit cum Colonellis in domo Aquenſi. Dein Orangius deceſſit; non ad Senatum, qui hoc tempore vilipendebatur, ſed ad Colonellos & Capitaneos congregatos in domo Aquenſi, id eſt, in Collegio expulſorum Jeſuitarum, in quo, ut ſuprà vidimus, locum habebant. Ibidem autem, inquit P. Bor, moliebatur omnia ad ſedandum tumultum, & vix obtinere potuit trium horarum ſpatium ad deliberandum cum Senatu, quid in hoc rerum ſtatu agendum foret: & ſumma cum difficultate obtinuit libertatem Archiducis.

Liberatur Archidux. Archidux autem poſt meridiem, cum duabus aut tribus horis à ſeditioſis obſeſſus fuiſſet, magni velut beneficii loco, abire permiſſus eſt, offenſus inprimis ac jurans, inquit Strada, ſi in eum porrò modum inſanire pergerent, fixum jam ſibi, relictâ impotenti adeò multitudine, ad Cæſarem fratrem, eâ pariter irreverentiâ neglectum, quamprimùm ire. Verum, inquit, ex homine ſervilis quidem imperii impatiente, ſed privatæ ſimul vitæ intolerante, nihil eâ injuriâ præter inanes querimonias expreſſit.

Cum Aulicis & Conſiliariis. Itaque retentis in eccleſia eccleſiaſticis cum quibuſdam laïcis, permiſſi ſunt ſingulatim

exi

exire Archidux cum aulicis ſuis & Conſiliariis, qui omnes ſine ordine domum properabant; timentes furorem ſeditioſorum.

Anno 1579. May.

Auctor *Hiſt. Ms.* refert hâc occaſione in comitatu Archiducis fuiſſe *D. Theodorum Brecht*; quem ſuprà ad anno 1567. vidimus dejeciſſe pontes ad portam lutoſam, quominùs calviniani Antverpienſes exirent in auxilium eorum; qui cum Toloufio conſidebant in *Auſtruweel*. Hic autem vel ideò & ob alias ſimiles rationes exoſus erat calviniſtis: quod reſciens è templo egrediens incedebat continuò tectâ facie immediatè ante Archiducem procedentem ad aulam ſuam. Cum autem quidam eum recognoviſſent, conclamatum eſt: occidite, occidite proditorem: *Slaet en ſchiet doot den ſchelm, den traiter*: ipſe enim eſt, qui à duodecim annis cauſa fuit cladis Thoulouſii in *Auſtruweel*. Quidam autem cives prudentiores, clamantes continuò *cavete Archiducem*; impediverunt, nè exploderent aut aliàs violentiam exercerent. Sic *D. Brecht* ſalvus pervenit ad aulam, unde diu auſus non eſt exire timens furorem eorum, qui juraverant, ſe eum obtenturos vivum aut mortuum.

Calviniani intendunt mortem D. Theodori Brecht.

Dimiſſo, ut dictum eſt, Archiduce cum ſuis, agitanda reſtabat cauſa eccleſiaſticorum, qui in eccleſia detinebantur. Et deſuper actum eſt inter Orangium, Colonellos & Capitaneos in domo Aquenſi inter tertiam & quartam pomeridianam; & tandem ibidem decretum eſt, eos educere extra civitatem.

Decernitur educendos è civitate eccleſiaſticos.

Rigoroſum hoc decretum executioni mandavit *Leo Petit* Capitaneus cum ſua cohorte: & primò quidem eduxit Minoritas; dein Prædicatores; dein Bogardos ac Carmelitas, dein Religioſos S. Michaëlis ac tandem Capellanos & Canonicos ac unum Laïcum *Joannem Denys*.

Educuntur qui detinebantur in Eccleſia.

Omnes

Anno 1579. May. Omnes iſtos duxerunt ad littus dictum *Bier-hooft* imponendos navibus. Cum autem educti eſſent eccleſiaſtici, qui fuerant in eccleſia, populus & vigiliæ cum ſignis ſuis deceſſerunt, & pro iſto veſperi cuſtodiæ poſitæ ſunt ad eccleſiam & inhibitum nè quis eccleſiis aut domibus quid intentaret. Eccleſiæ autem conſequenter clauſæ manſerunt uſque ad 20. junii.

Etiam omnes alii eccleſiaſtici. Eductis autem, qui in eccleſia fuerant, quæſiti ſunt etiam alii Paſtores & Preſbyteri ac Monachi, illi nempè, qui non comparuerant ad Proceſſionem; inter quos, præter illos qui in ſingulis monaſteriis remanſerant; erant religioſi S. Salvatoris vulgò *Peer-potz*, qui in proceſſionibus non ſolent comitari; ſimiliterque educti ſunt.

Paſtor S. Walburgis incarceratur. Paſtorem autem S. Walburgis (*Gregorium Robyns*) qui falsò accuſabatur quædam odioſa in cathedra dixiſſe, dum publicabat dictam Proceſſionem, duxerunt ad carcerem dictum *Backers-toren*; & Fr. Prædicatorem Pariſienſem, virum perquàm eruditum; qui in quadrageſima & hactenùs gallicè prædicaverat in S. Jacobi, extractum ex hoſpitio ſuo eduxerunt & navi Admirantii Vliſſingani impoſuerunt; ubi, cum malè haberetur, intervenientibus viris probis, ipſâ nocte eductus fuit & poſitus apud alios. Sicque omnes ſimul in navibus ante civitatem hæſerunt uſque poſtridiè, quo adhuc ex aliquibus monaſteriis & domibus aliqui educti ſunt & navibus ſimiliter impoſiti: ſicque omnes navigârunt ad S. Bernardi. Cum autem innoteſceret, eos ibidem non fore in tuto, miſſus eſt nuntius, & navigârunt ac hæſerunt ante Rupelmundam. Referuntur hæc in *Regiſtro cameræ Merciariorum*.

Scriptor

Scriptor *Regiſtri FF. Prædicatorum*, qui ipſe inter eductos & in navibus fuit, hæc refert: Anno 1579. 28. may Proceſſionem celebraturi in die Aſcenſionis Domini ab hæreticis Antverpienſibus omnes nos educti ſumus turpiter è templo Divæ Mariæ, deriſui totius vulgi, qui ſtabat ad aquas ubi diſpoſitæ tum habebantur naves, nos exponentibus; qui avexerunt nos die 29. hujus Rupelmundam: tandem 30. hujus è littore legentes Rupelmundano devenimus navibus his, videlicet quatuor, ad littus Divi Bernardi; datâ hic licentiâ terras frequentandi, navimque repetentes hoc modo hæſimus his quatuor navibus dies totos 16., decumbentes aſſeribus ac veſtiti uſque vigiliam S. Trinitatis; quæ dies tum habebatur 13. juny; indeque venimus Mechliniam &c. Ita ille.

Anno 1579. May.

Detenti in navibus 26. dies.

Interim, ut notat Papebrochius, miſeris illis ſubvenerunt Domini Eleëmoſynarii, ſubmittentes omnia eorum victui neceſſaria. Et Auctor *Hiſt. Ms.* refert eos ſtrictiſſimè obſervatos, nè quis evaderet; detinebantur enim tamquam captivi & rei. Unus, inquit, Canonicus *Malepert* obtinuit, ut ad diſponenda ſua domum rediret, ſed cum cuſtodiente ſe milite. Is reverſus ad naves tentavit evadere, ſicut & plures alii; ſed retenti fuerunt.

In ſumma miſeria & rigorosè obſervati.

Ex relatis patet, omnes omninò eccleſiaſticos tum regulares tum ſeculares eductos fuiſſe. Aitſingerus *pag.* 269. putat eductos ferè centum quadraginta. *Strada* dicit eductos non minus ducentis. *Van Meteren* circiter ducentos viginti. Inter illos autem non erant Jeſuitæ: illi enim jam octo menſibus pulſi erant. Capucini, Auguſtiniani, Diſcalceati, Minimi ac Cartuſiani necdum civitatem hanc incolebant.

Numero ducenti.

Interim varia ſuper hoc tumultu lata ſunt judicia. Alii, inquit Auctor *Hiſt. Ms.*, in-

Varia judicia deſuper.

Anno 1579. May. culpabant cives, id eſt calvinianos, quòd auſi fuiſſent tam violentè agere præſente Archiduce, non reverentes eum ut decet Gubernatorem generalem; dicentes, ſolemnitatem proceſſionis impediri non debuiſſe, quia eam volebant Archidux & ſuprema Concilia; tantò magis quòd Antverpienſes haberent libertatem conſcientiæ, & quòd calviniſtis conceſſæ eſſent tot eccleſiæ quot petiviſſent, unde & debuiſſent catholicis permittere pacificè peragere ſua. Alii, inquit, dicebant, non convenire hoc tempore inſtituere tales ſolemnitates propter difficultates & diviſiones regnantes in populo; ſed Archiducem & Conſiliarios debuiſſe, conſideratis turbis & periculis, ſibi providere ducendo Proceſſionem ſolùm circùm eccleſiam in cemeterio, prout requiſiti fuerant: ultrà dicentes, latere proditionem tam in hac quàm in aliis circùm civitatibus contrà reformatos, ad eos tractandos ſicut Inſulis & alibi; contrà quam, inquiebant, ſibi providere conveniebat. Ita Auctor ille hæterodoxus.

Et admiratio. Mirabantur interim boni calviniſtarum partium in hac civitate potentiam, ut plurimùm extraneorum, qui ad publicationem libertatis Religionis confluxerant; mirabantur, inquam, eos ſolos hæc effeciſſe: Lutherani enim non ſolebant ſe immiſcere quibuſcumque tumultibus, notanter contrà catholicos; cujus contrarium vidimus ad an. 1567., quando ſe junxerunt catholicis contra calviniſtas. Mirabantur perfidiam eorum, qui ante novem menſes, ad obtinendam libertatem Religionis, exquiſitis argumentis promiſerant omnem ſecuritatem catholicis eorumque Religioni. Mirabantur jam evanuiſſe protectionem, quam à novem menſibus Orangius & Senatus tam ſolemniter juraverant Eccleſiaſticis eorumque eccleſiis

& bonis.

& bonis. Sed quis non videat in omnibus his conniventiam & colluſionem?

Anno 1579. May.

Reſtabat jam, ut agitaretur cauſa ſeditioſorum; ut rei punirentur & quærerentur media ad præveniendos ſimiles tumultus. Hunc in finem Orangius in diem ſequentem 29. may convocavit ad Curiam Senatores, Hooft-mannos Concilii hebdomadalis, Colonellos, Decanos Gildarum, Vico-magiſtros, & dein etiam Adjunctos. Comparuit Orangius, ibidemque deſuper peroravit. Dicta ejus referuntur in regiſtro Vico-magiſtrorum *fol.* 22. & refert ea penè ad verbum P. Bor *Lib. XIII. fol.* 114. *verſo*; ita ut ex dicto regiſtro exſcripſiſſe videatur.

Latum concilium deſuper congregatum poſtridie.

